

COLLECTIO

LATINORVM SCRIPTORVM

CVM NOTIS.

TAVRINI
MDCCCXXIII
PER VIDVAM POMBA ET FILIOS.

PLAVTI COMOEDIAE

TOM. V

M. ATTI
PLAVTI
COMOEDIAE
QVAE EXSTANT

EX RECENSIONE

F. H. BOTHE

TOMVS QVINTVS

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS VIDVAE POMBA ET FILIORVM
ANNO MDCCCXXIII

I. FREDERICI

GRONOVII

LECTIONES PLAVTINAE

ACCEDVNT

COMMENTARII VV. DD.



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS VIDVAE POMBA ET FILIORVM
ANNO MDCCCXXIII

PRAEFATIO

EDITORIS TAVRINENSIS

Exspectationem tuam frustrari mihi visus essem, Lector benevole, nisi quatuor Plauti voluminibus hoc adiecissem, quod iis intelligendis tibi adiumento esset futurum. Quum enim Bothianae notae in una textus emendatione plerumque, aut carminum ratione versarentur, erat periculum, ne scriptoris veteris mentem, quod caput esset, penitus assequereris. Id igitur quum cavere studerem, subiit addere, cum Camerarii, Scaligeri ac Bulengerii perutiles dissertationes, tum Gronovii Plautinas Lectiones. Praeclarum opus illud quidem, sed quod utinam non adeo mendosum ad nos pervenisset! Etsi hoc in re posthuma celeberrimi Viri minus est mirandum, quam vel fortasse vulgare in animo non haberet, vel certe ad unguem morte praereptus castigare non potuerit, ut ex compluribus locis patet, quae sine ulla auctoris, aut libri indicatione attulit, vel memoriter exscripsit. Illud dolendum, Gronovianum codicem, licet, ut Editor

monet, manu exaratum pessima, fuisse primum ei typographo traditum, qui emendationis parum sollicitus, lucro unice studeret, deinde typothetae, germanae lectioni assequendae omnino impari, demandatum. Ex quo illa exstiterunt mendorum monstra. Sed quorsum haec omnia? Eo nimirum, ut apud te, candide Lector, si quid minus recti adhuc in ipsis deprehenderis, me purgem; quod facile me a te puto impetraturum, tum quia conferendis tam multis, quorum Gronovius meminit et sacris et profanis scriptoribus, integra opus fuisset bibliotheca, quae praesto esset, manuque perpetuo versanda veniret, tum quia nulla omnino mihi consulendi facultas daretur, quum scriptorum, quos recitat auctor, nec loca certo designaret, nec nomina poneret. Caeterum auctores, quorum copia mihi esset, nulli parcens labori, consului omnes, quorum vero non esset, ut primum est facta, adire non omisi, ut tibi, si minus emendatissimas, at saltem meliores evulgarem. Quapropter abs te eam veniam datum iri confido, quam mihi proposui, quum in tui gratiam adeo improbum laborem suscepi.

IOACH. CAMERARII

DE FABVLIS PLAVTINIS

DEQVE CARMINIBVS COMICIS

ITEM

IVL. CAESARIS SCALIGERI

DE CARMINIBVS COMICIS

DISSERTATIONES

QVIBVS ADDITA EST

THEATRI ROMANI ET GRAECI

DESCRIPTIO

I. C. BVLENGERI

IOACHIMI CAMERARII

DE FABVLIS PLAVTINIS

DISSERTATIO

AD ALIQVOT PRINCIPES GERMANIAE

INSCRIPTA

Anni iam sunt XX, quum nactus fui exemplum Plautinum scriptum, sane vetus, sed non exaratum tamen vel erudito saeculo, vel ab homine docto. Id repertum fuit in patria mea, inter libros clarissimi et virtute ac sapientia praestantis viri, Viti Verleri Franci, unde exemptum propinquus ipsius, amicitiae sanctiss. vinculo et maximae familiaritatis usu mihi coniunctus, Micaëlus Rotingus, vir optimus atque doctissimus, qui tum forte nobiscum esset, mihi utendum dedit, et ipse dominus libri postea ut uterer benigne permisit. Ego vero, qui et puer audivissem Lipsiae Vitum Verlerum explicantem Comoedias Plautinas, et postea adolescens studium lectionis harum retinuissem, confirmato iudicio intellexi, sine cognitione huius auctoris, praesertim istius generis scriptis aliis amissis et perditis, proprietatem et naturam linguae latinae percipi non posse. Hanc autem

teneri praeclara ne res sit, et digna in qua omnibus viribus elaboretur, alibi disseruimus: et nunc quasi ita esse vicerimus, sic positum hoc et certum nobis esto. Quantum vero momenti ad comprehendendam et perspiciendam veritatem sermonis latini habere Plautinas fabulas animadverti, tanto dolore saepenumero me affecit infelicitas studiorum bonorum hac etiam in parte, quum cernerem optimum auctorem tam foede lacerum et truncum circumferri, atque eumdem medicatione in dies magis affligi atque laedi. Si enim ullum cuiusquam opus miserabiliter depravatum, et corruptum scelerate fuit, hoc profecto fuit opt. et praestantiss. Plautinarum comoediarum. Correctiones autem comprobaverunt proverbium vetus et ipsae; multorum medicorum curationibus aegrotos plerumque perdi. Quum illum librum veterem primum vidissem, incredibili gaudio affectus fui, quod sperarem beneficio huius, tam turpiter contaminatas et mendis scatentes fabulas Plautinas repurgari atque integritati suae restitui posse. Quum autem intueri illum attentius, et rem gerere accuratius coepissem, non quidem, ut aiunt, ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς, sed multo certe minus quam speraveramus, in illo libro opis et copiae reperimus. Primum enim statim deprehendimus, librarium fuisse imperitum literarum latinarum; unum, ut apparet, ex illorum genere, qui in coenobiis ad alias quasvis occupationes sese dare quondam consuevissent, quam incumbere studio bonarum literarum atque artium, recte ne, an secus, nunc non quaeram. Sed neque librum ἀρχέτυπον, unde hic descriptus fuit, integrum et emendatum ubique fuisse, facile potuit animadverti. Quid vero hoc mirum? quum Varro, qui et vixit iis temporibus, quibus eruditio litterarum et

doctrina floruit, et proxime abfuit ab aetate Plauti, alicubi de analogia quaerens, quod non probaret quaedam de Truculento, in iis librarii mendum accuset? posteriores autem saepe de fide exemplorum questi, et vetustiss. quorumque testimoniis contra vulgatas lectiones usi fuerunt: nam illa semper corrupit imperitia quorumdam, ut ait Priscianus, mutantium scripturas. Sed nostra diligentia et industria etiam quadam, permulta de nostro illo veteri libro in Plautinis Comoediis restituta sibi fuerunt, tam in verbis quam numeris versuum; de quorum integritate nihil etiam dubii iam nobis relinquitur. Ac possem annumerare non δεκάδας, neque ἑκατοντάδας sed plane χιλιάδας, si ostentare operam nostram vellemus: sed *pauperis est numerare pecus.* Non pauca autem confido nos, si non emendasse, at non edidisse deterius, neque perversius, quam priores. Quae vero corrupta et falsa esse plane cernerem, ea indicare studui: indignum ratus, lectorem securo animo errare perpeti. Nam primum laudandus, qui erranti comiter monstrat viam: secundo vero loco gratiam meretur is, qui, si non possit viam rectam demonstrare, indicet illam veram non esse, ne pergat viator, et de via diligentius quaerat ac percontetur. Sed quid ego praestiterim longo sane tempore, et assiduo studio et diuturno labore meo, alii statuent atque iudicabunt. Quae vulnera inflicta Plauto fuerunt, ea sunt in conspectu omnium. Hoc quaedam minus sanabilia, quo veluti cicatrice in opinione curationis obducta non apparent omnibus, κρυπτὰ καὶ ὑπόνομα, ut medici loquuntur. Ego tamen, si mihi et otii plus et profundior quies contigisset, neque tam varie distractum fuisset temporibus et casibus studium meum, fortasse cum aliis in musi-

cis quasi certaminibus, tum in hoc spatio edere aliquid praeclarioris operis potuissem. Nunc in hac adversatione fortunae, in tanta penuria adiumentorum omnium, hac etiam communi quadam calamitate saeculi nostri, id quod nos perfecimus, neque prorsus nihili pendi debeat. Atque de illis praecipuis, perturbatione rerum publicarum et nostrarum difficultate nihil nunc quidem dicemus. Adiumenti vero quid fuit, praeter nostrum veterem codicem, non raro frustrantem et spem et vestigationem meam, et destituentem conatus? Nam interpretes novi usque adeo nihil subsidii auxiliive nobis tulerunt, ut aliquantum etiam nocuerint, audacissime mutantes, et vertentes atque torquentes omnia, suaque commenta ad veterum codicum fidem referentes. Veteres autem Grammatici profuere illi quidem non nihil: sed et ipsi mendose editi, et nonnunquam in inquirendo indiligentiores, saepe multumque fefellerunt opinionem nostram. Quid, quod veterum summorum virorum multiplex in Plautinis Comoediis enucleandis studium effecisse videtur, celeriter ut exempla non consentirent, sed scriptura plerisque in locis diversa proferretur? Memorantur enim *Plautinae Quaestiones* conscriptae a Varrone; itemque Scauri ac Sisennae et aliorum commentationes in fabulas Plautinas. Sed apud quem non etiam grammaticorum veterum, quorum qualiacunque scripta ad nos pervenerunt, auctoritatem diminuerent tales explicationes? quas ex aliis saepe incogitantius descriptas apparet: *cor* esse generis masculini, quod sic docuisse Cesellium Vindicem Gellius reprehendit: *fidele* pro *fideliter*: ut Captivis, *fac fidele*, quum ibi plane legatur, *Fac fidelis sis fideli.* Eliserunt autem veteres, ut nemo fere ignorat, vitantes sibilum huius elementi. Item,

in his et similibus, *Deûm virtutem*, et *milia sex nummûm*, poni accusativum singularem pro genitivo plurali: quum manifestum sit illa esse *συγκεκομμένα*. Item, *genium esse parsimoniam*. Item, *qui serius adhamaverunt*: quum appareat perperam insertam aspirationem, et verum esse *adamaverunt*. Sed in his recensendis non occupabimur, praesertim quum non esse nefas de illorum Grammaticorum traditis quaerere amplius, ex istis paucis intelligi posse videatur. Atque ita demonstratum esse confido, quantulumcumque sit, quod nos in Plautinis fabulis integritati suae restituendis perfecerimus, id studiosis linguae latinae gratum acceptumque esse debere. Nos quidem ita sumus animati, ut aliorum studio nostras operas plane obscurari expetamus: Sed dicat aliquis: ergo hic Auctor, ut ais, ad linguae latinae cognitionem necessarius est? Quo vero argumento? Quum et aliorum egregia scripta extent, et Plautina aetas sermone latino non satis polito usa esse videatur. De his sane, si quis rem penitus exquirere velit, plurimum verborum faciendum, et oratione prolixa opus esset. Sed nos breviter aliquid de utroque disseremus. Primum extare, conservata quidem, ut mihi persuadeo, divinitus, egregia scripta auctorum linguae latinae, fatéor et scio. Sed nos de puritate et simplicitate sermonis nunc loquimur, quae de quodam veluti filo orationis popularis ac cotídianae perspicitur atque colligitur tantum, propter cum res ratione et cura inexquisitas, tum elocutionem inelaboratam et popularem, vel ut ita vocem, vulgarem atque vernaculam. In quo genere solo proprietas et natura inest, atque cernitur, tanquam fundamenta quaedam nondum extructa domo. Sic enim communiter loquun-

tur, ut et verbis significantibus res, de quibus illa fiunt, et figuris orationis exprimentibus sententiam animi, uti velint, sine ambagibus, et quadam veluti pompa. Idque faciunt alii quidem aliis melius, ut in oppidis quam pagis, in bene institutis familiis quam secus. Ideoque Cicero plurimum putat contulisse Gracchis eloquentiam matris Corneliae, quae esset soror Africani. Nam et haec est domestica disciplina, ut animum, ita etiam os fingere parvulorum. Qui haec igitur fundamenta non iecerint, et fortuito coeperint quasi super arena exaggerare et educere molem quandam orationis, horum opus labet et vitiosum sit necesse est. Sed Terentium esse in medio, aliquis inquiat, qui puram orationem quodam in prologo etiam ostentet. Hic quidem Poëta et legatur et ediscatur, et nunquam de manibus deponatur. Cur autem, si vel paris, vel maioris etiam commoditatis aliunde copia offeratur, illam studiosus bonarum artium negligat et amittat? Atque utinam quamplurima huiusmodi scripta ad nos ab antiquitate pervenissent, ut esset quasi officina musica instructior. Atque Terentius, quo carere non posset hoc studium, est tamen in mirifica quadam attentione et cura nimis artificiosus: et dum hoc unum agit, ut Comoedia morata sit, nescio quo pacto simplicitatem sermonis non tuetur: et dum studet uti populi oratione, utitur erudita. Omnes autem, qui de Terentio scripserunt, hanc laudem illi tribuisse scimus, ut praestare hunc aliis arte et affectibus exprimendis perhiberent. Contra in Plauto illa veluti popularitas orationis, et vulgaritas iocorum a quibusdam etiam improbata fuit. Noti enim sunt versus Horatiani:

At nostri proavi Plautinos et numeros et

Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte mirati. Si modo ego et vos
Scimus inurbano lepidum seponere dictum,
Legitimumque sonum digito callemus et aure.

Imo illi merito et recte atque sapienter Plautum laudarunt et admirati fuerunt; tuque ad graecitatem omnia, quasi regulam, poëmata gentis tuae exigens, immerito et perperam atque incogitanter culpas. Varro reliquit hoc scriptum: *In argumentis Caecilius poscit palmam; in ἤθεσι Terentius, in sermonibus Plautus.* Qui est sermo? Qui in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium, ut Cicero ait, versatur: persequitur etiam convivia. Haec nimirum est populi oratio. De qua Cicero etsi putat praecepta dari posse, quod attentavit Pontanus, nulla tamen fatetur esse. Hic igitur sermo, id est communis locutionis facultas, et conservata forma consuetae et omnino urbanae orationis in Plauto reprehenditur ab Horatio, quia non redoleat peregrinam culturam et expolitionem. Quo nomine aio a nobis plurimi hunc fieri, et diligentissime legi oportere. Quod enim nobis et patria et tempus non concedit, ut domi a matribus, nutricibus, pedagogis, imbuamur cognitione linguae huius, id praestabit lectio talium librorum, quales reliquit optimos et eximios in hoc quidem genere Plautus; quos tamen non modo bonitas ipsorum, sed aliorum similium amissio et penuria nobis commendat. Nam. de antiquitate multis in partibus postea mutata, quum quidem litterarum eruditioni et doctrinae proposita sit ad imitandum Ciceroniana aetas, qua eloquentiam perfectam et absolutam fuisse constat; de illa igitur antiquitate quod a quibusdam dicitur, nihil est. Hac enim, ut in numis antiquissimi quique cupidissime expetuntur ab iis

qui divitias congerunt; ita studiosis linguae latinae nihil debet esse antiquius. Non ut temere et fortuito proferre, et quasi necessariis usibus impendere, sed potius tempori, loco, rebus reservare velint. Hoc quale sit, dici neque breviter, neque omnino plane potest: sed in ipsis istis scriptis a doctis demonstrari solet, et a non stupidis per se etiam cogitatione comprehendi. Nam mediocris prudentia in hac parte omne facile et incommodum vitaverit, et vitium ac horrorem, sicut videtur, antiquitatis detergere, et ruditatem expolire possit. De his igitur iam satis. Quum autem hoc totum, de quo loquor, puerile sit studium, video a piis et severis non immerito quaeri, sitne verendum ut talium scriptorum lectione et cognitione, non inquinentur ac contaminentur, aut saltem profanescant mentes tenerae et ingenia simplicia ac proba, cuiusmodi in pueris, qui ad spem virtutis et sapientiae educuntur, esse volumus et optamus. Nam omnes occasiones impuritatis ab hac aetate removendae, ut secundum Poëtam: *Nil dictu foedum factuve ea limina tangat, Intra quae puer est.* Et quae alia in hanc sententiam vere et graviter dici consueverunt. Hoc sane est, ut verum fatear, difficile. Ac veteres quidem tam nostrae religionis quam externorum quidam viri docti et sapientes, quo pacto legi deberent poëtarum fabulae, accurate docuerunt; non solum enim iracundia habitat in auribus, secundum Herodotum, verum etiam profecto impietas, levitas, libido. Quae enim audiuntur facta aut dicta nefarie, flagitiose, turpiter, ea mentem sauciant, tam iudicium saepenumero corrumpentes, quam depravantes voluntatem. Quid igitur attinet circumspicere et quaerere medicinam potius vulneris, quam cavere ne plaga infligatur? Omnino res est

impedita et magna. Sed quid faciemus? Aut ubi reperiemus bonum, cui non sit adiunctum malum? Omnia in tota vita plena sunt periculis, neque quidquam horum est expers in ulla aetate, conditione genereque hominum. Vt si quis haec vitare velit, hanc lucem relinquere, et terris excedere debeat. Puerili autem aetati inprimis hoc impendet, morum sanctitatis et innocentiae atque pudoris. Quem si simpliciter, et quasi ex professo laedunt poëmata, multo erat satius penitus illa aboleri, et ut περίεργα βιβλία concremari, quam omnino inspici, nedum proponi studiis puerilibus. Atque fuerunt quaedam semper, et nunc sunt talia, quae exterminanda de scholis existimamus. Nam quod ille ait, defendens lasciviam carminum suorum:

Vita verecunda est, Musa iocosa mea:

et alter pronunciare audet, tum demum salem et leporem habere versus,

Si sint molliculi, et parum pudici.

Horum igitur uterque plane desipit, neque assensionem invenire a nobis debet. Nam tu, qui ais tuam esse vitam pudicam, quare sine causa in flagitio perhiberi te mendacem cupis? qui commemores ipse tua illa praeclara facinora diurna et nocturna, voluptatis obscoenae? Idem negas indicium animi librum esse. Imo ille est certe, si non propositi atque consilii, at voluntatis et cupiditatum, quas in turpitudine prodi quid attinet? Ille vero alter quam causam affert sententiae suae? an quia τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον, ideo impudicis scilicet et dissolutis illi versus belli ac lepidi videntur. Quid enim per se laudabile in turpitudine esse potest? Falsum hoc est, non esse in verbis obscoenitatem, ut quidam ostendere conati fuerunt. Obscoe-

nitate vero risum et oblectationem quaerere, etiam nocens, et veritati ac virtuti contrarium. Praeclare autem et hoc Persae servarunt, ut pleraque omnia, ne quid foedum suo nomine unquam eloquerentur. ὁπόσα, inquit Herodotus, αὐτοῖς ποιέειν οὐκ ἔξεστι, ταῦτα οὐδὲ λέγειν ἔξεστι. His igitur nequaquam assentiemur commendatoribus obscoenitatis: multo autem minus illi scurrae, qui obscoene loquentes ait romana simplicitate loqui. Et talia scripta prorsus excludemus e scholis puerilibus, et ab illis tanquam a peste bonae mentis, abducemus oculos, aures, animos teneros. Atque si qua scripta tota sunt huiusmodi, tota exigantur, ac reiiciantur; sin minus, et in illis est alicubi aliquid quasi purulentum et γαγγραινῶδες, illud recidatur: ut reliqua, depulso veneno, tuto attingi possint. Idque et in aliis libris et in Plauto factum esse apparet, et nunc etiam faciendum esse censeo. Praestaret enim vel ineruditissimum esse aliquem, quam per eruditionem imbui spurcitia et impuritate, vel etiam impietate, scelere, furore. Sed ad nos quidem quae prorsus essent vitiosa scripta veterum, nulla vel paucissima pervenerunt. In aliis non est maius periculum, quam in cotidiano usu vitae. Non potest enim fieri, ut omnes occasiones vitiorum auferantur; sed has rapiunt oculi, aures, manus, undique secundum insitam pravitatem animi uniuscuiusque. Vt enim Tiresias in tragoedia inquit: ἐν τῇ φύσει τὸ σαφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ' ἀεί: sic etiam in animis origo est malorum omnium. Itaque improbi ac nequam homines proverbio memorantur, κακ' ἐφ' αὐτοὺς ἕλκειν ὥσπερ καικίας νέφη. Atque hi ut ea quae φάρμακα a medicis nominantur, vitiosos humores attrahunt, quaeque similes illos sibi, nam et χολαγωγὰ haec et φλεγματαγωγὰ sunt: ita alii alia admittunt probra, et peccata accersunt.

Qui non bonae frugi est, et ut Graeci nominant, ἀκόλαστος, luxus, libidinis, voluptatum illecebris capitur. Theodoreae autem et Diagoreae naturae, contemtum Dei et hominum asciscunt: ferocia ingenia, crudelitatis exempla probant: excelsa et superba, fastu inflantur, et contumeliosa redduntur. Nam illa quidem de libris tantum, sed profecto de picturis ac sermonibus quoque, deque iis quae in aliam partem fiunt atque dicuntur. Quin etiam plerique vitiorum insectationes et reprehensiones, ad vitia in se stabilienda assumunt. Audivi de quodam, qui affirmaret se quandam causam non aliter quam de adversariorum disputationibus cognovisse. Eodem vero modo, non paucis ex iis praeceptis quibus contra vitia animi instrui possent, vitiorum doctrinam sibi faciunt. Haec est occulta quaedam vis naturae, ut omnia impellat ad sui similium appetitionem, atque ita γλυκὺ μὲν γλυκὺ μάρπτε, πικρὸν δ' ἐπὶ πικρὸν ὄρουσε, secundum Empedoclem.

Atque hoc est perpetuum certamen in bonis, et haec assidua lucta cum vitiis, et cura atque contentio perveniendi eo laudis, quo se quisque incitari, et ad id perficiendum, ad quod sibi divinitus adiumenta collata esse sentit: ne quid invita, ut dicitur, Minerva experiatur. Haec sunt manifestiora, quam ut demonstratione magnopere indigeant. Causas quidem sapientia humana non videt. Vno verbulo, libidinosus, avarus, malitiosus, abblandiente morbo suo, mirifice commovetur, et alimoniam mali apprehendit. Hoc alteri aut non nocet, aut prodest etiam. Cuius pravitatis respectu, ea quae vel ipsa perniciosa non sunt, vel etiam fructum afferre bonis possunt, praetermittenda aut explodenda non sunt.

οὔτε γὰρ φύσις, οὔτε οἰκονόμος ἀγαθὸς οὐδὲν ἀποσφαλεῖν εἴωθεν

ἐξ ὧν ἐστι ποιῆσαί τι χρηστόν, ut inquit Aristoteles. Si enim hoc fieri oporteat, nullam virginem aut matronam exornatam in publicum prodire propter libidinosos, non signari aurum et argentum propter avaros, denique non rationem collatam fuisse hominibus propter malitiosos, rectum esse videatur. Imo coeli ipsius pulcherrima species occasionem atrocissimi sceleri εἰδωλολατρείας praebuisse credatur, in qua admirati homines solem, lunam, sidera, et horum motus, et in hoc incredibilem ordinem atque constantiam, et admirabiles quasdam effectiones, pro deis illa colere ac venerari, et simulacra effingere, et fana consecrare coeperunt. Voluit etiam hoc Ovidius docere in illa epistola scripta Augusto Caesari, nihil esse quod non prodesse, et laedere idem possit. Atque ibi verissimam sententiam eleganti versu pronunciavit:

Omnia perversas possunt corrumpere mentes.

Quapropter de Poëtis quidem quasi virus quoddam instillandum non est pueritiae. Atque illa quae veluti sauciare mentes et simplicitatem animi vitiare possent, ne recitanda quidem coram illis, nedum explicatione agitanda sunt. Quod nos movit, ut quaedam in Plauto, quorum emendatio fuisset in promptu, inducere maluerimus, quam in talibus ostentare eruditionem nostram. Ab iis autem quae minus graviter, quae scurriliter, quae improbe dicuntur, quibus cotidianae vitae et temporum vitia ac peccata notantur, nemo afficietur ullo detrimento, nisi qui eruere ultro seseque damno ipse afficere voluerit. Vbi quidem, quod ad pueritiam attinet, cui cupimus ad proprietatem linguae latinae percipiendam proponi hunc auctorem, permultum situm erit in magistris et explicatoribus: qui si erunt prudentes et viri boni, non modo a sensibus et cogitationibus puerorum omnem iniu-

riam propulsabunt commoditate interpretationis, sed illis etiam maximam utilitatem salutarium praeceptorum conciliabunt. Nam si qui sunt, qui se in iis locis, quibus mentio fit flagitii alicuius, iactitant atque volutant, ut porcus in coeno, quid cum his nobis rei aut negotii sit? qui ab institutione puerili, et de scholis tanquam pestis mala et lues morum extorres agendi sunt. Ego quidem, fatebor enim verum, non semel cogitavi animo meo, an opera haec propter eventus dubiam fortunam placere posset Deo, et non aliena esse professione Christiana videretur. Ac non pauca contra hoc in mentem mihi venerunt. Sed ratio tamen vicit, neque impium hoc studium, neque rem indignam esse cupido pietatis et virtutis. Quod si aliter videretur, et contraria sententia probaretur nobis, abiiceremus potius haec studia θυμόφθορα et imbuentia animos flagitiorum aut scelerum quasi foetore: et non augeremus prioris vitae delicta, neque peccata vetera novis indies accumularemus. Sed mihi cogitanti in mentem venit, *duo* esse quae tradi hominibus velit Deus, *cognitionem sui*, et *eruditionem vitae*. Quorum alterum divinum totum et humanam intelligentiam superans, ipsius proprium est opus, in quo ingenii acrimonia ac vis et gnavitas, nihil loci habet: et quibus illa contigit, ii gloriari vere possunt, se adeptos esse id quod homini evenire atque tribui possit optimum et maximum: sed haec est disciplina instaurans naturam nostram, et cor atque intelligentiam reparans, denique novum creans atque gignens hominem; quam rem philosophia penitus ignorat, et omnis sapientia, omnisque doctrina in terris comprehendere nequit, de quo in praesentia nihil dicendum est. Alterum vero, divinum quidem donum et ipsum, collatum tamen et attributum men-

tibus hominum, sui quasi possessores illos habet, et non modo quale sit intelligi captu humani ingenii, sed viribus etiam huius elaborari potest. Insevit enim Deus animis nostris iudicium boni et mali, et cupiditatem ac appetitionem illius, huius odium atque fugam. In bonis autem hoc ponit vel solum, vel certe praecipuum ac maximum et singulare officium, decus, laudem, non falsae et inanis gloriae, sed virtutis atque dignitatis. Ad haec igitur propria atque peculiaria bona, institui Deus humanum genus vult ac iubet, ut haec divina veluti stirps exculta suos fructus ferat, consiliorum et actionum veritate et pulchritudine praestantium. His et res publicae et privatae cum constituuntur, tum conservantur. Haec est hominis excellentia, et naturae illius, ut ita loquar, exaggeratio. His sublatis, multis bestiis humanum genus inferius reperietur. Atque horum ludus et palaestra quaedam sunt literae et studia bonarum artium, quibus animi pueriles praeparantur et finguntur ad humanitatem et virtutem, et quasi ad conspectum bonorum suorum deducuntur, conversa acie mentis ad contemplationem horum, ut quid in se insit quod ad hominum societatem et utilitatem generis sui proferri possit, quisque norit ac sciat. Nam et hoc vetus verbum subiicit atque iubet, quo praecipitur quisque sese ut nosse studeat, bona quoque, et haec quidem inprimis, sua ut norit. Ad haeccine vero, inquiat aliquis, Plauti levissima scripta momenti quippiam allatura esse videantur? Hoc scilicet hic dicit, nihil conferre regiae domui cementa et calcem, neque parvis quoque rebus magna iuvari. Non ego enim nunc hoc disputabo, quod multi, et de quo Horatius: sic enim ille scribens Augusto,

Os tenerum pueri balbumque Poëta figurat:

Torquet ab obscenis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus praeceptis formal amicis,
Asperitatis et invidiae corrector et irae.
Recte facta refert: orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur et aegrum.

Sed haec non petenda esse dicam de Plauto. Non huic decori custodiam, non discrimina personarum, non studium morum, non iocorum elegantiam et urbanitatem nunc tribuam; adimam etiam iudicium, quod exactius esse in una Terentiana fabula Erasmus pronunciat, quam in Plautinis omnibus. Non enim de his iam agimus. Quid est igitur quod auctorem hunc commendare puerilibus studiis debere videatur? Parvum quiddam, et admodum exile, quod de illius lectione ostendimus posse eis contingere, simplicis et proprii sermonis copiola quaedam. Hoc ego aio esse id quo instructi illi, egregia honestatis et recti ac veri munera exequi aliquando possint. Hoc fortasse mirum alicui ex magnorum et honoratorum numero videatur, tantillam curam puerilis aetatis, illa incrementa et excitare et perficere posse. Atque erit, ut opinor, qui verum esse neget. Mihi autem non modo sic nunc esse hoc verum libet, ut ait Terentius, sed ratio etiam vincit ac concludit. Nam constat, ad virtutem et laudem vitae omnem more et assuefactione perduci homines. Ea enim quae actione tota continentur, agendo etiam obtineri et comparari solent. Quid autem sine veritate et constantia pulchrum atque praeclarum? Imo quid absque his non turpe atque vituperandum fuerit? Est et hoc manifestum, qui certa et exquisita et bona oratione utatur, in eo sententiam et cogitationem non esse vagam, neque futilem et levem: illa vero, ut dixi, certa, exquisita, bona oratio, proprietate et simplicitate, et puro

quasi fonte sermonis neglecto atque praeterito, acquiri unquam poterit? Nemo hoc dicet, aut suspicabitur. Relinquitur igitur hoc quod cupimus probare; ad virtutem et sapientiam, hoc studium sermonis proprii et certi, quamvis parvum atque minutum, tantum tamen conferre, quantum maximis et praeclarissimis quibusque effectionibus, ea sine quibus illae vel inchoatae, vel absolutae nunquam fuissent. Nam quales ii sint etiam in excellentia ingenii et doctrinae abundantia, qui ista parva aut spreverunt, aut assumere nequiverunt, qui volet consideret atque videat, oculos intendens in omnem aetatem et populum. Semper enim reperiet, quum aut errore et stultitia hominum, aut perturbatione et calamitate temporum, illa tenuitas et parvitas studii huius neglecta exclusave fuisset, et rempublicam labefactatam, et domesticam disciplinam perversam esse, obortis variis et multiplicibus, nec non absurdis et inconsentaneis opinionibus, quum non magis diserta esset elocutio, quumque quasi confusis sonis, non intelligeretur ab uno id quod alter memoraret. Atque ita etiam hoc tum usu venit, ut, quemadmodum Cicero in exordiis quibusdam huius erroris et neglectionis queritur, nihil sit loci pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, utque tandem omnia pessum eant et confundantur. Atque fit saepe, ut in quadam veluti veterno ignorantiae, cum vera pro falsis homines amplectantur, dubia pro certis, fluxa pro firmis, obscura pro manifestis, tum quasi sopitum malum non sentiatur: ubi vero commoveri coepit, ibi tanquam Camarinae cuiusdam foeditas exagitatur, et vitia illa conspicua fiunt, atque erumpentia plerumque, et quasi curationi repugnantia in corpore humoribus malis referto tumultuantur. Ita fit, ut respublicae

tum gravissime concutiantur, quum innotescunt et aperiuntur errores ac peccata saeculi atque hominum. Quapropter si expetenda virtus est, et fugiendum vitium, non contemnantur neque parvi fiant ea, quorum est quamvis exiguorum ea tamen vis, ut virtutis iter patefaciant, et quae, quum negliguntur aut denegantur, neque obtinentur, vitam veluti sentes vitiorum obducere soleant. Quorum exempla evidentia suppeditant nostra etiam tempora, quibus quum divinitus prolati et indicati fuissent errores multiplices, ea indignatio hominum fuit, ut non illis neque suae vel improbitati vel infelicitati succenserent, sed in reprehensionem et salutaria praecepta sese inferrent atque inveherentur; facile enim passi fuere et pertulere omnia homines, quousque abfuit adversatio, vel affuit potius obsecundatio, et ut Plautus ait, obsequela; et est secundum Platonem, νοσοῦντι πᾶν ἡδὺ τὸ μὴ αντιτεῖνον. Reflante autem vento, et exagitante iudicia opinionesque et sententias hominum, eam scimus exortam miseriam, cum qua conflictamur iamdudum, cuius utinam καταστροφὴ complectatur συμφορὰς ἀγαθὰς. Sed eventum permittamus Deo: causa certe perturbationis vel commotae vel auctae, est inhumanitas et imperitia ac barbaria. De qua re neque dicemus, neque queremur, in praesentia quidem, amplius. Me autem credo vel potius certe scio, si aliud quidquam est quod credam aut certo sciam, ut noster inquit Sosia, credo ego, me et pio et non experte utilitatis studio hanc operam navasse institutioni puerili, quam Plautinarum fabularum castigationi impendi: eamque, oro Deum, ut ad Christi potissimum gloriam adiungat, deinde et ad rerum humanarum compositionem atque prosperitatem accommodet, adductis sententiis et lingua hac in parte ad

certam quandam rationem, in observatione et notatione proprietatis sermonis, de principiis simplicis et puri cotidiani usus illius. Vt enim meum quantulumcunque profectum in literarum studio, ita omnium incoepta et conatus et diligentiam cupio et opto inservire nomini Christi, et dirigi ad celebrationem illius et illustrationem doctrinae evangelicae. Id autem quod nos praestitimus, aestimandum aliis relinquo etc.

IOACH. CAMERARIVS
FRANCISCO CRAMMIO

Dum tu terras et maria obis, et mandatas res exequeris, non hic, ut solemus, concesso otio utimur, dum licet: et studia ac literas nostras colimus, quasi diu multumque usus aliquis harum futurus sit; facimusque similiter in hac parte, quemadmodum in re familiari graecum epigramma faciendum esse praecipit, ut tanquam semper haec duratura sint, ita colligamus atque condamus adiumenta artium bonarum, in opinione etiam, fore ut a posteritate promantur ea, quae a nobis reposita atque conservata sint. Sed iidem, ut verum fatear, ita his studiis fruimur, et ea in augendo et amplificando est incuria nostra, quasi omnia mox interitura sint. Sed de eventu, ut par est, permittantur Deo omnia. De nostris autem rationibus iudicium esto bonorum; in quas dupliciter inquiri posse video. Primum, ut dubitetur, an omnino talia scripta, qualia nunc publicamus, pietatis et religionis studio, quod praecipuum esse debet, consentanea esse videantur. Secundo, ut quaeratur, cur non aliis potius in libris tantum diligentiae et operae positum sit. Ego vero, quum de utroque me iam ante accurate disseruisse confidam, in praesentia possum breviter haec explicare. Neque enim ego is sum, quem pudeat suae artis: neque reperio quam spem eruditionis faciam ulli, absque cognitione utriusque linguae graecae ac latinae. Hae vero quomodo perdisci poterunt, negle-

cta et inobservata proprietate utriusque? Atque id est profecto, quod omnibus temporibus, etiam illis quibus studia doctrinae maxime viguerunt, paucissimi praestantes eruditione viri reperti fuerint. Non defuit illis quidem naturae, et ingenii bonitas, non fugerunt plerique etiam industriae et studii laborem. Haec autem neglectio corrupit rem, quod non curarunt ne suae quidem linguae proprietatem intelligere atque perspicere. Ex hoc et diversitas ac dissimilitudo sermonis nata, et dissidium sententiarum ortum, et tandem doctrina omnis, posthabita eruditione literarum, depravata fuit. Haec scio neque satis intelligi, et derideri a plurimis. Sed quid nos in referendis et approbandis rationibus nostris aliud possumus aut debemus facere, quam ut ea commemoremus, quae nos animadvertimus atque notavimus? Quae sane videantur levia, nisi omnium aetatum atque temporum exemplis confirmantur, quibus manifestum fit, veritate orationis non custodita secutum hoc esse, ut eruditio literarum contemneretur: et ita mox doctrinam degenerare coepisse, et tandem penitus fuisse corruptam. Nam quam etiam reipublicae calamitatem attulerit hoc malum, nunc non disputabo, ne quis veluti θέσιν hanc declamitari a me existimet. Doctrinam quidem bonarum artium et studia sapientiae non solum dignitatem conciliare rebus humanis, sed salutem etiam et incolumitatem praestare in terris, cui persuasum non est, erga illum esset alia disputatione opus: quam hoc tempore et argumento suscipiendam non putavimus. Sit igitur hoc demonstratum, neque sine doctrina vitam recte et laudabiliter degi, neque doctrinam sine eruditione literarum consistere, neque hanc ullam esse absque graecae et latinae linguae cognitione, neque percipi

illas posthabita proprietatis consideratione posse. Quae si vere collegimus, consequens erit, ab iis quorum provincia est literarum doctrina, operam quae in scriptorum talium, Plautinorum praecipue, si latina lingua discenda sit, explicatione ponitur, non male, ac potius praeclare et utiliter sumi. Plautina enim scripta quo minus cura quasi concinnata, et arte elaborata sunt, eo manifestius atque certius in his proprietas et natura sermonis latini conspicitur. Haec autem duobus praecipue continetur: verborum simplicium vero usu, et inter se iunctorum debita constructione. In priore significatio singulorum, in posteriore sensus animi declaratio spectatur. Itaque illa vocabulorum, haec figurarum in loquendo cura et observatio est. De quibus indicandae rei gratia tantum nos dixisse satis sit. Alterum videri possit ad explicandum difficilius. Quomodo enim non discrepabunt haec scripta a doctrina pietatis et religionis, quum sive sacrorum seu profanorum mentio fiat, summa in his levitas, et omnia falsitatis ac errorum plena esse reperiantur? Quid ego dicam de iis, in quibus delicias faciunt auctores istorum scriptorum? iocos inquam illos obscoenos, et turpitudinem extremam, qua non modo aures piae laedantur, sed animi etiam saucientur et voluntas depravetur, et cupiditates malae excitentur. Poterant plura enumerari contraria sanctissimis praeceptis, et salutaribus monitis pietatis et religionis, quae comprehensa sunt et tradita in his scriptis. Et ut verum fatear, huiusmodi cogitationes me non parum aliquando conturbarunt. Sed, ut opinor, vere responderi et expedire haesitantem hoc potest: non proponi, si quid est talibus scriptis expositum improbe, aut turpiter dictum vel factum, ad sequendum et exprimendum,

non magis quam parricidia et adulteria tragica: sed potius ad execrandum et detestandum atque refugiendum, cum aliis in considerationibus, tum praecipua irae Dei atrocissimae, qua ignorantes ille veritatis, eos qui in hoc mundo esse vellent praestantissimi virtute et sapientia homines, ad eam passus est perversitatem prolabi, ut de nefariis flagitiis et foediss. turpitudine iocos ludosque facerent: utque congregarent iis temporibus, quae divino cultui essent consecrata, omnes utriusque sexus, cuiusque conditionis et aetatis cives, ad haec dedecora vitae atque morum audienda ac spectanda. Quod si iam aliquem qui ista legit, quasi titillarit voluptas et libido, ut si cui videatur fortunatus fuisse Agamemnonii coniugii atque regni subsessor, is paululum se tanquam rationis remigio inhibeat, et finem intueatur, illaque tam scelerum quam flagitiorum ἐπιχείρια, ac postea statuat quid de his sentire et amplecti conveniat. Nam ut Deus impunitam esse audaciam scelerum non sinit, ita neque petulantia flagitiorum caret supplicio, sive immania utraque sint, seu communis vitae huius peccata. Quod si cui singulorum correptio et poena minus manifesta est, is hanc omnium quibus mendacia potiora sunt veritate, miseriam intueatur, caecitatis animorum, tam in iudicii perversitate quam voluntatis depravatione. Qui, etsi non est eis obscura sententia Dei, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εισὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν, ut inquit Paulus. Haec igitur horribilia sunt, neque sunt occulta, sed manifesta et ante oculos. Vt autem si quis incòncesso alicuius matronae amore flagrans sciat se in insidias delatum esse, et versari in periculo, ne deprehendatur ἐπ' αὐτοφώρῳ, numquid il-

lum non magis tum cupiditas extimulatura, sed impendentis exitii metus ad curam salutis suae conversurus esse videatur? Similiter et haec dum audiuntur et leguntur, assit hic sensus irae Dei, et metus iusti supplicii, atque ille pruritus facile reprimetur. Aut si in aliquibus hoc non fiet, et erunt ii pauci numero, et plane deplorati quidam, et ἀδόκιμοι τὸν νοῦν. Sed aetas, inquiat aliquis, puerilis, cui tu ista potissimum apparas, incautior et imprudentior est, et levior, quam talia ut cogitet et perpendat. Discere haec igitur pueros volumus, et iubemus tradi diligentius, quam illa quorum causa proponuntur, sermonis nimirum naturam et proprietatem ut perspiciant. In quo si quid iam forte delinquatur, non nostra haec culpa futura est, sed illorum quibus hoc onus incumbit, ut scholasticis muneribus eos praeficiant, qui recte et ordine administrare omnia sciant. Atque utinam haec damna morum averti, et ista vitia emendari possent, quibus iam consuetudine et more laeditur educatio et institutio puerilis, publice ac privatim, non modo exemplis tam externis quam domesticis, sed praeceptis etiam traditionum quarundam, quibus manifesta quaedam πλημμελήματα sanciuntur. Hoc illud est, quod huius saeculi corruptio indies fit maior: utque disciplina omni soluta, audiantur quidem alicubi praecepta et monita pietatis, religionis, virtutis, continentiae, moderationis, castitatis: sed quum inde suam quisque eunt diversi domum, nullus est illo pacto sicut illa iusserant, secundum Plautum nostrum. Quid ita? Quia omnia aliter fieri, et pleraque non modo in improbitate et turpitudine animadversionem effugere, sed approbationem invenire cernuntur. Reprehenditur ebrietas: et hoc mox inter pocula recitatur esse factum, et con-

tinuatur nihilo minus. Quid alia? fraudes, imposturae, luxus? An pro inhonestis iam habentur? Immo contra haec ipsa propositae edictiones, eos qui exercent protegere ac tueri videntur. Non possum in dolore, neque debeo hoc loco, de his plura dicere. Sed haec est profecto occasio omnis deformitatis, et criminum aetatis nostrae: qua nisi emicuisset lux veritatis, iamdudum in tenebris oppressa omnia, et confusa iacerent fluctuantia in errorum quasi undis, et tandem illisa scopulis, veluti navis, quae pelagi iactatur gurgite vasto, dissiparentur, et disiecta interirent. Sit nostrum opus parvum: est enim initii, quod speciem habere, aut magnum videri non solet. Hoc tamen agimus, et hoc conamur, ut id quod discendum esse credimus, recta via et ratione doceatur. Ostenduntur bona saeculo nostro eximia; haec si non appetere neque conciliare sibi homines voluerint, quid aliud existimem futurum, quam mox ut amissa cum ingenti dolore et misera, frustra requirant: οὐδὲ, ut ait Xenophon, τὸ μὴ λαβεῖν τἀγαθὰ οὕτω χαλεπὸν, ὥσπερ τὸ λαβόντα στερηθῆναι λυπηρόν. Confirmanda autem est mens in hac parte, ne fluctuet, neu haereat in dubitatione, qua fieri posset ut aliquando graviter et periculose commoveretur. Nam conturbatis rationibus animorum, atque iudiciis obscuratis, mirabiles errores stabiliri, et absurdissima saepe dogmata asseri solent. Scimus quaesitum fuisse a veteribus quoque, eruditis illis et doctis viris, cultoribus religionis christianae, utrum permittenda esset lectio librorum eorum, quos a veritatis cognitione alieni quocunque argumento composuissent, graece hos secundum Paulum τοὺς ἔξω vocarunt. De quo alii aliter. Nam ii quibus illae ἀναχωρήσεις καὶ ἀφωρισμέναι μοναὶ et eximiae ἀσκήσεις in coërcenda appetitione naturali

placuerunt, hoc genus lectionis prorsus a suis removerunt. Ideo maxime, quod non carerent illa scripta voluptate quadam leniter titillante animos, quos assuefieri ad ἀπάθειαν oporteret: ita enim habitum quemdam vocarunt, quo hoc fieret, ut cogitatio neque laetitia quasi difflueret, neque tristitia contraheretur, reconcinnantes ad suae professionis formam Stoicum dogma. Alii aequiores non repulerunt quidem ab his libris Christianos: sed et quo consilio atque proposito illi legi, et quo modo ac attemperatione pueris proponi deberent, disseruerunt. Cum prioribus illis si quis disputare vellet, longa esset et varia oratione opus futurum. Et multi etiam totam illam separationis προαίρεσιν non probant, et in hac superstitionem implicitam esse negari non potest. Hoc sane fatendum, si quis sapientum et eruditorum veterum scriptis ad malarum cupiditatum fomenta, aut etiam incendia abutatur, et ita lectioni indulgeat, studio eum occupari indigno vitae et moribus et sententia christiana. Sed propter hoc vitium lectionem librorum istorum omnino damnare, est eiusmodi, ut si quis propter libidinosam aliquorum et prurientem spectandi imagines mollius atque venustius pictas intentionem, censeat undique ab omnium oculis et aspectu imagines esse amovendas. Immo tollatur voluntatis illa perversitas, et cum mens veritate doctrinae ad amorem castitatis convertatur, tum affectiones omnes animi disciplinae severitate refrenentur: ita poterit et hic spectator, et ille lector etiam, suavitatem quandam intuendo et cognoscendo percipere, neque honestatis neque pietatis neque utilitatis expertem. Nam quod ad ἀπάθειαν istam attinet, γοητεία est haec quidem, dum praestigiis quibusdam eum qui homo sit, facere conantur ut non homo esse videa-

tur usque adeo, quemadmodum laudans hanc Evagrius inquit, λαλῶν διεστραμμένα, secundum Paulum, ut etiam ferarum natura induatur, τῆς τε ἰδέας παρατραπείσης, καὶ τῆς γνώμης λοιπὸν οὐ συμβαινούσης ἀνθρώποις. Quod quidem neque rectum, et deforme ac omnino perniciosum est, id de hac opinione iam corroborata manavit, ut de ecclesiasticis studiis disciplinae bonarum artium excluderentur: ita doctrina sublata, et introducta barbarie, postquam iam tanquam in Troianorum castris Homericis, οὐχ ἦεν ὁμὸς θρόος οὔτ' ἴα γῆρυς, ἀλλὰ γλῶσσ' ἐμέμικτο, quo tandem ecclesiastica res reciderit, videmus. Sed de his neque breviter dici potest, neque prolixe nunc quidem debet. Cum illis autem alteris in hoc plane consentimus, neque inconsiderate pueris ista scripta proponenda, neque temere ab ullo legenda, et accurate atque prudenter cum enarranda, tum cognoscenda esse. In aliis quibusdam rationes ipsorum minus videntur esse explicatae. Sed hoc nobis satis est, quod dant, et legenda, et in scholas proferenda esse: idque accipimus; et quod addunt, circumspecte et caute, id vehementer etiam laudamus. Atque utinam hac in parte cum voto nostro eorum voluntates congruerent, quorum et sententia ac auctoritas in constituenda hac reipublicae parte plurimum valet, et eae sunt copiae ac vires, ut sustinere atque perficere possint, quidquid susceperint ac voluerint. De quo tamen quum in hac et rerum perturbatione, et hominum sollicitudine, et temporum miseria, quid sperem non habeam: si meo qualicunque labore inservirem patriae, et pueritiae studia dirigerem, et adiuvarem conatus tam ingredientium, quam alios deducentium in haec exordia eruditionis literarum et doctrinae, unde ad omnem sapientiam et virtutem

procedi, et cum ad civiles administrationes, tum verae religionis atque pietatis respectum ac cultum praeparari animi solerent, atque possent: hanc inquam operam diligentiae et laboris mei, et Deo gratam, et nostris hominibus utilem fructuosamque fore credidi. Confidoque etiam alios bonos, et ab humanitatis sensu non abhorrentes, neque improbaturos iudicio suo rationes et lucubrationes istas, et favore quoque persecuturos esse. Sed ταῦτ' εἰς θεὸν χρὴ πάντ' αναρτήσαντ' ἔχει·. Nos eo, unde digressi sumus, revertamur. Manemus in sententia, studia utriusque linguae excolenda esse: et esse hanc viam ad scientiam et veritatem, quibus et cultus Dei, et hominum communitas continetur ac durat etc.

DE CARMINIBVS
COMICIS

De Plauto fabularum istarum auctore pauca dicam: in primis ut constet quo tempore vixerit: hunc incidere in aetatem Catonis, quo et ipso Censore mortuum esse, scripsit Cicero, ante se Cos. CLX annis; hoc est ab V. C. circiter D, P. Claudio, L. Portio Coss. Cuius aetatis, in quam Naevius quoque includitur, participes fuere ultra citraque Ennius, Caecilius, Pacuvius, Terentius. Pacuvium quidem ac Caecilium male locutos Cicero ait. Ennium et Naevium probat. Sed nostro studio relictus est Plautus et Terentius tantum. De his igitur petenda forma latinae locutionis, et sternendum quasi solum, super quo oratio bona et diserta, verbis et sententiis apte constructa collocetur. Non enim compositio, neque veluti aedificatio qualis esse debeat illius, hinc cognosci aut disci potest. Etiam munditiae et nitori, et, ut ita dicam, innocentiae ac integritati sermonis antiquitas officit, cum quia omnium rerum est sua elaboratio et perpolitio, quae perfectio existimanda, tum quod studium elegantiae ut in vita, sic sermone quoque illa non usurpavit. Quapropter posteriores in sermone priorum nonnulla mutarunt emendantes, formam certe componendo, et quasi coagmentando atque reconcinnando reddiderunt et pulchriorem et meliorem. Haec iam illa est certa et constans, atque omnium eruditionis atque boanrum artium cupido-

rum imitationi sola proposita, Ciceronis, et eorum qui aetate illa vixerunt: sed Ciceronis, ut principis et auctoris latinae linguae, de quo alibi disseruimus copiosius, quum contra reprehensores huius studii disputaremus. Haec autem qui perspexerit, in Plautinis et Terentianis scriptis ita versabitur, ut quasi materiam orationis bonae, et si fas nobis est dicere, eloquentiae latinae ab illis sumat, neque in delectu vel verborum vel figurarum sermonis allucinabitur. Sed de hoc iamdum satis. De comico autem carmine etsi alii scripsere, quae et magnifacio et probo, tamen nostro quoque studio existimo adhuc loci aliquid relictum esse. Quum res illa quidem eiusmodi sit, ut penitus comprehendi et omnium etiam diligentia quasi enucleari his temporibus nequaquam posse videatur. Quo autem est difficilior labor, eo assiduitatis plusculum in vestigando adhiberi convenit. Nihil autem tam est abstrusum, de quo non aliquid, si saepius et studiose exquiratur, erui posse sperandum sit: τὸ γὰρ ζητούμενον, inquit Sophocles, ἁλωτὸν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον. Minus autem certe turpe est, in eo a quo quamplurimos magnitudo et obscuritas deterruerit, quantumvis modicos, quam illorum vestigiis insistentem nullos progressus fecisse. Si tamen est adeo digna res, ubi quis nervos intendat suos, ut ait Terentius. Quod quidem ita esse nobis persuasum est, et senserunt omnes qui aliquam famam eruditionis literarum et doctrinae consecuti fuerunt. Quum quidem non solum bestiae demulceantur numeroso sono, sed solitudines etiam atque silvae quasi afficiantur, ita respondent carminibus. Qui Musarum reliquias in cura bonarum artium non amplectetur vel etiam contemnet, eum nos quidem nimis aut fastidiosum aut barbarum quoque esse iudicabimus.

Etsi fatemur in hac parte supervacaneum, et in quodam inconcesso amore Musarum insanum studium impendi non oportere, ne sequentes volucres illas, hoc remigio destituti, ut de Pyreneo fabulae tradunt, in exitium nos praecipitemus. Sed ad rem accedamus: pauca quidem quasi praefati de horum scriptorum genere. Comicus Poëta fuit Plautus. Comoedia autem est poëma δραματικὸν, hoc est expositio numerosa, id est, carmine comprehensa, et in actionem implicita, seu collata in personas, argumenti ficti, de rebus, casibus, negotiis sumptis e vita communi, et quasi cotidianis eventis. Hoc carminis genus de Tragoedia fluxit, ut Horatius docuit, qui Thespin dicit invenisse ignotum genus tragicae musae: atque addit:

Successit vetus his Comoedia non sine multa
Laude.

Initia autem fuisse admodum parva et rudia: quum hilares, post labores exactos, diebus festis, concinerent aliquid, et alii, et idem Horatius in epistola ad Augustum perhibet, ubi dicit, ab innoxiis iocis libertatem hanc ad intolerabilem licentiam provectam fuisse. Qui primus autem comoediam scripserit, non constat. In libro qui Aristoteli inscribitur de Poëtica, inter alia et haec leguntur: Siculos sibi vendicare inventum comoediae: fuisse enim Epicharmum ante Chonnidem et Magnetem: et uti nominis quoque testimonio. Esse enim certe comoediam, non ἀπὸ τοῦ κώμου, sed ἀπὸ τῶν κωμῶν, id est non de hilaritate et exultatione, sed de pagis appellatam. Sed ab Atheniensibus pagos non κώμας, verum δήμους vocari. Similiter et quosdam Peloponnesiacos ait suum facere inventum tragoediam, quod fabulae δράματα dicantur: quum tamen Atheniensibus in usu non sit

verbum δρᾶν, sed πράττειν. Ibidem et hoc scriptum est. Ab eo demum tempore comoediae auctores celebrari, quo formam illa et speciem quandam nacta fuerit, quum principio obscura esset, et auctores ipsius laterent. Sed comoedia quae priscis temporibus in usu fuit, qua nominatim hi aut improbos aut inimicos suos perstringebant, principum etiam virorum vitam et mores reprehendentes: haec igitur antiqua dicta est. De cuius licentia κωμῳδεῖσθαι vulgo dixere eos, qui probris incesserentur. Huius auctor vetustissimus nominatur Sannyrio. Sed excellentes fuere temporibus belli Peloponnesiaci:

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque, Poëtae.

Haec postea fuit mutata, quum dolerent, ut inquit Horatius, cruento dente lacessiti. Tum nomen obtinuit Mediae, quae dissimulato nomine vitia tantum exagitaret:

——— Quin etiam lex,
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quenquam
Describi. ———

Atque ferunt Eupolin in mari submersum ab iis quos maledictis laesisset. Tum igitur tragoediarum fere argumenta detulerunt in scenam, retexta ad ridiculum modum; deque hoc genere Chorus paulatim defluxit. In quo prae caeteris clarus fuit Plato Comicus. Hanc secuta est nova comoedia; in qua primas tenuit Menander, potiente rerum Alexandro magno, atque haec Chorum omnino non habet, sed ornatu vario et multiplici personarum insignis est. Atque haec indicanda breviter et strictim putavi, de initiis ac progressionibus comoediae apud Graecos. Apud Latinos autem, scenicos ludos institutos fuisse C. vel ut alibi,

T. Sulpitio Baetico (vel ut alibi Potito) Licinio Stolone Coss. annotavit Valerius: et paulatim ludicram artem ad satyrarum modos perrexisse, a quibus primus omnium poëta Livius ad fabularum argumenta spectantium oculos et animos transtulerit. Cicero autem scripsit, Livium primum omnium fabulam dedisse, annis fere CCCCX post Romam conditam; fuere autem celebrati primum ludi romani patrum et equitum, qui et magni: ludicrum autem equi et pugiles, ut Livius memorat, libro primo, qui et ludorum plebeiorum mentionem fecit l. XXIIX. Idem Livius quo tempore et qua de causa instituti esse ludi scenici dicti sint, copiose eadem quae Valerius, retulit libro VII. Quod tempus est urbis circiter CCCXC. Idem tamen lib. XXXVI scripsit, ob dedicationem aedis Matris magnae primos ludos scenicos factos, Valerium Antiatem esse auctorem, Megalesia appellatos: quod tempus distat a priore annis pluribus CLXV. Cicero Livium fabulam docuisse, ut retulimus, scripsit in Bruto, et prima Tuscul. Claudio et Tuditano Coss. anno A. V. C. CCCCX. Hoc Gellius retulit in annum DX; ideoque fuere qui apud Ciceronem numeros mutandos censerent. Quod nobis fieri oportere non videtur, quum ipse Cicero indicet, alios haec aliter exposuisse, et res sint inexplicabiliter confusae. Sed postquam componere fabulas argumentosas Poëtae latini coeperunt, sequentes et vertentes Graecorum scripta, in hoc genere magna licentia usi fuerunt. Quum autem essent Latinorum propria quaedam poëmata, ut Atellanorum, videntur libertatem illam in graecis et latinis argumentis Poëtae latini, non tam fuga laboris et cupiditate edendi sua, ut Horatius putat, quam necessitate quadam custodiisse, ne aures civium pe-

regrinitate offenderentur. Ita factum puto, ut neque intra trimetros constiterint, neque Graecorum exquisitionem et quasi normam, ad quam numeros illi exegerant, hi servarint. Sed nunc deinceps de ratione horum et carminum comicorum structura, quae nostra diligentia observavit, quaeque postulare videtur lectio fabularum latinarum, breviter quidem disseremus: ita tamen, ut fortasse nondum ab aliis demonstrata, indicemus. Metra praecipua sunt novem: Iambicum, Trochaicum, Dactilycum, Anapaesticum, Choriambicum, Antispasticum, Ionicum a maiore, Ionicum a minore, Paeonicum. E quorum numero nunc eximemus Iambicum et Trochaicum, deque iis, quae videbuntur, dicemus. Iambicum metrum a principe pede nomen habet: qui a conviciis appellatus fuit, ut placet Aristoteli; quumque sit maxime conveniens sermonibus (nam fortuito etiam loquentes, iambos crebros proferimus),

Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus et natum rebus agendis,

ut ait Horatius. Hoc carmen quum purum est et integrum, omnibus in locis iambos habet: ut apud Catullum:

Phaselus ille quem videtis hospites
Ait fuisse navium celerrimus.

Et Horatium:

Beatus ille qui procul negotiis.

Quo autem gravius paulo in tarditate procederet iambus,

Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter.

Sed neque Tragici hoc, inprimis Latini, servarunt, et Comici omnibus in locis collocarunt pedes sine discrimine, quinque: Dactylum, Anapaestum, Tribrachyn, Spondeum, Iambum.

Syllaba longa brevi subiecta, vocatur iambus.

Deos, *cliens*, *ferox*; quae si ambae breves sint, pyrrichius is pes vocatur: *lege*, *here*, *grave*.

Spondeus habet duas longas: *exlex*, *concors*, *amens*.

Trybrachys tribus brevibus constat: *domine*, *canere*, *misera*.

Anapaestus, duabus primis brevibus, postrema longa: *silices*, *rabies*, *patiens*.

Dactylus, prima longa sequentibus duabus brevibus: *litera*, *scribere*, *musica*.

In Latinis Comicis rari iambi sunt, etiam in trimetris, qui sunt senarii. In integro tamen iambico, vult esse ultimus pes hic, aut propter ultimae indifferentiam: pyrrichius quintus, quasi definiens numeros ac versum; sicut in dactylico, dactylus. Horum loco quum spondeus ponitur, ii versus tum σπονδαίζοντες et σπονδαϊκοι dicuntur: ut,

Armatumque auro circumspicit Oriona.
Apollinarem conveni meum; *scazon.*

Claudicare enim hi versus putantur, et σκάζοντες nominantur, et χωλιαμβοὶ. Comici autem, ut dixi, numeros ideo minus distinxerunt, ut similitudo sermonis communis custodiretur. Itaque Cicero in Oratore sic ait: At comicorum senarii propter similitudinem sermonis, sic saepe sunt abiecti, ut nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit. Haec confusio quum est maxima, tum carmina vocantur ἀπεμφαίνοντα, id est immanifesta, et ἀνάρμοστα.

Exclusit, revocat, redeam? non, si me obsecret.

Qui versus, si producas penultimam, erit dactylicus σπονδειάζων.

Tres unam pereunt adolescentes mulierem:

totus dactilycus, praeter ultimum iambum.

Hoc genus et ad octonarios perducitur a Comicis, qui sunt τετράμετροι, a Latinis etiam quadrati vocantur. Habet apud eosdem et κατάληξιν, ita ut ad senarium additus amphibrachys, id est syllaba brevis longa brevis: aut bacchius id est, syllaba brevis longa longa (ultima enim syllaba omnis versus est indifferens), hos numeros perficiat.

Nam si remittant quippiam Philumenam.

Hic est τρίμετρος. Addantur illae tres syllabae, *dolores*, et erit iam τετράμετρος καταληκτικός. Nam in hoc genere alii pedes, quam supra memorati, non nominantur. Sed neque servarunt hoc, ut ante κατάληξιν semper esset iambus: neque non pro syllaba longa catalectica saepe duas breves posuerunt:

Edepol lenones, meo animo, novisti Lusce lepide.

Ante κατάληξιν τρίβραχυς est:

Tacuisse mavellem, hau male meditate male dicax es.

Ante κατάληξιν est spondeus:

Bene ego istam eduxi domi meae et pudice,
si huius miseret.

Ante κατάληξιν est dactylus:

Nunquam me orares quin darem; nunc illum te
orare melius est.

Lius est, in unam syllabam concrescunt.

Hi versus appellantur hipponactei, ab auctore, et latine septenarii: tum enim, Priscianus ait, Varronem scripsisse, fieri septenarium, quum ad senarium iambicum trisyllabus pes addatur, hoc modo,

Quid immerentibus noces? quid invides amicis?

Talia sunt Aristophanea in Pluto, quorum primum hoc:

ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταυτὸν θύμον φαγόντες.

Trochaicum carmen est iambicum commutatum.

Trocheus a volubilitate et ratione nomen habet, contrarius pes iambo, constans longa et brevi, *scribe*, *musa*, *verba*.

Hoc iambum non admittit, quemadmodum neque in iambicum trocheus ingreditur. Etsi reperitur etiam in Graecis τροχαϊκὸν τετράμετρον καταληκτικόν, in cuius quarto loco ponitur iambus, ut in Nebulis:

ὦ θεώμενοι, κάτερῶ πρός γ' ὑμᾶς ἐλευθέρως.

idque εὐπολίδειον ἀσύστατον vocarunt.

Sed multo maiore licentia Latini usi fuerunt, et passim, ut videtur, inseruerunt iambos. Docent autem ita fieri hoc carmen, si ad senarium iambicum addamus creticon, qui ἀμφίμακρος, id est, syllaba longa brevis longa, ut *aurifex*, hoc modo:

—— *Dii boni,*
Boni quid porto? sed ubi inveniam Pamphilum?

Et:

—— *Laetus est,*
Nescio quid; nihil est: nondum haec rescivit mala.

Ita hos numeros composuisse Archilochum perhibent, atque ab eo μέτρον ἀρχιλόχειον dictum. Sed hoc non servarunt Comici, praesertim Latini, ut se-

cundam syllabam brevem semper facerent, quod praeceptum de cretico subiicit; quum in hoc versu ubique reperiatur dactylus, anapaestus, spondeus, trocheus, τρίβραχυς.

Apage, non placet me hoc noctis esse: coenavi modo.
Quid si ego illum tractim tangam ut dormiat? servaveris.
Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.
Facinus, nequiter ferire malam male discit manus.
Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.

In fine esse ante κατάληξιν debet trocheus, ut carminis ratio appareat, sed reperitur et τρίβραχυς, ut:

Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas hominibus.

Et Aristoph. ὦ σοφώτατοι θεαταὶ, δεῦρο τὸν νοῦν προσέχετε. Saepe autem multumque usi fuere hoc carmine Archilochio Comici, et illo plurimas sermocinationes composuerunt. De aliis generibus quid dicam, aut quomodo in latinis comoediis indicem, non habeo. Etsi Sisenna, referente Rufino, anapaesticum metrum in Aulularíae quadam scena esse dixit, sed concisum ita, ut non intelligatur. In his igitur nos frustra torquere, praesertim tam foede corruptis exemplis, et in metricae nequaquam exacta cognitione, nihil necesse, vel potius curiositatis hoc fuerit, otio non admodum liberaliter abutentis. Confusa quidem, id est, συγκεχυμένα μέτρα plurima sese offerunt passim tam in Plauto, quam Terentio; in quibus iambus et trocheus, et alii pedes ingredientes haec metra, collocantur promiscue. Quod autem ad καταλήξεις et βραχυκαταλήξεις et ὑπερκαταλήξεις attinet, de eo magis suspicari possumus, quam certi aliquid demonstrare.

Qui tamen cogitatione non illiberali his de rebus sese occupare voluerint, ii primum ad exemplum aliquod rationem numerorum in versibus conferent, et ita informabunt animo qualemcunque notionem horum. Ponatur igitur hoc: numeros esse aptos quosdam et determinatos, et consentaneos sonos vocis humanae. Hi quum in voce natura insint, in oratione quoque inesse oportet. Sed quum abest cura compositionis, et ars quaedam veluti structurae, facile illi dissipantur et delitescunt. Atque hoc est quod Aristoteles poëmata sua sponte exstitisse, et fortuito prodiisse ait, ipse αὐτοσχεδιάσματα vocat. Haec concinnitas quaedam in omnibus linguis reperitur, ad quam aurium observatione adhibita, versus extitit, elaboratus studio et arte ingeniosorum et doctorum hominum, et processu temporum ita suo quisque in genere perfectus, ut nihil fieri elegantius neque pulchrius, aut magis sonorum posset. Potestque de nostris vernaculis cantilenis etiam aliquomodo hoc cognosci, ut, etsi forte hoc ineptum videatur, sed in docere fideliter cupiente nihil ineptum, ut si conferamus haec nostratia ad illa erudita, nonne in his similiter desinentibus, quae nostrum vulgus rythmos appellat, aliquid iambicis senariis simile agnoscitur? et in modis chorearum, quasi anapaesticum est et Paeonicum melos. Sed et in soluta oratione diligentia nunc multorum, accurate verba componens, ῥύθμους, qui sunt numeri, efficit. Certo autem et plane ostendere omnia, id esse eiusmodi puto, ut fieri nequeat; quemadmodum et in aliis quae usu perdita fuerunt, instauratio et restitutio absoluta desperanda est. Citius enim mihi aliquis illud Hesiodeum plaustrum lignorum centum construxerit, quam scenam hoc tempore explicuerit, omnibus partibus et numeris suis,

ut dicitur, absolutam. Hoc tamen dubium non est, in linguae cuiusque usu communi harum rerum rationem consistere, quo labefactato aut amisso, illa quoque vacillet atque confundatur, vel potius non magis appareat, necesse est. Est autem in omni genere carminum varietas numerorum depositionis, ut vocant: ea est versus conclusio, talis quaedam. Versus dicitur ἀκατάληκτος, qui est plenus et integer, et pedes suos habet totos; ut:

Poëta cum primum animum ad scribendum appulit,

versus est iambicus trimeter, qui et senarius ἀκατάληκτος. Sic est ἀκατάληκτος Theocriteus hic primus in Fistula,

οὐδενὸς εὐνάτειρα, μακροπτολέμοιο δὲ ματήρ.

Et postea σκάζων,

μαίης ἀντιπάτροιο θοὸν τέκες ἰθυντῆρα.

Et mox καταληκτικὸς εἰς συλλαβὴν,

οὐχὶ κεράσταν ὅνποτε θρέψατο ταυροπάτωρ.

Et πεντάμετρος deinde, vel καταληκτικὸς εἰς δύο συλλαβὰς,

οὔνομ᾽ ὅλον δίζων ὃς τὰς μέροπος πόθον.

Atque ita usque ad δίμετρα καταληκτικὰ εἰς συλλαβὴν, καλλιόπα et νηλεύστῳ. Nam in hoc genere μονόμετρος ἀκατάληκτος fieret unus pes. Metimur enim omnia genera carminum pedibus duplicatis, praeter dactylicum. Idque et Rufinus testimonio Herodoti comprobavit, veteres factitasse; nam dactylica oracula reddita fuisse ait τόνῳ ἑξαμέτρῳ. Gygis autem facinoris meminisse Archilochum in iambico versu τριμέτρῳ, qui huiusmodi quidam ibi ascribitur:

οὔ μοι γε γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

Est ergo et elegiacus dactylicus, quem, ut scimus, tribus dactylicis pedibus, additi anapaesti duo, absolvunt,

ὅτ, τι δὲ μοῖρα παθεῖν οὔ τι δέδοικα παθεῖν.
Lis est cum forma magna pudicitiae.

Ita penthemimeris utraque coniuncta, et ipsa facit spondeum, ut sic pedes quinque dactylici construantur. Est autem penthemimeris τομὴ πενθημιμερὴς, id est quinaria, quum syllaba in verbo superest post pedes duos:

Arma virumque cano.

Hephthemimeris τομὴ ἐφθημιμερὴς, quum fit hoc post tres pedes:

Mnesthea Sergestumque vocat.

Sed in aliis versuum generibus metra duplicatis pedibus procedunt, ut in iambico est hoc μονόμετρον ἀκατάληκτον, id est, habet duos pedes integros:

Pessima mane.
Optume, odio es.

δίμετρον hoc:

Verebar quorsum evaderet.

τρίμετρον:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

τετράμετρον hoc:

Quid faciam nunc? si tresviri me in carcerem compegerint.

Atque hactenus producti iambici versus exempla adduxisse satis fuerit, etsi grammatici πενταμέτρου quoque formam adiiciunt. Illum autem tetrametrum re-

perisse Boiscum quendam Cyzicenum, ἐπίγραμμα indicat, tetrametri ἀκαταλήκτου, et καταληκτικοῦ, quod legitur in Commentario Rufini de metris Terent.

Βοΐσκος ὡ'πὸ Κυζικοῦ, παντὸς γραφεὺς ποιήματος,
Τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον φοίβῳ τίθησι δῶρον.

Boiscus ille Cyzicenus scriptor omnis carminis
Versus pedum octo repperit, Phoeboque dedicavit.

Verum ad καταλήξεις revertamur. Est igitur καταληκτικὸς, quum deest, quo minus versus compleatur syllaba una:

Date, mox ego huc revertar:

Iambicus δίμετρος καταληκτικὸς. Sit enim *revertero*, nam et hac forma usi verbo fuerunt, erit iam ἀκατάληκτος.

Si mihi perget quae vult dicere, ea quae non vult
audiet:

Trochaicus Archilochius, id est τετράμετρος seu quadratus καταληκτικό. Sit enim *audientur*, erit Trochaicus τετράμετρος omnibus numeris absolutus.

Hypercatalecticus versus est, in quo syllaba una abundat; huius exemplum de dactylicis adducunt:

Alloquitur Venus. O qui res hominumque deorumque.
Iactemur doceas, ignari hominumque locorumque.

Verum diligentiores in dactylico genere ὑπερκατάληξιν et βραχυκατάληξιν nominari oportere negant, sed κατάληξιν εἰς συλλαβὴν, aut εἰς δύο. Ex Plauto Priscianus δίμετρον iambicum ὑπερκαταληκτικὸν esse hunc voluit, *Hospitio publicitus accipiar*; de quo nos dubitare, neque hanc distinctionem servasse, ante indicavimus. Βραχυκαταληκτικός dicitur, quum toto pede deficitur

versus integritas. Vt si μονόμετρος sit *Eheu mihi*, Βραχυκατάληξις erit *Eheu*. Priscianus δίμετρον hunc retulit, *Ita peregre adveniens:* de quo supra. Et iam fassi sumus, haec neque observari, neque exquiri potuisse a nobis, et haud scio an a nullo possint omnium qui nunc vivunt, in tam tenui scientia Musices antiquae, et hac depravatione exemplorum.

Sciendum autem, Comicos latinos, prologos et primas fere scenas pertexuisse senariis iambicis, qui sunt τρίμετροι ἀκατάληκτοι. Plautus tamen et in Amphitruone et alibi, in primis statim scenis numeros mutavit. A trimetris autem ad longiores pervenerunt, ut τετραμέτρους:

Mirabar hoc si sic abiret, et heri semper lenitas.
Ne forte imprudens faciam quod nolit, sciens cavebo.
Quid? credebas dormienti haec tibi confecturos deos?

Nec non concidisse reperiuntur versus, ut subiicerent longis breviores: nec non confudisse numeros, ut miscerentur trochei et iambi; de quibus iam satis dictum. Hoc autem silentio praetereundum non est, in iambico et trochaico creticum non esse: quamvis de Archilochii trochaici structura ille praecipiens, Rufinus ut ferunt, hoc scripserit:

Creticon Archilochus supra caput addit iambi.

Nam cretici ratio, qui est, ut diximus, ἀμφίμακρος, temporum quinque, ab hoc genere est alienior. Itaque quidam inculcantes in iambicos et trochaicos versus hunc pedem, audiendi, mea quidem sententia, non sunt. Etsi ut verum fatear, hoc dixisse illi videntur, in his versibus reperiri verba, in quibus creticus insit, ut *Edepol* et similia, de quibus postea. Non quod in versu iam sit creticus, sed quod in illis es-

set verbis, si totis syllabis plane proferrentur. Haec sententia est, ut puto, *Scaligeri*, viri eruditi, qui *de versibus comicis* edidit brevem libellum: itaque in eo requisivimus nonnulla, quae minus explicarentur nobis, et viderentur secundum Platonem, τοῦ πατρὸς δεῖσθαι βοηθοῦ, αὐτὰ οὔτ' ἀμύνασθαι, οὔτε βοηθῆσαι δυνατὰ αὐτοῖς. Ad numeros versuum comicorum expediendos assumenda sunt ea quae Graeci πάθη nominant λέξεως, quibus et dilatantur et contrahuntur dictiones. Idque nimirum tum loquentes communiter fecerunt, ut pluribus aut paucioribus syllabis verba enunciarent, quam nos de scriptura, aut secundum rationem versuum nobis notam. De qua re nunc etiam breviter quaedam memorabimus.

Dilatantur verba dissolutione, seu divisione syllabarum, quae est διαίρεσις. Vt *iam* δισυλλάβως. Quod et Scaurum Rufinus ait indicasse, qui diceret in Pseudolo, *Nunc iam* esse tres syllabas, et Plautum divisisse *iam* in duas. Tale est indicatum in eadem fabula, *Malai*, τρισύλλαβος. Sic et *quis*, *qui*, *quae*, et casus horum diviserunt,

Qui per virtutem peritat, non interit.

Legendum *qui*, δισυλλάβως, si est vera scriptura: de quo quaeretur illo in loco. Sed exempla in Plauto iam multa indicavimus. Apud Horatium lib. II Carm. Oda 3:

Ramis quo obliquo laborant.

Est enim versus iambicus dimeter ὑπερκαταληκτικός: etsi et alia ibi lectio est. Huc pertinet *calim* pro *clam*, ut Festus ait. Et in diversis verbis hiatus vocalium. Quod tamen non fecisse Latinos, nisi poëtas quosdam, Cicero in Oratore scripsit, qui ut versum fa-

cerent, saepe hiaverint. Ennium semel, *Scipio invicte*; et se,

Hoc motu radiantis etesiae in vada ponti.

Sed sunt et apud Maronem huius divisionis exempla:

Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.
Insulae Ionio in magno.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.
Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.

Apud Horatium, lib. I Carm.

Ossibus et capiti inhumato.

Apud Lucretium, Lib. V:

Passim per coeli volvunt se inania templa.

Et libro secundo:

Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

Vbi tamen et διαίρεσις esse potest dictionis *qui*; ut in hoc versu:

At contra quae amara atque aspera cunque videntur.

Et apud Horatium rursum lib. III Carm.

Iam virum expertae male ominatis parcite verbis.

Et Sermon. lib. I Satyra 9:

Si me amas, inquit, paulum hic ades.

Item quum retinetur litera *m* ἀνέκθλιπτος, tum collisio usitata fieri non potest, ut

Insignita fere tum milia militum octo.

Vt Horatius:

Nil opus est te circumagi.

Lucret. lib. III:

Namque papaverum aura potest suspensa, levisque.

Et libro I:

Corporum in plumbo est.

Et rursus:

Plus in se corporum esse.

Et mox:

Corporum augebit numerum.

Et paulo post:

Corporum atque loci.

Et rursum lib. III:

Sed dum abest quod avemus.

Et libro II: *Caeteraque quum ita sint.* Et hoc: *Nam quod fluvidum est.* Atque etiam vocalium concursum et contractionem interposita litera *d*, prohibuerunt. Sicut in *redeo*, *redhibeo*, *redarguo*, *redoleo*, *reduncus*; et in diversis dictionibus, *mederga*, *ted hoc noctis.* Ita longae illae manent, si natura longae sunt. De his exempla quaedam Plautina promiscue ponam, pauca illa quidem, sed de quibus similes loci facile explicari posse videantur:

Iam hi ambo et servus et hera frustra sunt duo.

Iam hi am, est iambus, vel soluta dictione *iam*, vel retenta litera *m*.

Quot pondo ted esse censes nudum? non edepol scio.
Ille opere foris faciundo lassus noctu advenit.
Quamquam invita te carebo, animum ego inducam tamen.
Tu heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus.

Blepharonem ut re divina facta mecum prandeat.
Nimis bella es atque amabilis, et si hoc esset meum hodie.

qui versus omnes διαιρέσει explicari poterunt.

Contractio syllabarum crebrior est. Et apparet fuisse linguam latinam magis aptam ad voces cogendas, quam distrahendas. Hoc illud etiam indicat, quod retulit Cicero lib. II de Divinatione: Quum M. Crassus exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu caricas cauno advectas vendens, *Cauneas* clamitabat. Dicamus, inquit Cicero, si placet, monitum ab eo Crassum, caveret ne iret. Sonuisse enim apparet illud *cauneas*, contractum hoc, *cave ne cas*. Haec indicantur nominibus συναλοιφῆς et ἐπισυναλοιφῆς. Synaloephe, quae et συναίρεσις proprie vocatur, quum duae syllabae in unam veluti confluunt. Vt *Phaethon* δισύλλαβον, pro trisyllabo *Phaëthon:*

Cum te deiectum crudeli fulmine Phaeton.

Nam *a* et *e* in lingua Latina diphthongum faciunt. *Deinde, proinde*, δισυλλάβως, Lucret. *Tandem coierunt*, τρισυλλάβως. *Nihil, nil: Mihi, mi: mehe, me: si vis*, κατ' ἔκθλιψιν *u*, pro consonante, *sis; ille et terris, illet; Sceptroque innisus eburneo, Eburno. pendent lychni laquearibus aureis*, δισυλλάβως.

Libra diei noctisque pares ubi fecerit horas.

Diei, vel *die*, duabus syllabis.

Tale et *rei*, συνηρημένως.

Sic Dii, *Di* sunt, et iit, *it*: periimus, *perimus*. ἐπισυναλοιφὴ autem longius patet, quum qualescunque vocales contrahuntur, deque duabus syllabis una fit. quod saepe nobis mirifice factum videtur in lingua Graeca et Latina, quum in sua fieri nemo miretur, quia minus considerat. Secundum autem diversarum

linguarum naturam diversitas in his est. Sed exempla ἐπισυναλοιφῆς, ad quam quidem et ἔκθλιψις et συνίζησις referenda, haec sunt: *fuit*, una syllaba. Lucret. lib. V: *Et ambiens multa perussit.* Et; *et aequorum duellica proles:* ubi et σύλληψις esse potest, *duel.* Et, *Et sonitu sterilia.* Et, *Nunc scio quid sit amor*: *Sco*, κατ' ἐπισυναλοιφὴν legendum, ut Diomedi placet. *Sodes*, si audes. *Sultis*, *si vultis* κατ' ἔκθλιψιν. *Suam*, sam: *suum*, sum: *suis*, sis: *eum*, im. *eapse*, ea ipsa: *sapsa*, se ipsa.

Postquam lumina sis oculis bonus ancus reliquit.

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.

Quo res sapsa loco sese ostendatque iubetque.

Tuus, tus. *tua*, ta. *suae*, sae: aut συλλύψει μονοσυλλάβως, sicut *suavis*. Est et crebra ἔκθλιψις, et postea contractio; ut *amaverunt, decreverat, commoverit: amarunt*, *decrerat*, *commorit.* Et apud Lucretium, *Irritat virtutem animi:* pro *irritavit.* *Sultis*, pro *si vultis.*

Pandite sultis genas et corde relinquite somnum.

Omnino autem, quo minus corriperetur pronuntiatio, non obstitit veteribus *u* pro consonante: ut *Sine invidia laudem invenias.* Est enim *sin inid.* τρίβραχυς. *Audivi*, *audii.* Eliditur et littera *m*, *Multum ille et terris.* Hanc collisionem vocant. Etiam littera *b* non obstitit interdum contractioni syllabarum: ut, *Abi*, μονοσυλλάβως prolatum. συγκοπὴ est concisio, quum syllabà diminuitur verbum. *Nis*, pro *nobis scilicet*, pro scias licet: *capsis*, pro cape si vis: *emem*, pro eundem: *cette manus*, pro cedite: *actae non alio rege puertiae*, pro *pueritiae.*

Evasti? credo metues, doctusque cavebis.

Vixet, cui vitam Deus et sua dextra dedisset.

Motus quoque supere debet.

Quae me surpuerat mihi. Extritio aut proprie unius tantum litterae est, ut illa ἔκθλιψις litterae *m*, et litterae *u*, pro consonante: et *caldior*, *lamnae*, pro *calidior*, *laminae*; *isthic*, priore brevi; *ab oles*, pro *ab illis*. Antiqui enim litteram non geminabant, ut inquit Festus, qui et *fenstram* dixere, quam posteriores τρισυλλάβως *fenestram*. *Senx*, vel *snex*, pro *senex*. *Edepol*, *Edpol*, *Virgines*, *virgnes*. *Semine oriundi*. Sed magis *universum* apud Lucretium, *Semne* et *unversum*. Sic et in *eveniat*, extrita *i* littera videtur, ut apud Ennium, referente Nonio,

Senex sum, utinam mortem oppetam priusquam eveniat,

Quod in pauperia mea senex graviter gemam.

Quin etiam initiales syllabas quasi absorbentes minus expresserunt. Sed ad extritionem revertamur. Delicuit igitur in latina lingua saepe ac multum in pronuntiatione littera *s*.

Samnis spurcus homo vita illa dignus locoque.

Formido quid ago: da Venus consilium.

Pandite sultis genas.

Puncto temporis reddant.

Huc referenda illa quae a Cicerone memorantur, *multimodis*, *vasargenteis*, *palmetcrinibus*, *tectifractis:* pro multis modis, vasis argent., palmis et cr., tectis fr. Et illae συγκοπαὶ, secundum quas *tali*, et *ala* extitit, de *taxillis* et *axilla*; et *meûm factûm*, *exitiûm*, pro meorum factorum, et exitiorum: quae in quibusdam usitatae admodum fuerunt, *Deum*, *num-*

mum aureum, *liberum*. Quinetiam *duorum virorum* iudicium, aut *trium virorum* capitalium, aut *decem virorum* litibus iudicandis, ait se Cicero dicere nunquam; quomodo ergo? nimirum συγκεκομμένως, *Duumvirum*, et *triumvirum*, et *decemvirum*. Item. *fiet*, *fit*. *Erep.* pro *ex pomeridianas quadrigas*, pro postmeridianas. His addantur ἀποκοπαὶ: *Viden' Ain' satin' Men' Mihin'*, de quibus abscissum est, *ne*, *exin*, *dein*, *proin*, amputato *de*. *Famul* pro famulus. Lucret.

Ossa dedit terrae proinde ac famul infimus esset.

Volup, *Animal*, *Exemplar*: de quibus recisum est *e*; *illi* pro illic; iam de productione et correptione vocalium multa dici possunt, *Fuit fieri*, extenta priore syllaba. *Inclitus*, ut ait Cicero, prima brevi. Secundum haec fiunt mirificae collisiones, elisiones, detritiones, et comprehensiones litterarum ac syllabarum, et pronuntiatione vera, quam saepe nos non possumus coniecturis nostris consequi, versus procedunt: in quibus scriptura non raro, praesertim in dilatando, numeros non servat. Sed nunc et eorum, de quibus multo minus diximus, quam dici potuisset, et tamen satis fuisse plana indicatio videtur, Plautina exempla afferamus; et ita tandem hanc quasi commentatiunculam finiamus.

Similem rem ipse in legem iussit esse Iuppiter.
Aut corripitur *Esse*, aut est κατ' ἐπισυναλοιφὴν. *Similem*, δισύλλαβον.

Vt conquisitores fierent histrionibus.

Histrionibus κατὰ συνίζησιν. Nisi maluerit aliquis *conquaestores*.

Qui ne quo placeret alter, fecisset minus.

Quâ ne quo, spondeus: pronuntiatione mediam syllabam absorbente.

Qui cum Amphitruone abivit hinc in exercitum.

Et mox:

Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu.

Hinc in ex. et, *huc ab ex.* spondei sunt pari ratione concisionis, in brevitate syllaba quasi evanescente.

In tabernaculo: id quidem hodie nunquam poterit dicere.

Simplicissimum est, ut legatur, *tabernaclo.*

Quid in tabernaculo fecisti? victus sum, si dixeris.

Quid in ta, trocheus. Vel ut annotavimus, *Quid in*, κατὰ διαίρεσιν, anapaestus, et, *in taberna*, spondeus.

Ridiculi caussa: vel hunc rogato Sosiam.

Nam hanc veram lectionem puto: *vel hunc*, μονοσυλλάβως pronuntiandum.

Quin, si tu voles, domi servi qui sunt, castrabo viros.

Dmi, μονοσυλλάβως κατ' ἐπισυναλοιφὴν.

Portitorum simillimae sunt ianuae lenoniae,

Aut *portitum* κατὰ συγκοπὴν, aut *simillimae* κατ' ἐπισυναλοιφὴν, pronuntiandum.

Da meus ocellus, da mea rosa, da mi anime, da mea voluptas.

Aut sic, *Damus ocel.* Aut sic, *da ma rosa:* et, *mea voluptas*, *o* brevi absorpto δισυλλάβως, vel *ma voluptas.*

Lenonis hac sunt aedes, male istis eveniat:

Pronuntiandum *evenat* κατ' ἔκθλιψιν litterae *i*.

Credam, pudor si cuipiam lenoni siet.

Pronuntiandum *cuipiam* δισυλλάβως κατὰ συναίρεσιν et συνίζησιν.

Voltisne olivas aut pulpamentum, aut capparim?

Olivas δισυλλάβως ut annotavimus: vel potius, *Voltine*, extrita littera *s*. Quis autem scit utra potius pronuntiatio actori arriserit?

Fateor: abi, deprome: age tu interea huic somnium,

Abi de, spondeus: *huic som*, spondeus, κατ' ἐπισυναλοιφὴν et συνίζησει.

Superstitiosus hic quidem est, vera praedicat:

Quidem est ve, spondeus κατ' ἐπισυναλοιφὴν: haec collisio creberr. occurrit in comicis versibus.

Qui periurum convenire vult hominem, mitto in comitium.

Nire vult, spondeus, elisa *u*, pro consonante.

Quo is homo insinuavit pacto se ad te? per Dionysia.

Quo is ho, τρίβραχυς κατὰ διαίρεσιν syllabae *quo*.

Nam eum pater eius subegit: nunc mea mater irata est mihi.

Nam eum pater, dactylus est: *eius sub*, aut dactylus liquescente *s*, aut trocheus, κατ' ἐπισυναλοιφὴν, ut *eius* una sit syllaba.

Huius quae locuta est quaerere aiebas, filiam.

Huius, κατ' ἐπισυναλοιφὴν, una syllaba: sicut *aiebas* duae.

Ego ad anum recurro rursum. Lampadio obsecro.

Aut est *ego ad anum* anapaestus pronuntiatione, *e* initiale colliquante: aut etiam prioris hoc cum versus ultimae dictionis finali syllaba, ut saepe fit, collidente.

Videar fortasse in his alicui nimis diu immorari, et non necessariam, vel etiam inutilem operam consumere. Veruntamen ego de re neque prorsus negligenda et digna liberalibus studiis, et a plerisque tractata negligentius, dicendum hoc loco aliquid putavi: quod quidem eiusmodi esse confido, ut qui forte voluerint in his versari accuratius, mediocrem occasionem exercendi studium suum habituri esse videantur. Etsi autem haec sunt praecipua, per quae poterunt numeri versuum comicorum expediri, et quasi exsolvi, tamen et alia quaedam ad hanc curam assumenda sunt, et inprimis syllabarum productio, quae ἔκτασις, ac correptio, quae συστολὴ nominatur. Fit autem ἔκτασις, vocali interdum producta natura brevi: ut *fuit*, et *fieri*, quod supra retulimus. Interdum geminata consonante, ut *relligio*, *redduco*, *repperit*. συστολὴ autem syllaba correpta: ut *omitto*, et *reiicio*, et συναιρέσει *reicio*: ut,

Tityre pascentes a flumine reice capellas.

Ita putatur ἐκτεταμένον,

Vitam dederitis in undis.

et *transieritis aquas*. Etsi quibusdam natura flexionis postulare videtur, ut huiusmodi verbis *ri*, syllaba producatur, et illa corripiatur κατὰ συστολήν. Haec et superius indicatorum παθῶν, de Homero etiam nunc quaedam indicabimus. ιλ. σ.

υἱεῖ ἐμῷ κλυτὰ τεύχεα δόμεναι παμφανόωντα.

Est enim δόμεναι, quasi δόμναι, sicut *abietibus*, et *ariete*, et *parietibus;* et hoc Ennianum,

Capitibus nutantes pinus, rectasque cupressos.

In quibus tamen συλλήψεις sunt, pronuntiato ι pro consonante, sicut hoc versu Οδ. γ.

πόλλ' ἐπὶ μηρί' ἔθεμεν.

Est enim μηρί' ἔθε, dactylus. νῦν δ' αὖτέ με φιλέ' ἀθήνη: vel ut alibi, φίλαι ἀθήνη et ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλαθο παλλὰς ἀθήνη. pronuntiandum enim quasi gemino λλ, ut φι longum fiat. Sicut Ιλ. β.

ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι.

Quasi ἀππ. Tale et illud ἄρες, quasi ἄρρες esse videtur. ita et φιλομειδής, ἀφροδίτη, habet λο syllabam productam. Et hic versus similiter pronuntiationis productione sustentatur, Ιλ. γ.

αἰδοῖος τέ μοι ἐσσὶ φίλε ἑκυρὲ δεινός τε.

Nam et aspiratio brevis vocalis pronuntiationem remoratur, et ρεδει, est quasi ρεδδει. sicut ἔδδεισε δ' ἑλένη. Rursum Ιλ. έ.

καὶ νύ κεν ἔτι πλέονας λυκίων κτάνε δῖος ὀδυσσεύς.

Etsi poterat facere καὶ νύχ' ἔτι πλέονας, tamen illud maluit, nimirum pronuntiatione versum expediente, quatuor brevibus syllabis unam longam et duas breves sonantibus; sicut Οδ. ζ.

καὶ τότε φαιήκων ἐς πόλιν ἴμεν ἠδ' ἐρέεσθαι.

Est enim πόλιν ἴμεν, dactylus non syllabis, sed veteri pronuntiatione, quam nos exprimere lingua aliena non possumus. Hoc loco in mentem mihi venit versus, quem Scaliger adduxit ex Euripidis Oreste, in quo esset ἐπισυναλοιφή,

αὐτουργὸς, οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Sed nos et in editis ab Aldo exemplis et in explicatione reperimus σώζουσι γῆν. Hoc igitur relinquamus. Ιλ. ύ.

μόρσιμον δὲ οἵ ἐστ' ἀλέασθαι.

Vbi manifesta est συγκοπὴ, et illud μόρσιμον quasi μόριμον. sicut et in hoc, Ιλ. ά.

ἐκτὸς μὲν δὴ λέξον γέρον φίλε.

Est enim plane, γερονφίλε. Quemadmodum et Οδ. π. μὴδ' οὕτω φίλον δὴ πατρὶ γένοιτο. ubi φίλον est quasi φλον. Iam in hoc Ιλ. β. βωμοῦ δ' ὑπαίξας, συναίρεσις est. Εως ὃ ταῦθ' ὥρμαινε: Iliad. ά. quum sit pes ἀμφίβραχυς alienus carmine Heroico. θεραπεύεται τὸ μέτρον συνιζήσει, secundum Eustathium ὥς ὁ, producta syllaba ὁ. Aristophanes εἰρήνη: οἱ γεωργοὶ τ' οὔργον ἐξέλκουσι, κἄλλος οὐδείς. οἱ γεωργ. spondeus συνιζήσει. Iliad. ξ. ὦκεον δ' ἐν πλευρῶνι. Hesiod. νέικεα καὶ δῆριν ὀφέλλοις.

ιλ. autem ω. in hoc,

χωόμενος ᾧ τινι δήπω ἀδελφεὸν ἔκτανεν ἕκτωρ.

συνίζησις. In hoc vero, ιλ. θ.

ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.

Et hoc, ιλ. β.

πολυστάφυλόν θ' ἱστιαῖαν.

Et hoc, ιλ. ε.

ὅς τ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφυράς.

Et paullo ante,

ὅς ῥα χαμάνδρου,

ἀρητὴρ ἐτέτυκτο.

Et hoc ιλ. ή.

σὸν δή τοι κλέος ἔσται ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς.

Et hoc οδ. ε.

κλῦθι ἄναξ ὅστις ἐσσὶ.

Et hoc οδ. λ.

Καί ῥ' ἔσχεν δύο παῖδας, ἀμφίονά τε ζῆθόν τε.

παῖδας ἀμφ, spondeus liquescente littera σ: ut in superioribus versibus omnibus cursui haec numerorum obstaret, nisi removeretur pronuntiatione.

Nam si versibus aliquis alienos pedes, qui sunt proceleusmaticus, et creticus seu ἀμφίμακρος, aut nescio quos alios inserit, quum constet heroici carminis proprios pedes esse dactylum ac spondeum: Iambici, iambum, spondeum et spondeo aequales: Trochaici, trocheum et spondeum et huic aequales: et alios alius generis. Illum igitur qui admiscet alienos, non audiendum putamus, corrumpentem carminis modos, et numerorum rationem dissolventem. Sed pronuntiatio haec omnia quondam nullo cum negotio et sine omni insuavitate explicuit. Quare non assentior, neque Plutarcho, qui Homerum studiosum bonae narrationis, compositionem neglexisse scribit, et primum statim versum ἄμετρον extulisse:

μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληιάδεω ἀχιλῆος.

non enim ille ita extulit ut Plutarchus, multo minus ut nos secundum perscriptas litteras: neque Scaligero infulcienti creticos in iambicos modos. Qui Erasmi sententiam de syncopa in nomine *Voluptas* quum exagitat, mentione Teutonici soni, facit, ut mihi videtur, inclementer. Nam neque nostrae, neque ipsius gentis lingua exprimere elegantiam antiquitatis,

et praestare pronuntiationis sinceritatem, neque sine studio et cura singulari maxima in pronuntiando vitia vitare possit. Neque ipse animadvertit, dum reprehendit Erasmum quasi Teutonum crasso aëre natum, sonantem aliquid plenius, se reprehensioni ipsum exponere, quasi minus cogitatae congruitatis in verbis. Quis enim *mea volup* dixit? cum *volupe*, unde *volup* decurtatum. Neutri formam habeat, et saepe adverbii significationem; ut,

Volupe est, quod agas, si id procedit lepide ex sententia.

Etsi ad hoc delabitur, ut *voluptas*, anapaesticam velit esse dictionem: id quidem melius; sed illae συγκοπαί pronuntiationis rectius expediunt numeros, mea quidem sententia, et antiquitate teste, cuius unum etiam nunc exemplum adducere visum, Hesiodi,

ἄσκρη χεῖμα κακὴ, θέρει δ' ἀργαλέη, οὐδέποτ' ἐσθλή.

est enim θρεῖ et λῆ. Sed de hac re, quum tantum iam verborum fecerim, plus quidem quam initio institueram me facturum esse, nunc desinam, et haec nostra iudicio aliorum submitto, et quod restat, observationem et curam harum rerum diligentium studio committo. Quantulamcunque autem operam hanc industriae meae cupio omnes boni consulere, quod bonos et bonarum artium cupidos scio esse facturos: ii enim neque ullam in litteris exquisitionem nimis parvam et futilem ducunt, neque hos conatus indicationis nostrae poterunt despicere: περὶ δὲ τῶν ἄλλων οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ.

IVL. CAES. SCALIGERI

DE VERSIBVS COMICIS

Quibus artibus Poëtarum ingenia excolerentur, quum esset a nobis superioribus libris explicatum: non prius absolvisse opus illud videbamur, quam addita de Versibus Comicis commentatione institutum teneremus; nam de origine, generibus, partibus Fabularum, quae in Scenam afferrentur, et ab aliis olim, et a nobis ipsis perfecta disputatione, in animo habebamus totum hoc negotium legare iis qui de pedum quantitate, deque versuum ratione conscriberent. Verum quum et maximus vir Erasmus, et post eum plerique alii ita hanc conficere provinciam aggressi sint, ut et ille his non pauca reliquisse, et hi eadem illa aut nescisse, aut praeteriisse videantur: coactus sum hac quoque opera tenuiore Poëtam nostrum eo provehere, quo illorum auspiciis frustra pervenire tentasset. Ac sane ipsa dimensionum cognitio cum est per se necessaria, tum etiam si non esset, videntur tamen viri illi talem effecisse: sive ad eorum magnitudinem intueare, quam ad huiusmodi lucubratiunculam demisissent: sive negligentiam spectes, qua mutilam depravatamque relinquerent.

Ac primum quidem quam Erasmus affert, vereor ut accipienda sit dubitatio: Sit, necne certis pedibus astricta Comoedia; nam quamquam videtur hoc

dixisse Quintilianus: non tamen pedum leges potius quam trimetrorum praescriptionem desideravit, idque non in omnibus, sed in Terentianis tantum: quarum gratiam, quam orationis elegantia atque puritate consequutae essent, diminutam putabat licentia versuum longiorum: quum tamen Plautus nihilo sit in trimetris frequentior. Hoc autem amplius eadem in quaestione peccat Priscianus: Quosdam esse, qui in Terentii Fabulis extare metra negent: atque eosdem tamen ait, illa quasi arcana quaedam, sibique solis cognita profiteri. Quid enim est hoc? negare numeros in versu quopiam: eosdemque numeros in eodem versu se solos dimetiri posse. Hanc sententiam more suo de illo mutuatus Erasmus commodiorem fecit; dividit enim eam: eiusque partes ad diversa refert iudicia. Alios inquit negare: alios quasi inutilem eiuscemodi existimare investigationem. Quorum utrumque quum ipse reiecisset, quod erat priore loco, merito quasi iudicatum omisit. Alterius autem rationem hanc reddere instituit: Non operam perdere nos indagandis versuum generibus. Tali enim diligentia effici, ut quae librariorum incuria transpositae voces sint, suis eae sedibus restituantur. Ego vero neque hoc esse video necessarium, et plus conferre ad solutae orationis libertatem. Nam neque ubivis transpositae voces, versus tollent connexionem: et frequentissime deprehendimus, ob numeri necessitatem ita transpositas, ut si eandem sententiam in epistolam sis allaturus, cogaris aliis sedibus digerere: veluti quum Terentianus Simo ait:

Si sensero hodie quidquam in his te nuptiis
Fallaciae conari, quo fiant minus.

Nam priore versu multa invertas sine dispendio numerorum; in altero autem et quotidiano sermone, et forensibus contentionibus aliter loquare. Itaque si librarii ita scripsissent, *Fallaciae conari, quo minus fiant:* ex eorum temeritate hoc fructus capiamus, ut minore negotio imitemur. Hoc igitur non negamus: versuum legibus duci nos ad verborum sedes investigandas: sed in eo ullam esse utilitatem, hoc vero negamus: imo conducere interdum magis, si transposita sint: quo ordine orationem nostram instituamus. Sed profecto hac opera plus fuit laboris sumptum, quam captum emolumenti: ut non sine causa miraremur summos viros tantum studii in dimetiendis illis versibus posuisse, Priscianum, Donatum, Asprum, Iubam, Scaurum, Probum, Sulpitium, Varronem ipsum; quorum frequentiae quum mihi in mentem venit, apparet illico aut obscura diligentia, qui infecto negotio eguerint successore, aut res ipsa perdita, quae vel ab uno alterove tantorum virorum nequiverit confici. Quare ea quoque causa, sed potissimum ea, inquam, esse potuit, ut ad hanc contemplationem studium nostrum adhiberemus; neque enim sola res petenda iam nobis est, sed ipsa contentione de clarissimis viris victoria reportanda. Atque ut eorum iudicia hac quoque in parte emendemus, simul ad parem operam incitemus ingenia litteratorum, qui non minimam pronuntiandi rationem ex hac commentatione consequi sese posse intelligant; quemadmodum ubi animadverterint neque aspirationem, neque sibilum, neque mutam inter se conspirare valuisse, ut prima syllaba in voce *istuc* produceretur; corripitur enim in Asinaria,

Quid istuc est? aut ubi istuc est terrarum loci?

Qua in voce qui putant sibilum extrudi pronuntiando, neque morem servarunt, neque etymologiam observarunt. Aeoles enim, quos Latini maxime sunt imitati, quod alii ἐσθλὸν dicerent, ipsi ἐσλὸν pronuntiabant. Ita in verbo *istuc*, satius fuit mutam abiicere, et fuit ratio; nam *is* pronomen integrum manet, cauda illa, quam nonnulli syllabicam vocant adiectionem, nullo dispendio expuncta, etiam leniori locum relinquit coniunctioni. Praeterea multis in locis animadvertas, positura consonantium non produci vocalem, sed suapte natura niti brevitate, ut *in*, *sed*, *ad*, *quod*, *aliud*, *simul*; in quibus qui existimarunt oportere postremum elidi elementum, vehementer errarunt. Sed longe facilius videtur admitti posse brevitas in disiunctis, quam ubi in eadem dictione coniunguntur; minus enim cohaerent. At in coniunctis ita pronuntiabant, ut positura nihil adderet morae naturali brevitati. Sic *insidias* et *inferos* primam producere dixerunt: *indicationem* autem et *incautum*, corripere; quare si hoc uno in tractu atque tenore faciebant, multo commodius interiecto eo intervallo, quod separatis vocibus debetur, efficere potuere; nam si dicas *insano*, atque ibi praepositio brevis sit, quae in ipsis compositis longa extitisset, quanto facilius brevis erit, si dicas *in diem?* quae si componas, brevem quoque retinent. Exempla vero huiusce pronuntiationis tot sunt, ut non tam omittendis, quam afferendis locis culpam mereri posse videamur. Non diversae, non eaedem geminatae usum illum corrumpere aut impedire valuerunt.

In Captivis:

In occulto miseri victitant succo suo.

Primus pes est anapaestus, quia *ob* natura brevis.

In Pseudulo et hoc comparet: id quod postea dicemus de proceleumatico:

Aedium dominum lenonem Ballionem quaerito.

Nona enim syllaba cum tribus subsequentibus pede unico amplectitur.

In Milite:

Et quidem edepol omnes mores ad venustatem iugiter.
Tres priores syllabae in voce *venustatem* anapaestum conficiunt. Natura namque brevis est secunda, sicut in *Venere*, ita etiam in *tempestate*, quia in *tempore.*

In Epidico:

Illam ridibundam atque hilarem huc adducit simul.

Primis tribus syllabis constat anapaestus.

In Asinaria:

Sed quid ego cesso ire ad forum, quod inceperam?

Ex duodecima et duabus sequentibus anapaestum vides.

In Casina:

Nunc ne tu respondere postules me tibi.

In verbo *postules* prima corripitur: quia a *possum* ducitur: hoc autem a *pote.* Quare miserum verbum *potest* miris modis decurtarunt: ut in Trinummo:

Potest fieri prorsus quin dos detur virgini.

Vbi ex quatuor primis proceleumaticus fit: haec igitur in coniunctis. In diversis autem pene infinita. Pseudulo:

Lubet nunc venire Pseudulum scelerum caput.

Primus anapaestus.
Captivis:

Vel extra portam trigeminam ad sacculum licet.

Vox *sacculum*, dactylus, si nolis creticum: de quo mox. Par iudicium etiam ex Curculione:

Sitit haec anus: quantillum siti? modica est capit.

Octava syllaba cum duabus sequentibus efficit aut tribrachum, aut creticum.

In eadem:

Sedatum te, quam longe a me abest? lumen hoc vide.

Septima syllaba collisa, praepositio, et pronomen, et verbum faciunt dactylum: et alterum dactylum tertia et secunda a fine, aut duos creticos.

Rursus:

Sed grandiorem gradum ergo fac ad me obsecro.

Quinta, sexta et octava, elisa septima, anapaestum creant, aut dactylum, aut potius tribrachum, si nolis creticum. Quippe quinta brevis natura octavam vulgo rentur longam, unde fiat anapaestus. Aliquis putarit primam longam, tot consonantibus, frustra: ex quibus speret dactylum. Nos in Originibus ostendimus *ergo* Graecam esse: ubi obiter deprehendes *fac* longum, contra Grammaticos recentiores.

In Adelphis est tribrachus in tertia sede:

Indicio de se ipse erit; vos eritis iudices.

Duo dactyli ex eadem fabula:

Ille futilis, somnium. sineres vero illum tuum.

duo, inquam: illo, *somnium*, et illis, *vero illum.*

In Hecyra anapaestus ex sexta syllaba, septima et nona octava elisa: verbum enim substantivum corripit.

A Myrrhina haec sunt mea uxore exorta omnia.

In Amphitruone dactylus:

Inimicosa sum semper obtuerier.

nam *semper* primam producit natura: fuit enim *semiopere*: sicut *toper*, *toto opere*. *nuper*, *novo opere*.

In Asinaria:

Deam sibi invocet quam lubebit propitiam.

Sexta, septima, octava, tribrachus; non enim ausim exterere ex verbo *invocet* tertium elementum, quasi digamma Aeolicum, quod alibi fecimus. Est enim παρὰ τὸ βοάω.

In Casina duo:

Aut quasi lumbricus terram; quidem te postules.

Primus dactylus, quia dicebant *quase*, sicut *nise*, *sibe*, *here*. Alter tribrachus, octava, nona, decima.

Ex eadem anapaestus:

Quid facies? concludere in fenestram firmiter.

Sicut in Rudente:

Illustriores fecit, fenestrasque indidit.

In Aulularia dactylus:

Aedepol mortalem parce parcum praedicas.

Neque enim placet adverbium illud iurandi per concisionem pronuntiatum. Quid enim esset *Aepol?*

De verbo vero substantivo multa quoque sunt exempla.

In Euclione:

Censen' vero adeo esse parcum, et misere vivere etc.
Dicas uxorem tibi esse necessum ducere.

Et in Curculione:

Huic anui non satis est soli; canem esse hanc quidem.

Est etiam operae pretium observare quot interpo-

lationibus opus fuerit in aliis vocibus ad sustinendam pedum integritatem, unde veteris pronuntiationis leges deprehendantur; nam quotus quisque hactenus putavit mediam natura corripi in hac voce *voluptas?* At corripitur, id quod et exemplis et ratione manifestum erit. Sane *volupe* et *peto* confecerunt nomen illud: quae utraque tota brevia sunt. Quamobrem inconsulto, ut saepe, Erasmus sustulit vocalem de medio ex illo Andriae:

Quod voluptates eorum propriae sunt; nam mihi immortalitas.

Non nihil sane sit, si mihi fuerit, ita pronuntiandum *volptas;* nihil enim ad Theudonicum sonum accedere potest propius. Hoc igitur ut effugiamus, constituatur in prima sede, ex iis quae posuimus praeceptis, anapaestus; tribrachum tamen esse constat ex multis aliis locis. Sunt versus in Casina quatuor:

Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea.
Quid deosculer te? quae res? quae voluptas tua?
Et meis inimicis voluptatem creaverim.
Ob istanc rem quin te deosculer, voluptas mea.

In Rudente:

Eat in Siciliam: ibi esse homines voluptarios.

In Pseudulo:

Minis viginti vendidit, voluptas mea.

Animadvertemus praeterea quam celeriter multas vocales pronuntiando expediverint, ut etiam cum sequentibus confusas obscurarint; veluti in illis, *scias*, *suae*, *tuos*, *fuit*, *dies*, *deos*, *prius:* quae omnia fiebant monosyllaba; sed et in aliis vocibus, quem-

admodum in hisce exemplis deprehensum est.

Cistellaria:

Persequar hac; iam hoc loco cum altero constitit.

Non potes dimetiri, quin aut bacchius sit, aut concisio exempta media ex voce illa *altero;* quo modo etiam nunc vulgus Italicum pronuntiat.

Curculione:

Viden' ut aperiuntur aedes festivissimae?

Quatuor syllabae, quae tres primas sequuntur, pedem unum constituant necesse est; quare aut una ex mediis eximetur, aut erit epitritus primus; melius, ut primus sit proceleumaticus.

Captivis:

Tibi ille unicus, mihi etiam unico magis unicus.

Quinque primis vocalibus unus pes fit, quippe coactis in anapaestum. Quia *ti* pro *tibi* pronuntiabant; sic et *mi* pro *mihi*, Aeolensium more, quos imitati sumus. Quare ex octava, nona, decima, undecima, duodecima, tertiadecima, est alter conflatus anapaestus. Quod vero dixerunt de duobus comparativis, *potius* et *melius*, passa esse eandem fortunam, ita ut ex ipsis fierent totidem pyrrichi, non est verum in illo quem adducunt ex Andria:

Dabit; nemo inveniet inopem potius quam te corrumpi sinat.

Aiunt enim *potius quam* esse anapaestum; nos proceleumaticum agnoscimus, quemadmodum in aliis multis. Nam Erasmus quum sedibus imparibus receptum scribebat pro iambo spondeum, dactylum, tribrachum, anapaestum, proceleumaticum non recte omisit, qui, ut puto, memoria excidisset: cre-

ticum vero, quem sane putaret non admitti; nam si eam in sedem posse duci sperasset, nequaquam tam multa carmina subvertisset. Proceleumaticus autem quum proxime ad naturam dactyli accedat, tribus modis sonum suum explicat. Aut enim mollis est, atque adminiculis quibusdam dactylo similior effectus, ut *Genua labant, ariete, parietibus;* duabus enim vocalibus constitutis, prior consonantis vim quandam videtur obtinere. Aut est apertior, ut in versu Enniano:

Capitibus nutantes pinus, rectasque cupressos.

Aut est coactus, ademptis consonantibus, quibus syllabarum brevitas impeditur, qualis est in Andria:

Sive invidia laudem invenias, et amicos pares.

Itaque hunc ad versum quum pervenisset Erasmus, neque in eo vellet metiri proceleumaticum, quem in suis legibus non recensuisset, et putaret duriuscule fieri, si Aeolicum digamma tolleretur, ut proceleumaticus exiret, sustulit alio consilio; quippe ut exciperetur tribrachys in duabus syllabis primoribus huius nominis *invidia*, et ex duabus postremis vocalibus una syllaba concreta esset. Caeterum ut in natura, ita in arte illius imitatrice nobis faciendum est: nihil enim vel otiose, vel superfluo agere. Igitur ut constet ratio dimensionis, si recipias proceleumaticum, unum tantum moliris, quum aufers digamma: sin malis tribrachyn, tum et hoc idem tibi curandum est, ut amoveas, tum praeterea duabus confertis syllabis deformanda vox. Quod si (ac verius quidem fortasse est) ita pronuntiemus, ut ex iis duabus vocalibus prior quasi consonantis obtineat sonum, iam ille primus pes, non amplius sit tribrachys, sed anapaestus; nam hunc ad modum

pronuntiari, et in quibusdam proceleumaticis ostendimus, et apparet ex spondeo illo coacto Poëtae:

Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis.

Et apud Horatium:

Vt Nasidieni iuvit te coena beati.

Oportet enim esse quadrisyllabum nomen, ut tolerari queat alio versu; non autem pudenter invertere Grammatici sic, *Nasidieni ut iuvit*, sicut *Nasidienus ad haec.* Sic et Catullus *pituita* primam quum produxit:

Mucusque et mala pituita nasi,

non corripuit Horatius:

— *Nisi quum pituita molesta est.*

sed trisyllabum posuit ita, ut medium elementum Aeolicum fiat digamma; quod et elicitur ex Aelii Stolonis iudicio, qui a *petendo vitam* duci ratus est. Verum quod in *invidia* fecit, ut unam ex duabus efficeret syllabam, commodius fecisset in *iniuria*, illo versu:

Quo iure quaque iniuria praecipitem me in pistrinum dabit?

Id quod si animadvertisset, non ausus esset eximere pronomen illud *me*, quod magna cum emphasi ac gestu ad timorem personae positum est, et in omnibus legitur exemplaribus. Proceleumatici vero habes exempla tam frequentia, ut pene legitimi, non subdititii esse videantur. Ex Andria: *Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero.* Et: *Tibi generum firmum, et filiae invenies virum.* Qui mollior est in hoc secundo, propterea quod, uti di-

ximus, *mi* et *ti* monosyllaba fuere, sicut et *tu*, *me*, *te*. Quod et alibi saepe, et in Curculione:

Curato; *ego tibi quod amas*, *iam huc adducam*.

In Aulularia:

Eam ego hodie faciam ut hic senex de proximo.

In Asinaria dubitari potest an sit proceleumaticus; namque in verbo *ostendo* prima producitur natura:

Agedum istum ostende, quem conscripsisti syngraphum.

Commodius concides illud praeteritum sic *conscripsti*, sicut mox *scripsti*.

De cretico autem, quem isti omni conatu subterfugêre, pluribus tum rationibus, tum exemplis est disputandum. Nam si in Heroicum admittitur, si in Tragoedia, quod est poëma clarum, nobile, elatum, castum, locum invenit, quare in medium ac vulgatum sermonem non recipiatur? est sane apud Poëtam:

Et navifragum Scyllacaeum. Dicent non fuisse librum emendatum; at Vari ac Tuccae iudicio emendatum fuit hoc, quod relinquerent; at est in emendatissimo, quod supra adducebamus, si audias sine interpolatione:

Stellio et lucifugis. At etiam illud existimat Terentianus, non autem dactylum,

Insulae Ionio in magno. At est apud Euripidem in Ecuba:

Δυοῖν καὶ παιδοῖν δύω νεκρὼ καθόψεται.

Quum dicere licuisset πεδοῖν δυοῖν. Itaque nos quoque in Nemesi studuimus et auribus et gravitati, *Heu genus nefandum!* Poteramus enim, *Heu gens nefanda!* Et alio loco posuimus *sinistra:* potuit di-

ci *scaeva*. Caeterum perpaucis aures poëticae datae sunt. Praeterea si dactylus et anapaestus in iambi loca sufiecti sunt, quorum utervis una illum et syllaba et tempore superaret; quare eam licentiam sermonis eadem puritas non coëgerit recipere quasdam voces, in quibus esset creticus? praesertim quum ex ipsis solis aliquot integri versus constent; qualis in Andria:

Vt malis gaudeant, atque ex incommodis.

Nam et prior coniunctio producitur positione Poëtae arbitratu, et posterior primam habet longam eadem lege. Praepositio vero brevis est natura ἐξ. Ad haec ea nomina et verba *Deus*, *dies*, *fuit*, *mea*, *tua*, *sua*, et eiusmodi, de quibus supra diximus, eo pertinent, ut quum collectionem in unam syllabam patiantur, doceant nos in cretico idem quoque fieri posse, ut emolliantur pronuntiatione. Quis vero paulo diligentior non animadvertat antibacchium esse apud Homerum, αἰγυπτίου, in tam nobili versuum genere? et rursus ἀνδροτῆτα, si ita legas, non ἀδροτῆτα. Et ex bacchiis omnibus tres toti Plautini in Amphitruone:

Nec aequum, anne iniquum imperet, cogitabit.
Ergo in servitute expetunt multa iniqua.
Habendum et ferendum est hoc opus cum labore.

Quas rationes Erasmus si notas habuisset, non transtulisset *ex* praepositionem in Andriae prologo sic:

Qui bene vertendo, et eas describendo male, ex
Graecis bonis Latinas fecit non bonas.

Quod equidem ut non improbo, ita consilium non laudo, quo est adductus, ut id comminisceretur,

ob amphimacrum vitandum, qui si his rationibus non acquiescat, exemplis saltem credere cogatur. Haec vero quum essent prope infinita, multa omisi tamen, in quibus tergiversari possent, et alia quamquam firma pene innumera, ne taedium parerent; paucis ergo contenti simus. Ex Hecyra igitur quum illud possemus adducere:

Eam calamitatem vestra intelligentia:

supersedebimus duabus de causis, tum quia ipse liquidam non geminat in postrema dictione: tum quod nos pronomen primo loco positum, monosyllabum agnoscimus. quare audiamus ex Asinaria:

Forte si tussire occoepsit, ne sic tussiat.

Nec repugnarim, si velit ita legi, *fors si*: nam is erit magis ferendus, quam qui putabat *si* corripi: id quod non fit, ut in compositis, *nisi, quasi, siquidem*. Acrius tamen intuenti neutrum probabitur, sed *Forte* pyrrhichium putandum, παρὰ τὸ φέρειν. In Curculione manifestius:

Pervelim sepultam. Sed quum adhuc naso odos meo.

Odos enim ultimam producit natura.

Ex Andria:

Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.

Quo e versu creticum ut tolleret, non veritus est universae orationi detrahere ornamentum: pronomen llud scilicet, quod in secundo statim loco legitur.

Ex Eunucho duo:

Quae cum amatore suo quum coenant, liguriunt.

Nam hic effugere non possumus, quin aut prima

in sede creticus sit, aut in quinta. Etenim secundam vocem si non collidas, sed integram relinquas (id quod frequenter fit, ut apud Horatium, *si me amas*; et Plautus sibi licere voluit in Pseudulo:

Si de damnosis natis, aut de amatoribus)

creticus fit inevitabilis in quinta. Prima namque pedis illius syllaba longa est natura, non positione; quippe *coenare* mediam natura producit. Si vero collidas, tum in prima sede hoc eveniat. Poteram et illum adducere ex Heautontimorumeno:

Itane comparatam esse hominum naturam omnium.

Quem qui trochaicum rentur, nugas agunt; potius ad superiorum censum deducendus: quorum ratione vox illa *comparatam* primam corripit.

In Adelphis:

Quam aut hic non manere tandiu, aut nunc persequi.

Est enim *nunc* νῦν circunflexa: igitur et natura longa. Quomodo in Eunucho ad trochaeos confugiant ibi?

Sed neminem curiosum intervenire nunc mihi.

Quem pro senario imprudenter nimis metitum sese Erasmus putat.

In Aulularia:

Nempe sicut dicis, quid hic? non poterat de suo?

Adverbium enim asseverationis a Graeco ductum νὴ, producit natura primam. Quis vero eximet a cretico illum in Trinummo?

Sit taciturnitati clam fidei ac fiduciae.

Nisi qui ad miseram trochaeorum aram confuge-

rit. Quare illo obruantur ex Curculione, quem iambicus quin sit, ut sese in omnia vertant, efficere nequeant:

Liberi lepos; ut veteris vetusti cupida sum:

Non minoris efficaciae in Amphitruone:

Conferas sermonem, nec ioco, nec serio.

Atque initio quidem arbitror vocalium imbecilliorum mollitie factum, ut subirent pedes alieni; sic dicimus, χρεὼ, πηληϊάδεω, πόλεως, πλέων: etiam ut bacchius receptus sit illo versu hac eadem ratione:

Et laeveis ocreas lento ducunt argento.

At hunc versum spondaicum existimat Diomedes vir doctus, non male: ut mollior vocalis subeat fortiorem. Sic creticum interposuit, ut spondeum faceret in verbo *aureo*. Quod si in Tragoedia cretici sunt, in heroicis bacchius et antibacchius, ut tum Homeri βορέης, tum Virgilii *fluviorum* taceam anapaestum, non videatur fuisse tot monstra necessaria, quot isti eximendo elementa crearunt in *quidem, sicut, simul*, atque aliis; neque excludendas integras fuisse voces, aut alias spurias ingenuis supponendas; id quod fecisse Erasmum et supra declaravimus, et in aliis ostenderemus. Ad quae antequam accedamus, de anapaesti quoque, ut de caeteris, receptione dicendum est; de quo Priscianus quum scriberet, excidit ei sententia sane absurda: Erit, inquit, probabilis iambicus versus, et Tragoediis aptus, si secundum et quartum pedem, non alios feceris quam iambos, aut eum qui tribrachys est, aut anapaestus: quoniam sunt pares. Qua enim lege fretus anapaestum tribracho parem dixit? nam quod ait, etiam sedibus paribus anapaestum rite collocari, verum est; sic enim multis in locis deprehendes, ut superflua sint exempla.

In Pluto:

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστιν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί.

Et bis in eodem:

Οἱ δ' ἐξετράποντο, κοὐκ ἐδόκουν μ' ὁρᾶν ἔτι.

Verum hoc est illi adeo frequens, ut nullus pudor Latinis sit iam futurus, quibus linguae ratio persuasit, ne hoc attentius curarent; praesertim quum in Tragoedia quoque hoc admiserit, gravius sane ac longe castius poëma. Observantior Sophocles: Euripides minus obnoxius; minus enim parcit illis sedibus:

Γλῶτταν δ' ἐπιορκήσασαν ἴδ.α τῆς φρενός.

Neque solum in illis anapaestum, sed et in ultima, in Oreste:

Αὐτουργός. οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Quem si tribrachum esse argueris, syllabam nunc respicias, non legem illam qua ultima indifferens habetur.

Hunc Euripidae versum ita legimus in nostro manuscripto. Impressum habet γῆν. Et Aeschyli quoque est tribrachus in Prometheo,

Οἷς μὴ πελάζειν, ἀλλ' ἀλιστόνους γύποδας.

Quod vero supra dicebamus, tolli Aeolicum elementum aliquando, cuius exemptione detur locus syllabis pedes conficientibus, multis exemplis observari potest. Caeterum nequaquam ex Phormione, quemadmodum praedicabant illo versu:

Qui saepe propter invidiam adimunt diviti.

Erit enim proceleumaticus ex septima, octava, nona, undecima, elisa decima. Sed tutius ex illo,

Liberius vivendi fuit potestas; nam antea,

Neque temere; est enim *vivo*, Graecum βιῶ. Cui quum sit additum digamma, quare non et auferatur? ut quod sonus posuerit, lex sustulerit. Sic in Pseudulo:

Boves qui convivas faciunt, herbasque oggerunt.

Nam quemadmodum in libris De causis, et in Exercitationibus dictum est, puto non admodum vegetam, contentamque fuisse litterae illius pronuntiationem, sicuti neque in *ovo*, neque in *ove*; quae ut apud nostrates Germanos asperrima est, ita Vasconibus pene vocalis, non consonans: nedum ut duplex uspiam sit. Sed nequaquam par fuit ratio aut necessitas, ut elideretur idem digamma in verbo hoc, *inveniet*, eo versu ex Andria, quemadmodum iidem commenti sunt:

Dabit nemo; inveniet inopem, potius quâm te corrumpi sinat.

Neque enim mutatur versus dimensio, sive tollatur, sive relinquatur: sed in principio Amphitruonis eximitur ex ea voce, *iuventutis*, atque ita fit anapaestus primus pes: propterea quod secunda syllaba natura brevis est: sicut in affini suo, *iuvenis*. Eadem natura et ars in illo ex Curculione:

Iuventute, et pueris liberis, ama quod lubet.

Longe alia ratio in Captivis:

Nulla spes iuventutis: sese omnes amant.

Nam neque aufertur Aeolica littera: et prima ipsa quae erat consonans, fit vocalis, ut formetur dactylus in secunda sede; sic audias proceleumaticum in Captivis:

Aliquem invenire suum quicum mutet filium.

Fit enim ex quinque syllabis: quatuor constantibus, una collisa, et extrito digamma. Atque haec quemadmodum vera putem, satis dictum est: illud autem, quod aiunt, non est verisimile: Ad eundem modum extrudi consonantem illam Aeolicam ex coniunctione *enimvero:* nam quid esset *enimvero?* verum unicam syllabam fuisse *enim*, quum vellent, arbitror; si quidem Graecum fuit ἤν et ἤνι; neque repugnat longa vocalis: id quod etiam in libris Originum docuimus: sicut neque in *crepida*, κρηπὶς: neque in *venio*, βαίνω. Posteriorem autem vocalem ἤνι pro consonante acceptam libet existimare: veluti in *cui* et *Pompei* et *Gai*; sunt enim monosyllaba, sicut et *hui*; et quod aeque durum est propter sequentem consonantem, *huic*. At profecto quid tandem mirum sit? Nonne *suadeo* et *suavis* ita pronuntiantur, ut secundum elementum nullum augeat numerum syllabarum ad pedes conficiendos? Et quot monstra invenias apud Homerum, praesertim in Odyssea? tot iambos, tot trochaeos, tot nescio quid. Oppianus quoque μόλιβδον ita metitur, ut duas priores syllabas corripiat. In quarto Piscationum:

Δελφῖνος μολίβδοιο μετὰ στόμα δέξατο τέχνην.

Vbi duae mutae sunt, non muta et liquida. Sed et creticum posuit in primo Venationum:

Η πῶς ἄνα δέδορκεν ἀσκαρδαμύκτοισιν ὀπωπαῖς.

Vbi nisi ex cauda verbi tollas duo postrema elementa, etiam sibilum exterendum est, ut fiat tertia dactyli syllaba; et sic tamen legitur. Apud Apollonium quoque in secundo, considerandum est quis sit pes ille primus in hoc carmine:

Ατρεκέως, ὅσσα δ' ὄρωρε θεοῖς φίλον οὐκ ἐπικεύσω.

Vulgo igitur ita quoque loquutos esse arbitror, non laturos Scenarum barbariem, quae de medio sumptum sermonem usurparent. Qua ex re non vulgaris, neque mediocris oritur dubitatio. Si illi versuum generi licuit, ut quum vellent, suo modo, quum liberet, vulgatis legibus loquerentur, quare non et in alia poëmata ius eiusmodi receptum est? Ergo in tanta licentia quis mirabitur, versuum quoque multam variamque mutationem tolerari potuisse? quippe quum alii curtissimi, alii adeo longi sint, ut mihi libeat cum Plautino trapezita iocari, qui sic ait:

Dum unum scribo, explevit mihi totas ceras quatuor.

Quibus dimetiendis et negotium sibi exhibuere docti, et causas reddere conati sunt consiliorum quibus adducti sint Poëtae, hoc ut agerent; sed quas causas, mox videbimus. Quantus vero ille in Eunucho?

Et magnifica verba; verba dum sint: verum si ad rem conferentur, vapulabit

Hic enim sunt sedes undecim trocheorum; quare hic quoque ab illis dissentio, qui unum esse versum arbitrati sunt; mihi sane videntur duo. Ac prior quidem trochaicus dimeter brachycatalecticus: alter vero octonarius. Sic enim pronuntiavit, ut quum sic dixisset,

Et magnifica verba.

substitit, affixitque ibi propositum in verbis; postea cum re simul sententiam mutavit: ut pro factis facta redderet, et verba minitaretur. Priscianus distinctionis causa breviores insertos versus dicit; verum neque ille, distinctio haec quid esset, declaravit, neque nos, quid sibi velit, sane scimus. Nam quae distinctio debet esse, non solum in eadem Scena,

sed etiam persona? quaeve in primo statim ingressu gravissimae Fabulae Amphitruonis? vix in Scena pedem posuit, quum ostendit se sibi non constare. Quid distinguit ibi rerum, quas nullas adduxerit? aut quae varietas in Pamphili conquestione, cuius una tantum materia, duritia patris. Ergo qui in eodem argumento, quod proposuerat, perstaret, quo consilio tetrametris illud inseruit dimetrum?

Quod si sit, pereo funditus.

Alii, ut sibi videbantur acutiores, e rebus ipsis duci non solum pedum statum aut cursum, sed etiam versuum tractus prodidere: In re perturbata mutari versus, pedesque ipsos confundi: in celeritate trochaicos trudi: gravibus personis statarios sermones fieri ex spondeis. Afferunt huc non tam pro teste, quam pro iudice prudentiam Virgilianam divinam illam profecto mihi, ac venerabilem, qui rem verborum nitore, ac numerorum aequabili concinnitate oculis subiiciat; ego vero ut horum amplector diligentiam, quam tanto studio in meis poëmatis exprimere conatus fuerim: ita in Comoediis, in quibus ista fieri profitentur, falsum simul atque supervacaneum animadverti. Nam, si in personarum statibus diversis, si in continuis negotiis, si in Fabularum partibus maxime inter se dissimilibus, idem pes, idem pedum ordo, idem carminum genus ostendatur, iam nulla causa est quin horum sententia tanquam vana explodatur. Ergo in divina Fabula ac vere Thesauro (quam levi nimis de causa, ut alibi dicebamus, Trinummum inscripsit Plautus) Protasis trimetro iambico tota constat, item Epitasis, tum Catastrophe. Stichus e contrario, tota trochaicis longis. In

Mostellaria adolescenti Philolacheti perdito ganeis, et luxu atque otio corrupto, quique unam modo rem ageret, ut inserviret ventri, dati sunt versus omni pedum pene genere pleni. Tranioni autem servo trepido, in re desperata versus compositi, atque sibiipsis constantes. Seni Theuropidae, viro gravi, parco, laeto, aucta re, amoto maritimorum metu periculorum, senarii iambici. Quid gravius Amphitruone? quid statarium magis, quam finis Fabulae conversae? concluditur tamen Fabula trochaicis. In Sticho vero tam iambis potant, quam trochaeis. Curculio currens in re nova, novo nuncio vehitur quidem trochaei rotis. At Acanthio in Mercatore, haud absimili in re quadratis utitur iambicis; at iisdem in Terentiana Phormione Geta pari in negotio. Ergasilus vero parasitus in Captivis, tam trochaicis quam aliis; qui tamen ageret similem cursuram; quemadmodum et Dinacium puer in Sticho nuncii auctor novi, utrisque mistim usus est. Praeterea trochaicis Harpax Cacula militaris in Pseudulo, dum lenonem quaerit. Trochaicis Erotium meretrix in Menaechmis, ut obsonium comparandum curet; at e contrario trochaicis Lysiteles adolescens et gravis et frugi, in Trinummo, et Chremes senex, vir bonus atque temperatus, in Andria, seria inprimis de re, paterno animo, constanti conquestione; quod si ad Davum respiciant, qui sequenti Scena iam otium atque tranquillitatem imperando sibi, bellissimos fundit trochaicos, iam ipsi illa de celeritate aliquid consultius remittunt. Quid? quot quoties choros viderunt currentes? et tamen sciunt tribrachum ab ipsis Chorium cognominatum; quare Sophocles in Oedipo Tyranno accurrentem Theseum, atque opem ferentem trochaeis adornet ex horum sententia: nisi eiusdem

chorus iisdem pedibus claudat Fabulam. Quod si argutule comminiscantur id eo factum, quia chorus esset discessurus, quid Aeschyli choro faciemus, qui in Persis stat, neque abit? quid Darii spectrum, quod ab inferis veniens, cum matre diu loquitur trochaicis? Neque secius Euripidae Pylades cum Oreste; apud quem Eteocles quoque cum Polynice fratre ad manus iamiam venturus, non alio pede utitur in contentione. In eiusdem Troadibus unicam orationem tam iambicis, quam trochaicis habet. Verum exemplorum satis etiam ex ipsa Tragoedia. Poëtas profecto istos Comicos nostrates, ut in mentem venerant, res arripuisse, eisque numeros arbitratu potius suo quam legibus alienis accommodasse reor. Hi vero legumlatores novi plerique hoc suis ingeniis obtinent peculiare: semel alicubi si quid deprehendere, illico pro necessario praecepto habent; quod hominum genus maxima ex parte piget laboris; atqui longo multoque opus est studio, et opus consilio prudenti: acri iudicio opus est. Quamquam equidem non negaverim, Fabularum initiis, ubi animos auresque spectatorum trimetris versibus imbuissent, ipsi sibi suo quasi iure agerent deinceps interspersis alicubi eiusdem generis longioribus; idque neque semper, neque coactos, neque consulto factitasse existimamus. Fuit tamen hoc illis in more positum, ut narrationibus trimetros maiore ex parte adaptarent: neque solum in Argumentis, aut Prologo, aut Protasi, sed etiam eiusmodi personis attributos, quae vel aliud agerent: veluti Davus in Andria, quum de aliis rebus loqueretur, alia utitur versuum dimensione, ubi ad narrationem deventum est, de navi fracta apud Andrum, ad trimetros divertitur:

Ad haec mala hoc mihi accedit etiam.

Haec Andria. Eadem in Epistolis quoque observatio. In Pseudulo a longis in senarios deflectitur. In Asinaria quoque, quod pactum conscriptum est inter adolescentem et lenam, senariis expletur, quoniam sit narratio quaedam: quamquam ne ibi quidem semper. Longis enim versibus narrat in Rudente Grippus, eventis fortunae suae sese bene acceptum: at in eadem, senex somnium trimetris. Ex utrisque vero, atque etiam aliis mistis, Sosia Amphitruonis; tametsi ubi iam conseritur proelium, iamborum vim atque alacritatem minutiore gyro flectit ac vibrat. Quum igitur tam inconstantem legem videamus, ut Poëtis illis neque curae fuerit ut id facerent, neque salvo puri sermonis nitore efficere potuere, uti numeris uterentur astrictioribus, nos sic inventa, aut qualia existunt, esse permittamus, ut si quid sinistri sese offerat, ne odiose tanquam ius nostrum vel persequamur, vel etiam extorqueamus, praesertim quum licentiae vitium a Graecis sumptum, laxiore, uti solet, negligentia fecerint cumulatius. Vt non tam monstrosi nobis versus quidam videri debeant, quam miraculosi, qui puriores exeunt atque commodiores. Nam sane vel illum primum ex Rudente, non impiger atque hisce in lectionibus exercitatus dimetiatur:

Proh dii immortales, tempestatem quoiusmodi.

An statuas in ultima tribrachyn tam luculento aditu, imo vero ipso in limine Fabulae? non sane placet. An postremam vocem ita pronunties ut trisyllaba sit? Qui fiet id? extritane duplici consonante? tum vero quid erit *quoiusmodi?* Quis sic loquatur? quid igitur agendum? videtur mihi interiectio illa esse

extra versum *Proh.* Cui senarius deinde substituatur sicuti φεῦ et *Hui;* nam ipsam corripere simul et primam huius vocis *immortales*, ut anapaestus excitetur, mihi sane religio est. Similis versus in aurea Trinummo:

Proh dii immortales conditionem quoiusmodi.

Et in Andria:

Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi.

ut omnino mihi augeat suspicionem distortae pronuntiationis.

Illud vero quod aliqui dubitando, quidam etiam asseverando negabant, Terentianas Fabulas trimetris circumscriptas, falsum esse deprehendimus. Nam et apud eum Poëtam plus esse huius carminis invenies, et contra, apud Plautum quadratos, aliaque longiorum genera frequentiora. Andria pene ex aequo divisa in utranque partem est; haud enim ita multo ab longis senariorum numerus superatur. In Eunucho, et Heautontimorumeno item; at in Adelphis pene ex quadrante longi ab senariis exceduntur. Phormionem potior senariorum numerus conficit. Hecyra laxior Fabula, ac pedestrior est. Itaque omnium Terentianarum ad quotidianum sermonem quam proxime accedit; est tamen in ea senariorum plus tertia parte. At contra Plautinae Amphitruonis et Rudentis vix totus quadrans expletur senariis. Asinaria, Epidicus, quam tantopere ipse auctor commendat, Mostellaria, Menaechmi, Miles, Mercator, Pseudulus, Aulularia, Casina, Curculio, Bacchides, aut ex utrisque aeque constant, aut etiam minus habent senariorum. Captivi vero, et Persa et Poenulus, plus dimidio textae sunt longis. Trinummus legebatur hactenus tota quadratis fere:

eam nos ita restituimus pristinae sinceritati, ut ad quingentos senarios excusserimus; quorum tamen numero praestant longi versus duplo. Quam operam etiam Truculento quum impendissemus, paulo minus ducentis reformatis, tantam longiorum invenimus multitudinem, vix ut illorum hi essent pars quinta. Atque is labor haud temere susceptus est, quum tam facile mendacium Quintiliani auctoritate tegeretur. Nam isti magni viri, dum nihil inexcusum volunt, et fastidiunt leviora, plus usurpant nominis quam ponant operae; id quod Erasmo quoque evenisse, tum supra ostendimus, tum ex multorum versuum depravatione constare potest; veluti ex Eunucho:

Habeat despicatam: et quae nos semper omnibus cruciant modis.

ubi genuinam lectionem depravavit, dum fugit creticum: neque potest praetendere trochaicam dimensionem. Itaque languidam atque invenustam substituit vocem *suspectam.* Auxit hunc errorem maiore culpa, quum ex eadem illum profitetur e puris creticis:

Siccine agis? quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum ea rei tibi est?

Quem tamen et iambicum quadratum agnoscas: et nulla sede creticum possis collocare. Pari infelicitate et illum ex Andria creticis conclusit, qui esset integer senarius:

In denegando modo quis pudor est paululum.

Restituta namque per initium praepositione, quam ille nimis confidenter sustulerat in prioris finem, tolles illius et errorem et audaciam; simul deprehendes

crassam temeritatem hominis, qui creticum ex tribus vocibus confectum iri speravit illis *qui pudor est.* Verum praeceps ille fuit auctoribus emendandis; nam ex Seneca versum illum fortasse Publianum:

Arcum intensio frangit, animum remissio.

sic invertit:

Remissio animum frangit, arcum intensio.

ubi Gramaticum agit, non Poëtam. Dixisset commodius, quod ad pedes attinet, sic legi posse: nunc quum statuit necessitatem, causam suam facit deteriorem; nam ad hunc quoque modum senarius est: et in aliis apud eundem auctorem senariis non observatas magis leges intelligas, quam in Comoediis, aut aliis Fabulis. Quod si acrius contemplere, longe concinnior sententia est, quam deformat ille sua subversione. Etenim sententia tametsi aequabiliter de arcu atque de animo pronuntiat per contraria, animum tamen ad arcum referre vult; quoniam de animo quaerere statuerit. Itaque non ab eo incipere, sed eo sententiam terminare oportuit: praesertim quum praeter expectationem de animo sentiat; nihil enim mirum intensione arcum, at mirum remissione animum frangi. Quare et crescit oratio, et adeo vegeta est, ut quavis pedum dispositione potior sit atque accuratior. Adeo curiosa haec ingenia sui confidentia iudicio destituta, et se et alios fallunt.

De Comicorum versuum materia, partiumque quantitate satis disputatum est; de ipsarum partium numero deinceps videamus. Principio quod superioribus libris statuebamus, hic repetendum est: Versus per initia breves fuisse, duobus ad summum contentos pedibus; id quod etiam ratione comprehen-

ditur. Partes enim toto priores sunt. Prius casa quam vicus: vicus quam urbs. Exempla quoque in promptu sunt; sic enim ortum esse primum senarium in Apollinis pugna dicebamus, illa simplici acclamatione:

ἰὴ παιάν.

Quam quum et iterarent et frequentarent, natum aiunt senarium:

Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιάν.

Quare apud auctores Fabularum audias singulari voce contentum versum, ut in Eunucho, *Occidi;* sed et monosyllabum, uti dicebamus, φεῦ. Et eadem geminata voce, in Pluto ἆ, ἆ. hic quidem distincta, alibi coniuncta, ut in Philoctete:

Ἀτταταττά.

Repetitis deinde tractibus productiores facti:

Ἰοὺ, ἰού.

Hoc quoque in Trinummo duplicatum fuit, ut dimeter fieret:

O Callicles, o Callicles.

Ergo quum duum pedum essent genera, alterum motorium, alterum statarium, qui versus e motoriis constarent, in iis binos pedes singulis collectos, tractibus feriebant, qui vero e statariis componebantur, satis habebant suum cuique sedi pedem referre. In priore classe fuit pyrrhichius, cuius versus Enoplios dictus fuit, quo usi sumus nos primi toto poëmatio in natalia Sileni, cuius initium:

Modo citus ego pede celere magis ago numeros:
Abeoque Venere duce loca super alia volans.

Scenici chori certis locis, ut in Oreste:

> Χρέος ἐμόλετέ ποτε.
> Ἀνὰ κέλαδος ἀπὸ λέχεος.

Eiusdem generis est iambicus, trochaeus, tribrachys. In secundo sensu spondeus, dactylus, anapaestus, proceleumaticus, creticus, amphibrachys, bacchius, palimbacchius; neque vero sine ratione fuit hoc. In his namque vocibus accentionum natura quatuor aut quinque temporibus frequens est. Ergo statarii versus ex pedum numero nomen obtinuere: ita ut heroici, quoniam sex spondeis constarent, senarii dicerentur, motorii vero non item, qui ob celeritatem satis haberent, ex dimidio tantum nomen sibi vindicare, propterea quod bini prodirent simul. Atque ita factum est, ut quibus essent pedes bini, ii Monometri vocarentur, quibus quatuor, Dimetri: quibus sex, Trimetri: quibus octo, Tetrametri. Apud Graecos haec. Latini vero his nominibus etiam alia addidere: non ab dimensionibus, quae binos caperent pedes; sed a numero, quaternarios, senarios, octonarios: tanto commodius, quum unica tantum voce etiam imparibus constitutos pedibus nominabant quinarios, septenarios. Nam hos Graeci, Brachycatalectici adiectione agnoscunt, quanti sint. Illud non eo inficias, carere nos latina voce, ubi unica syllaba vel defectos, vel abundantes designare volumus, quos Graeci Catalectos, et Hypercatalectos nominarunt. Verum de his alibi. Octonarios autem etiam Quadratos appellavimus, quemadmodum in cubica figura anguli sunt octoni, quam quum dicerent Quadrantalem, eodem nomine hosce versus insignitos voluere. Etenim constituta quadrata superficies si fluat, atque postea sistatur, quadran-

tal creat. Quam ob causam corpus hoc Latini graeca voce Tesseram vocitarunt, non a laterum numero, ut quidam putavere, sunt enim sex: sed ab radice constitutionis, sic enim appellant Mathematici. Praeterea quum senarii plus in usu fuissent, primusque Boiscus produxerit octonarios, eos ab ipso tractu longos nominavere. Ergo neque Gellius Ennianos versus quadratos recte appellavit trochaicos illos:

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm:
Ne quid expectes amicos, tute quod possis agere.

Neque Varro in septimo de Lingua Latina illos ex Eunuco:

Heri aliquot adolescentuli coimus in Pyraeo.

Siquidem Rufinus auctor est eundem Varronem ita sensisse, versum septenarium fieri, quum ad senarium pes trisyllabus adderetur: apponitque exemplum iisdem numeris ex Hecyra:

Nam si remittant quippiam Philumenae dolores.

Non solum igitur a se dissentit ipse, verum etiam errat definiendo. Nam et minores sunt octonariis, et maiores septenariis: et trisyllabus pes, bacchius praesertim, iambo non solum est adventitius, sed etiam alterius tractus diversi, neque dignus qui in iambici definitionem admittatur. Et ridiculum est, non potius ex septenis fieri septenarium, sicut e senis senarium, quam e senario, et uno pede, tanto minus trisyllabo. Sed profecto magnos viros auctoritas saepe texit, etiam male sentientes; sicuti Ciceronem quoque fugit ratio, quum in prima quaestione Tusculana septenarios vocat illos:

Heu reliquias semiassi Regis denudatis ossibus

Per terram sanie delibutas foede diu vexarier.

Erasmus Varronem sequutus Tetrametrum nihilo prudentius explicavit illis verbis: Iambicum tetrametrum interdum in fine fraudari una syllaba producta penultima, quoties Iambico dimetro accinitur dimeter catalecticus. Nam quid attinebat dicere penultimam productam? Neque enim necessarium hoc est, quo loco et tribrachus esse potest, et dactylus, quorum syllabae postremae breves sunt. Aut quae est illa explicatio? quasi quum dicas: homini interdum pes deest, quoties integro semihomine, alteri semihomini pes deest. At enimvero quis nescit tetrametros, non e duobus dimetris, sed ex quatuor dimensionibus constare? Si quis vel partium consideret rationem, quarum singulis aequale ius sit in versu, vel originem intueatur. Neque enim Boiscus ille, aliusve quispiam, dimetro dimetrum aptavit, sed trimetrum, quem tum longissimum invenerat, monometro produxit. Praeterea quis hoc audiens, non putaret esse nefas, caesuram facere in quinto pede? siquidem ex duobus dimetris tetrametrum ita consarcinandum est, ut integro integrum addatur. Quid quod idem abusus est dimetri, trimetrique appellatione? Nam imprudenter nimis sane versum illum ex Andria iambicum dixit pentametrum:

Hoccine credibile est, aut memorabile.

Constare namque ex decem sedibus iambicis oportebat. Quare trimeter brachycatalecticus agnoscetur; neque enim idem esse μέτρον et pedem, suo loco declaratum est; μέτρον enim capere motorios pedes binos. Hunc vero tam ridiculum errorem etiam in illo continuavit:

Novi rem omnem; sed est Simo intus? est.

Nihil igitur mirum, qui motorios pedes suo defraudet iure, id quod illis abstulerit, ad statarios temere transtulisse. Illum namque versum ex Andria:

Vt malis gaudeant, atque ex incommodis.

Ausus est creticum dimetrum nominare. Qui tamen pes quum sit non solum syllabarum numero, sed etiam temporum quantitate prolixior quam spondeus, quare solus unam dimensionem non expleat, si spondeus implet? Eum tamen sequutus Rivius, parem erroris admisit proportionem. Siquidem trochaicis anapaestum nonnunquam interseri scripsit, causa celeritatis; quod dictum cum illo superiore sane convenit. Idem namque sentiunt, quum ille creticum ad iambum, hic anapaestum referat ad trochaeum. At qui pes ita esset quatuor praeditus temporibus, ut duo simul unam efficerent syllabam plenam ponderis et gravitatis, non potuit inter cursores illos annumerari, praesertim quum iambo similior esset anapaestus, quam trochaeo; uterque enim a brevibus incipit, in longam desinit; quanto enim est iambus gravior trochaeo, tanto est anapaestus dactylo. Quamobrem haud levi de causa factum est, ut gravissimi poëmatis gravissima pars chorus ad gravissimi pedis maiestatem sese conferret, scilicet anapaestum. Quid quod ille nullam posuit rationem, propter quam trochaeus esset iambo volubilior; at vero quum graecum nomen excitabat nos, tum suberat ratio. Nam qui et syllabarum numero et temporum ratione par esset iambo, non potuit eo esse celerior, nisi sane temporum, temporaque differentium syllabarum situ, qua re una fieret illi dissimilis. Trahit enim trochaeus syllaba priore vocem ita, ut in posteriore emollescat, ac quasi evanescat.

Iambus e contrario celeritatem professus, gravitatem praestat. Itaque sanguinarius pes, et ad vulnerandum promptus, indicat et impetum primo, et statariam pugnam mox. Id quod Hipponax acerrimo vir ingenio quum animadvertisset, quam rationem impetus in pede agnosceret, eam in peculiarem pedi versum transtulit, ut sicut iambus in syllaba longa pertinax pugnaret, sic ex iambo constans versus in longum pedem incumberet. Leviorem namque ratus iambum, quam ut ad impressionem faciendam satis esset, in quintam praelato sedem, succedere ei spondeum fecit; quare id quoque iudicio consequuti sumus nos, propius ad naturam partium accessurum fuisse totum versum, si iambus imparibus, trochaeus paribus sedibus constituti fuissent; cuius rei exemplum, quia res est minus usitata, e nostris poëmatiis subiiciemus; hoc ex iambicis:

Malis fortuna cornucopiae fundit.

hoc ex trochaicis:

Si plaudit malis Fortuna, quid iustis fit?

Qui numerorum sonus, aut flexus si cui videatur absurdus, is meminerit, aurium consuetudinem violentam esse, ac propterea nova, et inusitata non tam semper admirari quam saepe respuere. Verum magnopere nostra interest, qui, quoad licet, Aristotelis exemplo rerum causas investigamus, venari rationem, propter quam, quum iambo sedem assignarent prisci, maluerint ei deferre pares. Nam si in senario, sive ille fuit dactylicus, una tantum satis fuerit, quinta scilicet, sive spondaicus, una item contentus est, quippe sexta, quare trochaeo impares alias iambo designarunt? nempe hoc praeter na-

turam factum videtur. Etenim per initia si solis aut iambis; aut trochaeis constabant versus, videtur sane prima quaeque sedes utrique aeque debita fuisse: quibus ut respondeam, sic mihi agendum est. Non esse rerum naturam secutos veteres Poëtas. Multa illis pro libidine facta fuisse, multa fortuito excidisse, quae postea pro legibus probarentur. Vnum illud satis constat, quum trochaeo sedem primam retinuissent, non inconsulto diversam ab ea, et aliis imparibus adverso pedi iambo constituisse; quare autem hanc huic, illam illi reddiderint, profecto haud facile est iudicatu. Atque hic quidem ita sentit Priscianus; quoniam, inquit, in secundo pede quum dimetiendo feriretur versus, minor ei loco mora debita est. At mihi contra videtur, maiorem deberi moram in pronuntiando, ubi tempore ipso immoramur; et falsum esset, ibi positum pedem, quia feriretur, sed contra, verum: ibi feriri, quia pes poneretur. At hoc quaerimus nunc nos, quam ob causam ibi positus sit. Praeterea si ea ratio est, quomodo constabit in trochaicis, qui ibidem feriuntur? Vt igitur quaestionis naturam consideremus, docebit nos verborum inventio, initia vocum a longis esse, in breves desinere. Nam tametsi brevis syllaba natura sua prior est quam longa, quippe simplicior, tamen per initia inventionum cunctabantur primum: quae causa est, ut vocum fines in pronuntiatione obscurentur; ita enim meditantis et consulti animi, suspendere vocem, non praecipitare. Quapropter tam in versibus quam in soluta oratione, postremarum syllabarum nulla est habita ratio. His argumentis iambo trochaeum fuisse antiquiorem, et anapaesto dactylum, par est; ergo trochaicum versum iambico priorem. Quare quum pri-

mae quaeque sedes trochaeo fuerint peculiares, alterae illi relictae sunt; adhaec quum esset pes volubilis trochaeus, statim sese ingessit in versum. Iambus autem grassator ille idem fecit, quod civilibus in rebus plurimis consuevimus; quippe curamus ut oratio in principiis gravis ac sedata sit. Pugnam quoque cautius aggredimur primo, quae postea incitatu effervescat. Sic ad saltum ubi nos comparamus, fortius pedem figimus, ut statariae morae maiorem impetum subiiciamus; sic Aristoteles Imperator noster, omnium bonarum artium dictator perpetuus, motum omnem sub finem probavit esse concitatiorem. Ita proposito spondeo, et iambo, satius fuit ab hoc illum excipi, praeterea recentissima quaque memoria fere metimur ipsas res. Igitur assignata prima sede trochaico, ultima quoque necessario finitur trochaeo, quae sedes, primam dico, si iambi fuisset, in ultima iambum nullum haberemus; nunc in hac ille quum sit, pares ei sedes, quippe quae huic responderent, attribuendae fuere, ut recentissimo sono scilicet novissimo, aures spectatorum captae detinerentur.

Haec fere sunt, quae de universa re dicenda erant. Reliquum est, ut ad ea, quae particulatim animadversa sunt, descendamus; atque equidem ut sese offerent, ita ea describam. Sit ergo quod affert Erasmus ab Adelphis eo versu:

Quid is fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.

Quum enim agnosceret senarium, neque rationem inire posset dimensionum, abstulit alteram e liquidis in pronomine *ille;* id quod, ut ego fateor, et posse, et solere: ita tria dico. Primum non esse opus amotione liquidae illius, ad syllabam corripiendam,

id quod supra satis demônstravimus. Secundum, ab eo creticum in quarta sede constitutum, quem tamen pedem adeo evitarit, ut everterit multa. Postremo versus aut ab eo disiectos, dissipatosque, aut aliorum incuria solutos ipsum praeteriisse; sic enim legendi sunt:

Quid tristis es? rogitas me? ubi nobis Aeschinus
Siet? quid tristis ego sim? dixine hoc fore? quid is
Fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.

ubi verbum *siet*, quod et alibi saepe, unica syllaba concretum fit. Sic ex Andriae illo sibilum abstulit, non unde debuit:

Quis igitur est relictus obiurgandi locus?

Sibilum, inquit, in pronomine *quis* eliditur. At vero quum necessario iambicus sit, nullo pacto ad eum modum secari possit, sed ex participio tollendum est. Sed et illum male dimetitus est:

Perii obsecro: tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem,

ait esse trochaicum catalecticum, qui sit integer quadratus iambicus, neque ad trochaicum distorqueri possit. Etiam plus in illo erravit:

Forte ad nos redierit: vise amabo num sit: iam faxo scias.

Nam ut evaderet Amphimacrum, non est veritus sui trochaici caudam etiam ultra pedes octo trahere. Quod si argutet *scias* esse monosyllabum, quis erit tam impudens, ut tertium pedem trochaeum posse dici putet? Caeterum si caeteri omnes sint quadrati, etiam hunc, qui sequitur, iambicum malim, nulla facta in prima voce collisione:

Quo ille abire ignavus possit longius, nisi si domum.

In prologo autem Andriae eo versu:

Nam in prologis scribundis operam abutitur.

Quum diceret vocis huius *prologis* primam syllabam esse à Terentio productam, addidit sane frivolam rationem: Latina, inquit, consuetudine, quibus mos est, eam praepositionem productam habere; at enimvero in latinis vocibus producant, in graecis graece agant. Itaque et in Heautontim. *Oratorem voluit esse me, non prologum*; id quod neutiquam vocalis ratione, aut temere factum est, sed vi sequentis liquidae, sicut in illo:

Vt pernoscatis ecquid spei sit reliquum.

Geminatam igitur ibi quoque sentio; etenim hoc nisi essent soliti facere, mille aliae erant viae ad eadem pene verba versu concludenda, ut rem novam aut inusitatam evitarent. Caeterum nova neutiquam erat, sed pervetus, vel ab Homero usque: nam in Hymnis μέλος, in Iliade ἐλώρια, atque alia multa eiusmodi produxit; atque etiamnunc plurimae nationes adeo crasse pronuntiant eam literam, ut intus esse aspiratio videatur: Ruteni, Gabali, Atuerni, Germani, Taurini. Thusci vero et Hispani tantum addunt spiritus, ut ubi latine geminatur, aliud audias adiunctum. Sed nulla gens pinguius enuntiat eum quam Turcae quibusdam in vocibus; quamquam in illo prologi versu comminisci queas, quominus, si nolis, geminetur. Sane coniunctionem, quae prima in eo vox est, ne collidito, quod saepe tum in ea Fabula, tum in aliis factitatum est, veluti in Eunucho:

Vna ire cum amica imperatorem in via.

quippe si ita legas; nam alii sic: *Vna ire amica cum*, sicut *mecum*. Verum ad producendas breves praepositiones, geminatae sunt et aliae consonantes, *Reppulit*, *Reddidit*, *Rettulit*. Illud autem a Donato in Hecyrae prologo:

Prope iam remotum iniuria adversarium:

minus recte; ait enim ibi geminatam; at tametsi geminari consuevisse fatemur, non tamen eum fuisse locum affectandae novationi, qui locus sibi iambum, quandocunque posset, ascisceret. Sicuti non minus infeliciter Priscianus; qui quum *redducit* geminare mutam diceret, idque exemplo vellet probare, dimetrum attulit ex Epodo ad hunc modum:

Redducet in sedem vice.

quid enim aiat, si negem? neque enim pedis necessitate nobis persuadebitur. Quid si contendam ab Horatio non esse factum, qui quoad potest, iambos etiam aucupatur? cur igitur abiecerit genuinum pedem? quam ob causam admiserit supervacaneum elementum, ut illum excluderet? Melius fecisset, si ex Hecyra:

Remissan' opus sit vobis, an redductam domum.

Sed hoc alibi quoque disputatum est. In Scena quoque primi actus quinta, quum Pamphili orationi intervenisset Mysis, atque suis uterque seorsum affectibus uteretur, versus interseruit diversos quoque Poëta, quos Erasmus confudit; sic igitur sunt legendi:

Hocne est humanum factum, aut incoeptum? hoccine officium patris?
Quid illud est?

Pro deum atque hominum fidem! quid est si non haec contumelia est?

sic enim etiam alio genere Mysis utitur iterum:

Miseram me! quod verbum audio?

cui respondet illud Pamphili:

Quod si fit, pereo funditus.

In eadem vero Scena versum illum:

Prò deum atque hominum fidem! nullone ego.

appellat dimetrum redundante pede: laxe nimis sane: nam quamobrem non quinarium? quare non trimètrum brachycatalecticum? quis audivit unquam versum ullum pede esse redundante? nonne ipse ille versus talis est hoc ipso pede, quem dicis redundare? Illud quoque male dignoscere visi sunt, quum actus secundi initium putarunt esse debere caudam eius versus, qui primum claudit actum. Sic enim legunt:

Ne ad morbum: hoc etiam teneo. Quid ais Birrhia?

Nemo enim dicat a dimidio versuum incipere actus. Deinde apparet Mysidis abeuntis festinatio, ut Glycerium consolaretur: quare actus recte ibi terminatur. Abrupit ergo sermonem, et versum mutilum reliquit. Praeterea, sicuti diximus in primo, inter actus Comoedia vetus interserebat choros, diverbia, conversiones, affationes, atque alia eiusmodi: nova Comoedia raro Gregem, nisi in fine. Choragum etiam legimus apud Plautum: omnino vero tibicen canebat: quod e Pseudulo etiam alibi recitavimus:

Dum concenturio in corde sycophantias,
Tibicen vos interea hic delectaverit.

Tanto igitur intervallo, quibus artibus Charinus My-

sidis explesset versum, quem non audiret? In eadem vero Scena ita perversè legit, ut alterum novenarium faciat, alterum pro senario reliquit sic:

Quaeso aedepol, Charine; quoniam id fieri, quod vis, non potest, velis
Quod possit. Nihil aliud nisi Philumenam volo.

quum tamen optimi sint octonarii, si verbum *velis* subducas in principium posterioris. Etiam eodem cum superiore consilio monometrum vocat illum;

Ah quanto satius est. Dimeter enim est brachycatalecticus; sed et nulla necessitate mutat *abi* in *abin'*, sive *abeas*: quum frustra putat alioqui non posse constare versum; nam et trochaicus est, si collidas, et iambicus, si non collidas. Ad haec maxima vis eius vocalis, quam videmus ultimam in verbo *abi*; ut illo pulcherrimo versu, quem e sua Ciri transtulit ad pastores divinus Poëta:

Vt vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Et aspiratio prohibet elisionem, veluti ibi:

Hecyra est huic nomen Fabulae: haec cum data est.

Sic imprudenter nimis elidit sibilum ex pronomine illius versus:

Sed istuc quid nam est? hodie uxorem ducis? aiunt Pamphile,

qui per se ipse nulla facta interpolatione rotundissimus sit octonarius Nam quod monet, in nomine *suspicio* tertiam a fine produci, verum est; sed neque nova res, neque sine ratione: nam et Plautus ita scripsit:

Et ne in suspicione ponatur stupri.
Et clandestina ut celetur suspicio.

sed satis nimis, quum et apud Ausonium sint exempla. Tum autem satis liquet, duas in unam vocales coaluisse: namque ab eo quod esset *suspicitum*, *suspicitio* fuit. Itaque ubi erit brevis, tum intelligetur syncope: ubi longa syneresis. Ex eo quoque versu Andriae:

An non dixi hoc esse futurum? dixti: quid meritus es? crucem:

Prisciani auctoritate dicit, tolli verbum substantivum. Quo in loco mihi oblatam sentiam occasionem, duos simul emendandi magnos viros: illum qui errarit: hunc, qui non correxerit; est enim octonarius integer. Illud vero eius proprium, cuius culpam in alium transferre nequeat; nam verbum substantivum *adfuerunt*, trisyllabum professus est eo versu,

Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.

qui tamen versus senarius iambum habet in quarta. Ferendus tamen erat quasi lapsus, nisi altero errore culpam cumulasset, quum primam auferri syllabam iubet ex eo versu:

Aufugistin'? hera, factum: satin' id tibi placet?

Integer enim senarius est, etiam nulla facta detractione: spondaeis duobus, anapaesto, duobus dactylis, iambo. Ibi temere transfert inferioris syllabam in superiorem, contra debuit transferre in Hecyra, neque transtulit:

Quae dico parvi pendent; porro hoc iurgium ad
Vxorem: haec huius fiunt consilio omnia.

sicut interiectionem quoque debuit ascribere priori versui in Adelphis, ut sic legeretur:

Syre, praeceptorum plenus istorum ille: phy,

Domi habuit unde disceret: fit sedulo.

Restituisset etiam in Hecyrae versu verbum, ut sit septenarius, ac priori par, sic:

Tecum ferantur, dixti: ita ut iubes faciam, pater

non oportet errati loco censeri in Andria, eo versu,

Tu rem impeditam et perditam restituas? hem quo fretus sim.

in quo dicit *hem* extra versum ab alio potius additum, quam positum a poëta, quum tamen sine eo mutila sit sententia, et sibilus elidatur, ut alibi saepe, quo sit iambus in octava. Sic audacter nimis aufert verbum *cupio* ex illo Eunuchi:

Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.

ubi commodius eximeret sequentem vocem sine ullo carminis detrimento, etiam constante sententia rotundiore: verum aut sit proceleumaticus primus pes, et alter amphimacrus, aut pronomen, quod in postremo loco est, demittatur in versum alterum subsequentem qui nihilo secius sit senarius, sic:

Meo: id amabo, adiuta me, quo id fiat facilius.

possit *facilius* esse trisyllabum, sicut *potius* bisyllabum: et apud Lucretium aliud est pyrrichius dactyli dimidium. Rectius erit, si, quemadmodum alibi, *meo* sit monosyllabum. Igitur elidetur in vocalem sequentem, ut fiat anapaesti ultima syllaba in secunda vocis huius *amabo*. Iniquior vero fuit illi versui ex Hecyra, *ex quo*, dum particulam expletivam delevit: qui tamen ita ut est, cum sequentibus cumque praecedentibus octonarius sit:

Mane dum sodes; timeo ne aliud credam, aliud nuncies.

Hoc ibi quum abolet, ita alibi aeque importune addit de suo: veluti ad eum versum ex Eunucho:

Par pari referto, quod eam mordeat:

modo addit *nunc*, modo *mox*, modo *sic*: modo nescio quid: ego vero nihil immutandum censeo de consilio Poëtae, qui integrum Proverbium, sicuti circumferebatur, ita interseruit trochaico tractu. Quare audacius etiam *remordeat* suppositum est: nam si quid adiungas, versum labefactes: si nihil, nihil item ad concinnandum versum opus est; praesertim quum hoc exemplo non solum legatur in omnibus exemplaribus, verumetiam recitetur a Cicerone in Ep. ad Lent. et Plaut. in Mercatore. Ita impune ille sibi putavit licere, si in quoslibet versus debaccharetur. Quae impudentia illi quoque apposuit, nunc:

Alio pacto honeste quo hinc modo abeam, nescio.

neque enim eliditur vocalis: sed incolumis sua natura perstat longa ante adverbii aspirationem, *hinc*: atque ita decurrit trochaicus octonarius catalecticus; quemadmodum in verbo monosyllabo nulla item collisio fit, neque in adverbio eo versu:

Ora me: obsecro te vero, Phaedria; i intro; hoi, hei.

Corrupit etiam syllabarum quantitates, velut in illo eiusdem Fabulae:

Sic est: inveniam hodie, parem ubi pol referam gratiam.

Ausus est dicere, adverbii huius, *hodie*, primam produci: Quoniam, inquit, idem sit, ac si dicas, hoc die. At quod nusquam est, narrat. Etenim quum est *Hoc die*, propter positionem producitur; nam suapte natura breve pronomen est, sicut eius compar *hic*, Graecum ὁ. Quare illud Virgilii:

Hoc erat alma parens:

non solum propter interrogationem, sed etiam ob syllabae servitutem legunt *hocce*, ii qui existimati sunt doctiores. Breve namque fuisse, vel inde deprehenditur, ubi consonante amissa in adverbio *hodie*, correpta est. Id quod et in aliis, et in Hecyra deprehendas:

Visum est; certone? certe; deus sum: Si hoc ita est, verum reperies.

Est enim pronomen *hoc*, secunda syllaba dactyli, qui est in quinta sede. Quapropter versus, de quo nunc est controversia, septenarius iambicus existit. In convitio autem Poëtico illum ex Eunuchi prologo:

Habeo alia multa quae nunc condonabuntur.

ait mendosum esse, neque enim Scazontes in ea genera carminum admitti. Itaque ut metrum corrigeret, Linguam latinam depravavit, quum supposuit *condonabitur*; nam quis alius quam Batavus dicat, Tu condonaberis a me commentarios? An fortasse, ut nihil non audet, ausus est ἀπροσώπως, ac nihilominus casum apponere? quidam tamen male conciliati sequi maluerunt eius temeritatem, atque suis typis ita scriptum evulgarunt. Quod si pro se facere putant versum ex Phormione illum:

Argentum quod habes, condonamus te,

vehementer errant. Est enim hoc illi simile:

Vrbem quam statuo, vestra est.

Et hoc illis, ex Aulularia:

Pici divitiis, qui aureos montes colunt, ego solus supero.

et ex Amphitruone:

Naucratem, quem volui convenire, in navi non erat.

et aliis alibi multis. At equidem puto veteres excitandi spectatores gratia, naevos hosce aspersisse: neque in ea re falsus sum. Nam qui decuit minus spondeo claudere iambum, quam dactylicum sistere? Terentius sane non sine arte gravitatem et lenitatem et constantiam animi ostendens, remisit de iambi acerbitate; neve sine exemplo vetustiorum factum putes, multa tibi loca excutienda sunt. Amphitruone:

Quod ego huc processi sic cum servili schema.

Qui quia suspectus est ob flexionis novitatem, habeas alium:

Age nunc reside iam; cave modo ne graxeris.

Non enim melius fugerit ad *graxeris*, quam ad *faxeris*, ubi *faxis* legitur. Accipies etiam unum ex eadem Fabula:

Avis me ferae consimilem faciam, ut praedixti.

Adducerem et e Casinae prologo, nisi suspicarer verba esse transposita:

Clerumenoe haec vocatur comoedia
Graece,

Tamen si transponas, nihil profeceris; neque enim constant dimensiones. Eadem ratio ex Truculento:

Rediit animus: deme soleas; cedo vinum.

Ex Casinae prologo eadem cautio:

Ratione utuntur, ludos neminem poscunt.

possis enim transferre; at non in Poenulo:

Gerrae germane, atque aedepol λῆροι λήρων.

neque in Mostellaria:

Nunquid ad merendam isthic ero? quid nunc? quam mox,
et altero eiusdem:

Vide ut fastidit simia; mihi sum, sic sum.

in Cistellaria:

Tibi nunc prodimus, ac confitemur cistellam.

nisi sit *cistula*, ut alibi in eadem. Quod autem eiuscemodi terminatio grata fuerit, patet etiam ex catalecticis, ut in Captivis:

Cui nunquam vultum tranquillavit gratis.

et in Aulularia:

Nam si ignis vivit, tu extinguere exemplo.

alii legunt *extempulo*. Nondum memini, et vox Hetrusca est, non Latina; et in Asinaria:

Qui mi auscultabunt, facient obsequelam.

Sed et Aristophanes ἀχαρνεῦσι, Λέξον τ' Ἀθηναίοισιν ὦ ψευδαρσώβα. Quinetiam in octonariis, in quorum fine maxime videtur expetendus iambus, ut aliquem modum statuat tractui pedum longiorum, non pepercit vetustas illi sedi, quominus occuparetur spondeo, quemadmodum in Amphitruone:

Quid enim? pugnas pugnatas prolocuta, et Pterelam oppugnatum.

et ille:

Id Sosiae factum est opera, qui me hodie quoque praesentem ausit.

Ac ne in illis quidem servavit Latinitatem:

Ne te iratus suis saevis dictis protelet scio.

Substituit enim pro *saevis dictis*, *saevi dicis*; at sae-

vidicum mobile nomen est: cui igitur haerebit? An ille invenit usquam in naturae legibus, accidens sine substantivo, ut imponeret Grammaticis adiectivum sine substantivo? in eadem vero Scena etiam pedum numerus eum fugit. Namque iambicum senarium hypercatalecticum dixit illum:

Non possum adesse; ah quid agis? quo abis, Antipho? mane.

Habet enim ante postremum pedem, qui est iambus, tres pedes trisyllabos, duos dactylos, unum anapaestum. Atque vero indocte illum quoque eadem sectionis inscitia metitus est; quippe brachycatalecticum appellavit; in quo periculum potius imminet, nequid redundet:

Et illam simul cum nuntio tibi hic ego affuturum hodie scio.

Est enim, nisi interpoles, longior octonario toto pede. Primus pes, ut sit tribrachys, inde iambus, spondeus: creticus, iambus, spondeus, anapaestus, iambus. Ad conficiendum vero creticum, quinque syllabis opus est, ita ut ex octava et nona una fiat; sicut illum quoque minus bene octonarium hypercatalecticum:

Probe huic filium scis esse: audivi in Asia: non est pater.

Si enim talis est, ergo postrema syllaba vocis huius *pater*, ea est quae redundat; quare necessario praecedat trochaeus. Quod si ita sit, ut trochaicum efficias, anapaestum pones in prima sede, non elisa posteriore vocali huiusce adverbii *probe*. Tum vero, quid facias? vocis huius *Asia* duas syllabas posteriores in unam cogere cogeris: quid tum postea? tandem vero exit septenarius, non octonarius, ut dicebat. Sin malis iambicum quadratum, *audii* pronunciandum, ut *Asia* sit anapaestus, et *probe* iambus. Mihi plus placet ut

filium sit bisyllabum, *probe* non elidat ultimam; sic erit octonarius. In Phormione frustra laborat transponendo verba, ut numeris consulat eo versu:

Vt ad pauca redeam, et mittam illius ineptias:

mavult ita legi, *Ad pauca ut redeam*, at vero verbum *redeam* bisyllabum esse vel sexcentis locis, ubi opus est, constat. Eximit etiam vocalem huius praepositionis *per*, eo versu Adelphorum:

Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet.

nempe frigidum admodum est, ne dicam absurdum fugae novum genus, quo evitet creticum fatalem illum: quum tamen adeo molliter pronuntiari possit, vix ut divertat a natura spondei. Quem si tantopere exhorret, at sciat primas tres syllabas ex iis, quas diximus legibus, conficere tribrachyn: nomen enim hoc, *oppressio*, primam corripit, quae est *ob* praepositio, et secundam, quia est a verbo *premo*. Sed iam vereor nequis eorum, quos ille multis locis premit fabulis atque irridet, reponat ei gratiam: quum in verbo hoc, *postulo*, sciant ab ipso extritam mediam vocalem; magno enim in periculo est, ne ab illis barbarus appelletur, propterea quod Germani, praesertim nostrates Vindelici, Carni, Norici, item Suevi, Saxones, ita illud verbum pronuntiant, ut vix ea vocalis exaudiatur. Verum equidem neque irridebo maternos avos meos, neque hominis consilium: quippe qui memor sim eius versus ex Casina:

Nunc ne tu respondere postules me tibi:

in quo non magnum faciat flagitium, si ita pronuntiet, sicut in *periculo;* tametsi alio modo metiti eum sumus; non igitur iudicium reprehendo, sed iudicii locum. Ei namque versui optimo atque pulcherrimo quadrato hanc iniuriam faciebat:

Cum is nihil promereat postulare id gratiae apponi sibi. Verum et hic nihil necesse habeas concidere; et memineris in verbo *tollere*, unde fit, primam natura brevem esse: quod patet magis in praeterito *tuli*. Non enim geminasse veteres et Varro auctor est in voce *terra*, et Verrius in multis, ut ex Festo constat. Caeterum Erasmus eam curam in alium versum utinam transtulisset ad nomen hoc, *periculo*, potius quam tolleret omnem sermonis elegantiam, atque adeo Atticismum, scilicet pronomen: hoc est autem ex Andria: *Sine omni periculo. Nam hocce haud dubium est quin Chremes.* Praesertim quum anapaestus esse potuerit in prima sede. Etenim *omnis* primam corripit natura, ductum παρὰ τὸ ὁμῶς. Vniversitas sane fit ex rerum coniunctione: nempe universum, extra quod nihil est. Illas vero, mutam dico sive semivocalem et liquidam, non potuisse cogere syllabam ad producendum, et pueri sciunt, et Priscianus docet ex Callimacho.

Quae nobis videbantur animadversione digna, ne praeceptorum nostrorum inscitia aut incuria, quae nostros animos occuparat, diutius grassaretur, satis explicata puto. Neque praeterea, quod adderetur, quidquam mihi in mentem veniebat, nisi Bembus et suam et vetusti codicis obiecisset auctoritatem: quae quanti facienda sit, ex his colligi potest. Ex Andria in nostris legitur sic: *Quae si non astu providentur, me aut herum pessundabunt.* Ille vero ita legit vocibus transpositis, ut cretici offam istis ob os obiiciat: *Quae si astu non providentur, me aut*, etc. creticus enim est in tertia sede; nisi Aeolico elemento exacto, fiat anapaestus; fiet autem septenarius. Item in Heautontimorumeno sic legit ille: *Pergin' mulier odiosa esse? nullamne ego rem in vita mea*; at in nostris sic: *Venire*

in mentem, mi vir, oh pergin' mulier esse? ullamne ego, ubi vides, si addas omnia verba illa quae praecedunt exprobrationem senis, versus fiat stadio longior. At illi octonarii sunt. Quin lepor quoque in illis maior est, *Oh pergin' mulier esse?* plus enim est esse mulierem quam odiosam. In altero autem sequente: *Rem unquam volui, quin tu in ea mihi advorsatrix fueris Sostrata*: Bembus ita legit, ut una defiat syllaba, sic: *Volui quin tu in ea mihi fueris adversatrix Sostrata*. Locutionem quoque ne leviter pertranseas: ille enim dicit, *nullamne rem volui*; sane tolerabilis sermo cum hoc verbo *volo*; negatio enim, quae in nomine est, in verbum transit, et fit, *ullam rem nolui*; nequeas vero cum verbo substantivo, *nullane res est?* Quo namque modo esset, si non est? neque melius procedi in illo ex eadem; sic enim legit: *Sustulisti? sic est factum. Domin'? ergo herus damno auctus est.* Nostri sic: *Sustulisti? sic est factum, domina; ergo herus* etc. at duo sunt, quae dissuadent recipiendum. Primum, versus, qui trochaicus sit: quare in quinta sede iambum ille statuit, nos anapaestum. Et minus simile veri fuit, domi educatam, atque herum tamdiu latuisse; erat enim *Comica domus, i. modica:* quam vel una Bacchidis coena senex pene accisam quereretur. Idcirco inepta fuisset interrogatio. Neque erat auctus damno, quod educasset domi. Longe enim minus impensarum fit, si domi, quam si foris alantur liberi: sed quoniam filiam sustulisset, quam exponi iusserat, cui dos paranda foret. Sed ille in Eunucho toto verbo longior est, temere repetito; sic enim legit: *Idque adeo visam, visam si domi st. quisnam hinc a Thaide exit?* Sed profecto videtur quispiam non pessimi iudicii neglectis numeris leporem quaesisse orationis; sicut eadem Fabula, *Nihil praeter promissum:*

nam nos legimus, *nihil praetermissum*, et bene cecidit: quod hic argutia etiam dimensionibus locum reliquit, si *nihil* sit monosyllabum, quod sane volumus. Vult autem dicere, Phaedriam nihil praestaturum eorum quae Militi pollicebatur; neque quidquam illum praeter promissum, i. verba, non rem, laturum; sed in eadem lepor item niditissimus est, iis versibus:

Illum liquet mihi deierare, mensibus
Sex septem prorsus non vidisse proximis.

Nostri enim vulgate nimis legebant, *Sex vel septem.* Caeterum et a numero excluditur coniunctio, et sermonis puritate: sicuti si dicas: Quinquaginta plus minus annos natus sum; et Horatius ita loquutus est; et modus idem, quum dicimus, *Plerique omnes*: est enim figura augens per emendationem; *sex*, imo *septem*: *plerique*, imo *omnes*. Illud quoque lepidius apud Bembum in Heautontimorumeno:

Confitere tu? an obsecro, istuc inimicis siet:

quam quod legitur ab Erasmo et aliis:

Confitere tuum non esse? ah obsecro te, istuc inimicis siet.

Splendidior est oratio, negatione repetita sensu non verbis; et necesse est ita legi: quoniam praecedentes versus hic concinnat: quos versus tam Bembus quam Erasmus male disponit. Bembus sic:

Subditum se suspicatur; subditum? ain' tu? certe sic erit, mi vir.

Erasmus sic:

Subditum se suspicatur; subditum? ain' tu? certe inquam, mi vir.

Verum uterque longior est: Erasmianus una syllaba, alter etiam pluribus: quare ita legendi sunt, ut sint trochaici octonarii catalectici:

Subditum se suspicatur; subditum? ain' tu? certe inquam,
Mi vir; confitere tu? an obsecro istuc inimicis siet.

Sic etiam in Adelphis neuter est illis duobus versibus audiendus. Bembi codex sic:

Obsecro mea nutrix, quid nunc fiet? quid fiet, rogas?
Recte aedepol spero: modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.

Erasmus sic:

Obsecro mea tu nutrix, quid nunc fiet? quid fiet rogas? recte.

Erasmus in primo male collocat adverbium *recte.* Bembus male omittit pronomen *tu:* ut sint Iambici quadrati. Haec quidem manifesta lectio. At illa ambigua utra sit probior. In Heautontimorumeno vetus exemplar sic habet:

Hunccine erat aequum ex illius more, an illum ex huius vivere? et,
Quod illum insimulat durum, id non est; nam parentum iniuriae
Vniusmodi sunt ferme: paulo qui est homo tolerabilis:
Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier.

Bembus et aliquot eximit verba, et alia serie digerit numeros:

Hunccine erat aequum ex illius more, an illum ex huius vivere?
Et quod illum insimulant durum, id non est.
Nam parentum iniuriae uniusmodi sunt ferme.
Scortari crebro volunt, volunt convivarier.

Sed numeros obterit Bembus quarto versu: in quo et trochaeum invenias tertia sede, et iambum septima. Quare errorem subesse necesse est; et confundit versuum tum genera, tum quantitates; nostra autem lectio nihil horum. Sed asperior paulo

visa est sententia, quae tamen non sit; ita enim dicit, Patres duros nihil remittere de imperio, quod in liberos exerceant: omnia animi laxamenta prohibere; at qui paulo est tolerabilior, aliqua sane patiatur, sed nequaquam crebro ea fieri. Mutavit autem nominum numerum Terentius, quum in singulari dixit, *paulo qui est tolerabilis:* debuit enim subdere, *non vult crebro scortari liberos suos:* sed retulit numerum ad universitatem patrum. Et in singulari *tolerabilem* posuerat, quoniam sunt rariores. Ita mutat numerum in Eunucho:

Eunuchum porro dixti velle te: quia solae utuntur his reginae.

Quem locum alibi ostendimus e philosophiae fontibus derivari. Pluralis enim numerus est, quasi dicat de specie in communi. Singularis, quia de hoc solo Eunucho. Aristoteles et Theophrastus sua uterque in historia frequentissime usurpant hanc transitionem. Quam mutandi vel rationem vel licentiam hoc loco aliquis minus licere quum putaret, sublatis illis verbis, *paulo qui est homo tolerabilis*, quae vitia prohiberent patres in nostra lectione, ea fecit patrare filios in sua. Antequam exeamus ex hac Scena, laudabitur lepos ac venustas eorum versuum in Andria, in quibus clauduntur iambi trochaica dipodia: quam mistionem in extremo primi declarabamus:

Adhuc Archillis quae assolent, quaeque oportet
Signa ad salutem esse, omnia huic esse video.
Nunc primum fac istaec ut lavet; post deinde
Quod iussi, ei date bibere, et quantum imperavi.

Haec sunt, Sylvi fili, quae laboriosissima opera excussi tibi: maiorene taedio tot ineptiarum, an metu ne pari inscitia caperere, nescio. Omisi vero multa

carmina controversa, aut ambigua, aut vasta, quae etiam si ad sanitatem redigantur, at cura hac nostra, vel sic, longe minora sint. Verumenimvero neque tibi puerilia videri debent, qui ista aetate literariae laudis aditum omnem explorare iuberis ab indole tua, quae magna ac multa promittit nobis: neque mihi plebeia adeo, in quibus (omissis studiis gravioribus) tantos illos viros elaborare non poenituit. Qui si quibus in locis lapsi sunt, vel hoc ipsum eis debeatur, quod nos excitarint ad veritatem; cuius splendorem, fili mi, quovis nomine cariorem habere debes. Magnum fuit Erasmi nomen, praesertim in Germania, literis ipsis renascentibus: maius futurum, si ille minor esse voluisset; nunc fretus ingenii sui magnitudine, multa tractare aggressus est, paulo minus accurate. Ita a nominis claritate profecta confidentia praecipitem illum egit, non sine dispendio multorum studiosorum, qui omnes quum docti esse vehementer exoptarent, pauci autem laborarent, omissis aerumnis, quae ipsis in antiquorum assiduis lectionibus multae exequendae erant, compendium nacti eorum, quae Erasmus in unum coëgisset, ei de omnibus fidem ita habuere, ut etiam extantibus priscorum monumentis, unde ille vel aliquando non bona fide accepisset, Erasmi nomen non pro. teste, sed pro iudice statuant in medium: atque alieni laboris, non tanquam beneficiarium, faciant auctorem. Quare vobis omnibus eius nominis studiosis, inter quos me quoque sane non nolim, commode ostendimus atque opportune, quid cuiusque iudicii sequeremini. Quod si quis (ut est ingenium quibusdam barbarum hac ferum) pertinacius negligat, foveatque ignaviam suam, te saltem habeamus ab erroribus eiusmodi vindicatum.

DESCRIPTIO

THEATRI ROMANI ET GRAECI

IVL. CAESARIS BVLENGERI

Duae praecipuae sunt Theatri partes, Scena et Cunei. Scena triplex est, Tragica, Comica, Satyrica. In Scena tres portae: media, ubi regiae aulae; sinistra, et dextera, ubi humiliora aedificia. Vtrimque ad mediam portam aliae duae portae fuere, quarum valvis affixae machinae *περίακτοι*. In ima Scena aditus et Scalaria, quibus in superiorem Scenam ascenderetur. Post Scenam porticus, ubi choragia laxamentum haberent ad Chorum parandum. In Scena item Episcenia, Parascenia, Hyposcenia, Proscenium, Pulpitum, Machinae, Arae, *ἠχεῖα* Columnae, et alia pleraque. Episcenium Hesychio fuit, *τὸ ἐπὶ σκήνης καταγώγιον*, id est, domicilium supêr Scena. Parascenia, *αἱ εἰς τὴν σκήνην ἄγουσαι εἴσοδοι*, id est, aditus ad Scenam. Didymus aditus esse vult utrinque in Orchestram, *τὰς ἑκατέρωθεν τῆς ὀρχήστρας εἰσόδους*. vel, ut Harpocratio, *ὁ περὶ τὴν σκήνην ἀποδεδειγμένος τόπος ταῖς εἰς τὸν ἀγῶνα παρασκευαῖς*, id est, locus circa Scenam ubi ludi praeparantur. Hyposcenium in Graeco theatro sub thymele seu pulpito orchestrae fuit: de quo Athen. lib. 14, Asopodorus Phliasius Tibicine magno plausu laudato, moratus adhuc in hyposce-

nio, Quid hoc rei, inquit, *διατρίβων αὐτὸς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ.* Scenam Isidorus esse vult infra theatrum, meo animo minus bene: quum Vitruvius libr. 5, cap. 7 scribat: *Tectum porticus quod est in summa gradatione, cum Scenae altitudine libratum perfici oportere:* id est, Scenae altitudini exaequandum esse. Ita autem interdum Scena exaggerata fuit, ut tres Scenae aliae aliis impositae essent, quam tertiam *ἐπίσκηνον* Vitruvius vocat, parietibus suffultae, et in imo, medio, summo, variis ornatae columnis, nonnunquam usque ad trecentas. *Longitudo Scenae est, ut ab uno cuneorum cornu ad alterum cum coopertura ducatur, et dimidia parte longitudinem orchestrae superet. Proscenium locus patens et liber fuit in fronte Scenae*, ait Isid. in quo actores histrioniam agebant, quorum etiam imagines in proscenio positae: C. Theod. lib. 15, t. 7. Diomedes lib. 3: *Mimi latine Planipedes dicti, quod actores planis pedibus, id est nudis, proscenium introirent, non ut Tragici actores cum cothurnis, neque ut Comici cum soccis. Olim non in suggestu Scenae; sed in plano orchestrae positis instrumentis musicis agitabant.* Suggestus ille Scenae vocatur a Vitruvio *pulpitum proscenii*; quia infra Scenam proscenium fuit, pulpitum autem quinque pedes altum supra proscenium. Itaque Scena pulpito est altior; pulpitum proscenio; proscenium orchestra. Servius libr. 2 Georgic. ait, *Proscenia fuisse pulpita ante Scenam, ubi ludicra exercentur.* Per proscenium in Scenam ascensum fuisse, docet Synes. lib. 2 de provident. *εἰ δέ τις εἰς τὴν σκήνην εἰσβιάζοιτο διὰ προσκηνίου*, etc. Certe in Graecia Scena proscenio altior fuit; proscenium pulpito; quod in orchestra decem pedes altum: pulpitum ipsum orchestra altius, quae cum imis gradibus exaequabatur, et Scena brevior fuit longitudinis dimidia parte. In

proscenio fuerunt Arae: ut Plaut. indicat in Amphitr. Prolog.

> *Etiam histriones anno cum in proscenio hic*
> *Iovem invocarunt, venit.*

item aedificia, eodem teste, in Trucul. Prolog.

> *Athenae istae sunt, ita ut hoc est proscenium,*
> *Tantisper dum transigimus hanc comoediam.*

E proscenii fastigio actores, qui in pulpito erant, spectari poterant, ut Sueton. in Neron. cap. 12. Tragoedi igitur et Comici in pulpito proscenii Romae agebant, Thymelici in proscenio aut pulpito ipso: ut scribit Seneca ep. 84, et, *Ex pulpito*, inquit, *omne tibiarum genus organorumque consonuit.* Pulpitum ideo Romae latius quam in Graecia fuit, *quod omnes Romae artifices in Scenam dant operam*, ut Vitruvius libr. 5 cap. 6 ait. Athen. libr. 14: Ludis, inquit, quos Luc. Anicius Rom. exercitus Imperator edidit in Circo amplissim. a Scena extructa, tibicines omnes in proscenio constituit, ut una cum Choro canerent. Apud Graecos vero, ut Vitruvius libr. 5 cap. 8, *Tragici et Comici in Scena peragunt, reliqui autem artifices suas per orchestram praestant actiones.* Orchestra autem, in qua *senatorum sunt sedibus designata loca*, Romae inter cuneos et Scenam interiecta erat, praeducta muro pedem unum alto, quod *Podium* dicitur, qui columnis tres pedes altis ornabatur, quibus spectatores inniti possent. Ea erat graduum quatuor, aut quinque, alta pedes duodecim, longa dimidiam Scenae partem. Gradus orchestrae dignissimus imus fuit, Podio proximus et Scenae. Inter Podium et gradus orchestrae fuit spatium aliquod latius, in quo sellae curules Magistratuum, tribunalia

Editorum, sedes Vestalium, suggestus et cubilia Imperatorum, sellae absentibus repositae, lictoribusque Magistratuum, et viatoribus locus. Hi Orchestrae gradus Suetonio *primi subselliorum gradus* dicuntur, quos proxime sequuntur Equestria.

Graecis amplior Orchestra fuit, Scena recessior, minoreque latitudine pulpitum, quod *Logaeum* appellant, in quo Thymelici canebant, chorus stabat, histriones saltabant. Logaei altitudo pedum decem apud Graecos, quum Romae pulpitum proscenii altum sit pedes quinque. Orchestra ipsa primis gradibus altitudine exaequabatur. Ab ea erant gradationes, quibus in Scenam ascenderetur aut descenderetur. Quare et Suetonius, *Ludis Decimum Laberium sessum in Quatuordecim e Scena per orchestram transiisse*, scribit in Iulio, cap. 39. In Graecia orchestra licet extra Scenam procurrerit, cum Scena tamen coniuncta fuit, nec podio inclusa, ut Romae, sed obversa imis gradibus, unde spectabant: quum orchestra Romae initium graduum et cuneorum fuerit, Scenae obversa, ut a Senatoribus omnium agentium gestus spectari possent. Gradus autem alii fuere humiliores ad ascensum et descensum, quas *gradationes*, et *scalaria*, seu *scalas*, et *scalarum gradus* Vitruvius vocat: alii altiores, in quibus spectatoribus locus, et *in amfractu quasi cathedrae*, ait Tertul. lib. de Spectaculis.

Gradus illi alti palmo pede et digitis sex, lati duos pedes et semis: ita collocati, ut in imo acuti, sursum latiores cunei formam redderent, unde et *cunei* vocantur. Doctissimus Lipsius vult scalas ipsas cuneos vocari: *quia*, inquit, *Scalarum directio talis, ut ab imo ordiens magis diffunderetur in altum, redderentque cunei formam.* Male, meo animo: quum Vitruvius libr. 5 cap. 7 dicat, *gradationes scalarum*

inter cuneos et sedes dirigantur ad primam praecinctionem, et spectatores in cuneis sedisse, certum sit. Sueton. Augusto cap. 44: *Adsignavit praetextatis cuneum suum, proximum paedagogis.* Graduum initium Romae a podio et orchestra, in qua tres primi subselliorum ordines Senatoribus attributi. Gradus autem distincti erant tribus praecinctionibus, quae graduum intervalla et divisiones quaedam in orbem fuerunt, unde et tres *caveae* dictae, quia fornicata graduum structura erat in ima, media, summa cavea. In singulis gradationibus, et scalaribus erant aditus, seu portae et *vomitoria*, per quae ab exterioribus porticibus venientes in sedilia se funderent. *Ascensus scalaeque*, ait Vitruvius, *inter cuneos ad primam praecinctionem; item aditus in cornibus orchestrae ad inferiores sedes, ubi itinerum supercilia. Gradus scalarum ad ascensum, erant alti semipedem, et unciam, lati duos pedes.* Quas vias fuisse arbitror, directas ab Orchestra ad Equestria, ubi desinebant. Nam ab Equestribus ad Popularia erant aliae viae, quae ibi desinerent. Inde etiam aliae viae, a Popularibus ad superiorem porticum, et tectum quae summa cavea fuit. Calpurnius:

Nam quaecunque patent sub aperto libera coelo,
Aut Eques aut nivei loca densavere Tribuni.

In singulis praecinctionibus cunei secabantur lateralibus viis, et dividebantur praecinctionem itineribus. E porticibus superioribus tenuiores spectabant, quam τὴν ἀνωτάτω θεάτρου ἀψῖδα Dio vocat. Eae porticus fuere cum tecto, ut Solis ardorem defenderent, ideoque dicuntur Tertul. lib. de Spectaculis, cap. 20, *Apuliae*, ἀπὸ τοῦ ἡλίου, quasi *a Sole aversas* dicas: ut *Solaria* et *Heliocamini* Soli exponuntur. Haec mea mens de tota theatri conformatione. Si quid secus scriptum a nobis, dictumve est, inscriptum, indictumque esto.

IOH. FRED. GRONOVII

LECTIONES PLAVTINAE

Quibus non tantum FABVLAE PLAVTINAE,
et TERENTIANAE,

VERVM ETIAM

CAESAR, CICERO, LIVIVS, VIRGILIVS, OVIDIVS,
aliique Scriptores veteres bene multi egregie
illustrantur.

AMPHITRVO

Arg. II,
vs. 2. *In faciem verti alicuius*, est in formam mutari alicuius. *Faciem* dicebant veteres non tantum os, oculos, et genas, quod Graeci πρόσωπον, Latini alioqui *vultum* dicunt (ut quum Plin. XI, 37, p. 784 f. *Facies homini tantum, caeteris os aut rostra*) sed omnem modum et facturam quandam corporis totius, a *faciendo*, ut ab adspectu *speciem*, a fingendo *figuram*. Pacuv. Niptra *faciem hominis* dixit, pro corporis longitudine: *Aetate integra, feroci ingenio, facie procera virum.* Plaut. Asin. II, 3, 19 inducit quaerentem mercatorem: *Qua facie vester Saurea est?* Cui respondet servus: *Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus, truculentis oculis, tristi fronte, commoda statura.* Vt haec omnia isto vocabulo comprehendi indicet. Claudius Quadrigarius apud Gell. IX, 13, in descriptione pugnae Manlii Torquati cum Gallo: *Nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatem facies*: nempe prodire uti depugnaret. *Facies* autem antique pro *faciei*, gignendi casu. Sic Pseud. etiam IV, 7, 119 non tantum vultum, sed etiam totius corporis figuram *facies* comprehendit. Sic Poen. V, 2, 151. Similiter Ovidius de Proteo, lib I Fast. vs. 373:

Ille suam faciem transformis adulterat arte.

Quomodo etiam explicat Virg. lib. IV Georg. 407:

Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,

Squamosusque draco et fulva cervice leaena.

Itaque pro eodem *transforme corpus* dixit VIII Metam. vs. 871:

Ast ubi habere suam transformia corpora sensit,
Saepe pater dominis Triopeïda tradit.

Sic *faciem montis*, *coeli*, et *maris* dixisse antiquos, et, si tempestive dicatur, bene dici notavit Gell. lib. XIII, cap. 29, Sallustii verbis: *Sardinia in Africo mari, facie vestigii humani, in orientem quam in occidentem latior prominet.* Idem Gellius lib. X, 18, dixit: *Ossa contusa in faciem pulveris.* Etiam de inanimatis, ut *Facies crepundiorum* Rud. IV, 4, 105, et 111; *Morbus ad istam faciem*, pro talis, eiusmodi, Cistell. I, 1, 78; *Mulier ad istam faciem* Mercat. II, 3, 91 et 92. Sallust. Catil. 55, de Tulliano carcere: *incultu, tenebris, odore, foeda atque terribilis eius facies.* Ovid. lib. VI Metam. vs. 72:

— — — — *Sua quemque Deorum*
Inscribit facies.

Terent. Eunuch. II, 3, 5: *O faciem pulcram!* etc. *Faciem*, inquit Donatus, *modo, non partem corporis dicit, sed totam speciem, quae apparet et cernitur.* Virg.

Quibus aspera quondam
Visa maris facies.

Ovid. I Metam. 421:

Faciemque aliquam cepere morando.

Vs. 3. *Cernere cum hostibus* ponitur pro decernere, dimicare, contendere, proelio certare, bellum gerere. Enn. apud Cicer. de Offic. I, c. 12: *Ferro, non auro, vitam cernamus utrique*, pro de vita decernamus. Et

rursus: *Olli cernebant magnis de rebus agentes.* Actius: *Nisi esset qui sub armis secum vellet cernere.* Varro: *Non vides apud Ennium esse scriptum: Ter sub armis malim vitam cernere, quam semel parere.* Est locus ex Medea, ubi *cernere vitam* est pugnare, vel certare de vita vel capite. Sic Pacuv. de virtute: *Ego potestatem cernendi do omnibus.* Sallust. Catil. 59: *Se contra latrones inermes pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis cernere.* Lucret. V, 393: *Aequo certamine bellum magnis de rebus inter se cernere.* Virgil. lib. XII Aeneid. *Inter se coïsse viros et cernere ferro.* Sic Noster *certamen cerni* Casin. III, 12; Bacchid. III, 2, 15: ponitur οὐδετέρως, interdum ποιητικῶς. Nam interdum cum casu accusativo, interdum sine eo ponitur. Cic. Fam. VIII, 16 extr. *Eligas censeo aliquod oppidum vacuum a bello, dum haec decernuntur.* Vide indicem Boecleri in Nepot. in *decernere.* Vnde et *diiudicare* pro eodem invenitur. Ponitur autem *decernere* pro certare et periclitari fortunam, quod certando rem controversam diiudicet fortuna, et victorem demonstret. Tacit. III Hist. 70: *Dum inter Vespasianum ac Vitellium proeliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium iudicetur.* Cic. Philipp. II, cap. 3. Et sic Caesar II de B. C. 32, *incertae victoriae* contrariam ponit *diiudicatam iam belli fortunam.* Porro *cernere* pro decernere alia significatione nostro Cistell. I, 1: *crevi amicam esse te mihi.* Lucil. I, 5.

Postquam praesidium castri seducere crevit. Pacuv. Armorum Iudicio: *Et aequum est, quod postulas, iurati cernant.* Cic. lib. III de Legib. *Imperia, potestates, legationes, quum Senatus creverit, ex urbe exeunto.* Liv. XLIII, 12: *Priusquam id sors cerneret.* Tacit. Annal. XV, 14: *Illum locum, tempusque consilio de-*

stinatum, *quid de Armenia cernerent.* Caelius ad Cic. lib. VIII, epistol. 14: *Quamdiu civiliter sine armis cernetur.* Trinum. II, 4, 28.

Prol. vs. 32. *Advenio pace*, significat per pacem (ut loquitur infra. I, 1 232, et Festus in *Peregrina Sacra*) et amicitiam advenio; *pacatum accessum*, ut ait Iust. IX, 2, *facio*, cum venia, et non contra quam licet. Locutio perperam improbata viris doctis, et coniecturis obnoxia, et suspecta Germanismi, quum sit elegans et bene Latina, pro pacate advenio. Sic *discedere pace*, Ovid. lib. II de Remed. vs. 273: *Tutius est aptumque magis discedere pace.* Sic contra *venire vi* apud Cicer. in formula interdicti, lib. VII Fam. 13: *Quod tu prior vi hominibus armatis non veneris.* Virgil. III Aen. *Venit modo vi pontus, et undis Hesperium Siculo latus abscidit.* Tale est *Redire armis*, Cic. Philip. XIII, 12: *Quo scelere damnatus in eam urbem rediit armis, e qua excesserat legibus. Excedere legibus urbe* est iudicio damnatum in exilium ire. Sic denique *venire iure* Luc. lib. I, 191: *Si iure venitis, Si cives, hucusque licet.*

Vs. 73. *Sirempse legem alicuius*, aut *alicui*, aut *de aliquo esse*, significat idem de aliquo constitutum esse, valere, eadem aliquem lege teneri, reum esse, eisdem poenis vel mulctis obnoxium esse, obligari. Vox antiqua explicante Festo *in similis. SirempS ponitur pro eodem, diciturque quasi similis res ipsa*, id volunt fragmenta Festi. Dupliciter tantum inflecti, nominandi et auferendi casu, ait Charisius, vetus Grammaticus. Plautus etiam accusativo hic utitur. Vox formulaque in antiquis legibus frequens. SC. apud Frontinum lib. I de Aquae ductibus, p. 127 fin., edit. Scriv. *Qui adversus ea fecerit, et adversus*

ea sepserit, siremps lex eius causasque omnium rerum esto (id est, idem constitutum esto) *utique, atque uti esset, esseque oporteret, si is adversus hanc legem rivum specumque rupisset, forassetve.* Lex de Viatoribus: *Quam in quisque decuriam ita viator lectus erit, is in ea decuria viator esto, item uti ei ceteri eius decuriae viatores erunt, is in ea decuria praeco esto, ita ut ei ceteri eius decuriae praecones erunt: Sirempsque eius viatoribus, deque eis viatoribus quaestori omnium rerum ius lexque esto: quasi si ei viatori in eam decuriam in tribus viatoribus lecti sublecti essent: quam in quisque decuriam eorum ex hac lege viator lectus erit, sirempsque eis praeconibus, deque eis praeconibus quaestori omnium rerum ius lexque esto.* In fragmento legis Thoriae: *Qui ager ex publico in privatum commutatus est, de eo agro siremps lex esto.* Pro idem constitutum esto. Adhibuit eleganter Seneca epist. XCI: *Conditor ille iuris humani non natalibus, nec nominum claritate, nos distinxit, nisi dum hic sumus: Vbi ad finem mortalium ventum est, discede, inquit, ambitio, omnium, qui terram premunt, siremps lex esto*; id est, omnibus terrenis, quaeque hominum sunt, eadem lex dicta sit: aeque discedant, abeant, evanescant. Ait igitur Plautus, si quis fraude palmam histrioniam sive ipse, sive per alium, eorum deque illis sirempse legem iussisse Iovem, atque si Magistratum sibi alterive ambissent, legeque ambitus tenerentur. Nec mutandum *Sirempse lege*, aut *Sirempse in lege*, ut quidam eruditi voluerunt. Phrasis Plauti autem concepta est, ut apud Cic. III de Off.: *Nec eum esse deceptum, qui id quod emeret, quo iure esset, teneret*; id est, sciret quibus legibus adstrictum esset. Liv. XXXVIII, 38: *Quo iure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorum sociorumque sunto.* Cic.

pro Balbo: *Quo iure civitas Gaditana esset, nesciebat.*

Vs. 90 et 152. *Facere histrioniam* significat proprie agere in scena fabulam, histrionem esse, et hoc quaestu se tueri; translate, aliud agere aliud sentire, aliud prae se ferre, aliud in animo habere. Hoc modo histrionem agere vel actorem comoediarum, quod Petronio *histrioniam exercere*, in illo scito dicto: *Totus mundus histrioniam exercet.* Verbum *facere* usurpatur de quamcunque artem exercentibus. Sic *Facere unguentariam* Poen. III, 3, 89, est unguenta vendere, Seplasiarium esse. *Seplasia* Capuae vicus, in quo habitabant qui aromata vendebant. Cic. pro Sext. cap. VIII: *Capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse dum Duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur.* In Pison. XXI: *Fuit incessus saltem Seplasia dignus et Capua. Gabinium denique si vidissent duumvirum vestri illi unguentarii etc. qui nempe Seplasiam incolebant.* Marcellin. Empiric.

Quodque ab Idumaeis vectum Seplasia vendit,
Et quidquid Medicis confert Lagaea cataplis.

Vide Plin. lib. XXXIV, cap. 11, et lib. XVI, cap. 20. Hinc Seplasiarii, qui pigmenta, thura, odores, pharmaca, et id genus merces, medicis, pictoribus, et qui ab his alii sunt, unguentariis vendunt, quique unguenta faciunt, apud Ael. Lampridium et Veget. de re Veterin. *Facere argentariam*, est argento facto negotiari, nummularium esse, Aulul. III, 5, 53; Cic. V Verr. 59, pro Caecin. IV, de Offic. cap. 3; Aurel. Vict. cap. 27.

Naviculariam facere, V Verr. 18, naves habere, quas vendas, aut loces. *Carnificinam*, carnificis aut exsecutoris rerum capitalium munere fungi, carnificem esse, carnificis munus implere; Capt. I, 2, 29.

Topiariam, Cic. ad Q. Fr. III, 1, profiteri artem opere topiario, id est flexis in varias formas viridibus hortorum ambulationes ornandi. *Topia* ornamenta hortorum arbustis in varias species ductis dixere veteres, ut et *opus topiarium*; Virg. Copa: *Sunt topia et chalybae*. Plin. Nat. Hist. IV, 8: *Nymphaeus, quondam topiario naturae opere spectabilis*. Lib. XVIII, cap. 28: *Arborum urbanarum, et quae topiario tantum usu coluntur*. Lib. XV, cap. 33, de cupressu: *Trahitur in picturas operis topiarii venatus, classesque, et imagines rerum*. Et 22: *Fruticem topiarium*, qui facile in topia flectitur. Lib. XVI, cap. 16 et 18. Et qui curabant asservabantque, genus servorum, topiarii, apud Cic. paradox. V. Plin. Minor III epist. 18, L. VIII, Dig. de Instr. vel Instr. leg. Sic Coel. ad Cic. VIII Fam. 1: *Ego qui scirem Cn. Pompeium Baulis embaeneticam facere*, vel, ut alii legunt, *schaenobaticam*, funambulum esse. Quamquam in illo loco sit legendum ἐμετικὴν seu *emeticam facere*, curare se vomitoriis, vomendo. Quae vox etiam extat apud Cic. XIII Att. 52: *Vnctus est, accubuit, ἐμετικὴν faciebat*. Solebant enim in illa Campaniae loca secedere valetudinis causa, infer quae et Bauli. Et huic convenit, quod sequitur: *Vt ego misererer eius esuriei*, id est ieiunitatis. *Piraticam* Cic. post redit. in Senat. cap. 5, mare quaestui habere, mare depraedari, piratam esse. *Mercaturam* Cic. ult. in Verr. *Praeconium*, *aruspicinam*, Cicer. lib. IV Famil. 8, praeconem, aruspicem esse (genus erat hominum, ex inspectis animalium extis futura praedicentium et ostenta procurantium apud Romanos). *Scriptum*, Liv. IX, 49, scribam vel notarium esse.

Medicinam, profiteri se Medicum et curandis ae-

grotis quaestum facere. Phaedr. lib. I, fab. 15. *Artem ludicram*, Liv. XLV, 23 est idem quod nostro Plauto *facere Histrioniam*, aut quodvis genus ludicrorum exercere; Histrionem, mimum, gesticulatorem esse. *Vecturam*, vehere onera pacta mercede, sive navi, sive terra. Quintil. Declam. XII.

Vellaturam, Varro. I R. R., cap. 2, interpretaturque qui vecturis vivunt. *Caenaculariam*, Vlpianus, L. V, §. 1, D. de his qui effud. vel des.; quaestum exercere cubiculis locandis. *Lenocinium*, Suet. Calig., cap. 40, L. IV de accus. et inscr.; qui mancipia quaestuaria et prostituta habent; lenonem esse vel meretrices domi alere. *Meretricium*, Suet. Calig. XL, quae quaestum corpore faciunt. *Scrutariam*, Appul. IV et Miles.; scruta, vilissimas minutulasque merces coëmere et venales exponere. *Pecuariam*, Suet. Caes. cap. XLII: *Neve hi qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent.*

Fab. vs. 10. *Ingratiis aliquem excitare a portu foras*, id est invitum, et contra voluntatem, iubere, vel cogere aliquem ire aut proficisci. Curc. I, 1, 5: *Tamen est eundum quoquo imperat, ingratiis.* Cas. II, 5, 7: *Vobis invitis atque amborum ingratiis.* Mil. III, 1, 153. Cic. V in Verr. *Reticebunt quae poterunt libenter, dicent, quae necesse erit, ingratiis*; id est dicent, etiamsi nolint. Corn. Nep. Themist. *Hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum cogerentur.* Sic et adiectivo pronomine adiecto. Plaut. Mercat. prolog. *Suisque ingratiis me vitam agere perperam*, contra suam voluntatem. Gell. XVII, 1: *Sed ea ingratiis nostris vi ac necessitate naturae nobis accidunt.* Lucret. eodem sensu *ingratis* dixit lib. III: *Ingratis haeret et auxit*, pro ingratiis, invito, contra voluntatem. At *excitare* est evocare

aliquem, iubere surgere, et progredi vel aliquo ire. Turpil. Epicler. *Me curae somno segregant, forasque noctis excitant silentio.* Rud. I, 5, 2: *Vox precantium me huc foras excitavit.* Cicer. de Orat. 2: *Qui in causa perorandu non dubitavit excitare reum consularem et deloricare tunicam.* Liv. lib. XI: *Ignominiae, non honoris causa me primum excitatum, iussum surgere ad sententiam dicendam.* Quintil. lib. VIII Instit. 2: *Adhibitus ei coenae Simonides nuncio est excitatus, quod tum duo iuvenes equo advecti desudare maiorem in modum dicebantur.* Curt. lib. VI: *Non contentus musica artificum, quos e Graecia excitaverat.* Suet. Aug. XIV, et Calig. XXXVIII.

Vs. 37. *Praeda, agro, adoreaque afficere populares suos*, id est augere, beatiores efficere. *Adficere* aliquem aliqua re, est addere alicui aliquid, vel in honorem vel in contumeliam, ut hic vs. 3: *Vt me laetum, serenum et benignum vultis vos afficere lucris.* Ennius in sacra Historia apud Lactant. lib. I Instit. cap. 11: *Immortali gloria memoriaque affectus sempiterna monumenta suis reliquit.* Bacchid. IV, 4, 2: *Duplex hodie facinus feci, duplicibus spoliis sum affectus.* Cic. pro Cluent. *Quem in honore habuerat, commodis omnibus affecerat.* 2 de Leg. Agrar. *Eos quanto maioribus ornamentis affecerat.* II Verr. *Quum cives Romanos morte, cruce, cruciatu affecerit.* Asin. III, 2, 29: *Vlmeis affectus lentis virgis.* Cic. pro Leg. Man. *Vt detrimentis accipiendis maiori affici turpitudine videremur.* Pro Rosc. *Quae perfidia legationis ipsius ceremoniam* (id est sanctitatem, religionem, religiosam fidem) *polluerit, maculaque affecerit.*

Porro *adorea afficere* est idem, quod infra V, 2, 10, *immortali afficere gloria. Ador* genus farris est,

hinc *adoreum*, quod ex adore factum. Plin. XVIII, 8: *Far, quod adorem veteres vocavere.* Virgil. Aen. VII, 109, *Adorea libă*, dicit placentas ex farre, melle, oleo; Statius lib. I, carm. 6, vs. 10: *Bellaria adorea.* Romani milites usque ad annum V. C. CCCLIV, Veiis obsessis, nihil accipiebant e publico, nisi forte aliquantulum frumenti; postea certe et frumentum supra stipendium, eoque tum ante tum post saepe virtutis causa donabantur. Liv. lib. VII: *Milites, qui in praesidio fuerant, duplici frumento in perpetuum donati.* Caesar III Civ. *Cohortemque postea duplici stipendio, frumento, veste, diariis, militaribus donis amplissime donavit.* Hinc Ciceroni ad Att. *Caesar diariis incitare dicitur militum celeritatem.* Hinc et *duplicari* Varroni et Livio lib. II, quibus ob virtutem ut duplicia cibaria darentur, institutum erat. Vt Vegetio *duplares armaturae*, quae duplices, et *simplares*, quod simplices consequerentur annonas. Isti igitur proprie afficiebantur donatione adorea. Quod quia ob virtutem fiebat, et gloriae atque honoris causa, argumentum laudis et victoriae erat. Vocabulum adoreae per ἀντωνυμίαν signi pro re signata, pro ipsa gloria ambulare coepit. Horat. IV, od. 4: *Et pulcher fugatis Ille dies Latio tenebris, Qui primus alma risit adorea.* Vide Not. Scriv. ad Veget. p. 621.

Vs. 101. *Velatis manibus orare* est suppliciter orare, seu praetentis manu vittis (quod Deorum, hostiarum, quum immolarentur, sacerdotum, plerorumque vatum, capitis gestamen aut velamen erat, instar coronae e laneo filo factum) supplicare. Nam hic ritus supplicum, praetendere vittas, et per eas, utpote sacrum ornamentum, rogare. Hinc Virg. lib. VII Aeneid.

Ne temne quod ultro
Praeferimus manibus vittas et verba precantum.

Desumptum ex Homer. Iliad. A, ubi inducitur Chryses στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος· id est, *Coronas habens in manibus longe iaculantis Apollinis.* Liv. XXX, 36: *Velata infulis ramisque oleae Carthaginiensium occurrit navis.* Quae videlicet legatos supplicaturos vehebat. Lib. XXXVII, 28: *Veii, quum in oculis populatio esset, oratores cum infulis et velamentis ad Romanum miserunt.* Lib. XXXV, 34: *Liberos et coniugem eius, cum sordida veste tenentes velamenta supplicum, concionem frequentem adire iubent.* Tacit. I Hist. cap. 66: *Velamenta et infulas praeferentes, ubi agmen incesserat, arma, genua, vestigia pensando flexere militum animos.* Iust. XI, 10.

Vs. 127. *Invitare se in coena plusculum.* Honesta est locutio et per λιτότητα, quam vocant Rhetores, rem extenuans, pro indulgere vino et largius bibere. Sall. IV Hist. *Quum se ibi cibo, vino laetius invitarent.* Suet. Octav. LXXVII: *Quoties largissime se invitaret.* Sallust. IV Hist.: *Quum se cibo vinoque laetius invitarent.*

Vs. 132. *Male conducere*, est care, magno pretio, et dispendio conducere locatum. Ovid. I Amor. Eleg. 10: *Pro male conducto gratia nulla thoro.* Sic *male emptae aedes* dicuntur nimio pretio emptae. Most. III, 2, 112: *Male conciliati servi*, dicuntur magno aere et iniquo pretio comparati, vel empti. Pseud. I, 2, 1; Martial. IX, epigr. 67: *Accipe et hoc munus conditione mala*, id est iniquo pretio. Contra *bene emere* apud Latinos est vili pretio emere. Most. I, 3, 140: *Istoc verbum vile est viginti minis. PH. Cedo, amabo, decem, bene emptum tibi dare*

hoc verbum volo. Cic. XII ad Att. 24: *Sed quanti quanti, bene emitur, quod necesse est.* Senec. VI de Benef. 15: *Praeterea nihil venditori debet, qui bene emit,* id est qui vili emit et lucrifecit, non propterea venditori tanquam pro beneficio obligatus est. Qui lucrifecit emendo, non est tanquam ob beneficium venditori obligatus. Silius Italicus lib. IX Bell. Pun. 756:

Optatum bene credit emi quocunque periclo
Bellandi tempus.

Suet. Iul. 50: *Quo melius emptum sciatis, tertia deducta est.* Eodem sensu *salubri pretio emere.* Martial. X, epigr. ult. *Iucundos mihi nec laboriosos secessus pretio paret salubri*, id est non valde magno, quod rem familiarem non labefactet. Plin. J, ep. 24: *Si praediolum, quod commendatur his dotibus, tam salubriter emerit*, id est tam parvo pretio. Lib. VI, epist. 30: *Attendamus ergo, ut, quae vexata sunt in villa, quam saluberrime conficiantur*, id est quam minimo sumptu.

Vs. 219. *Vsu facere suum*, est tam diu tamque libere uti, et contrectare alienum, ut nostrum fiat, et veterem dominum amittat. ICtis inter modos acquirendi est *usucapio*, quam Vlpianus definit adeptionem dominii per continuationem possessionis anni, vel biennii; rerum mobilium anni, immobilium biennii, Tit. XIX. Iustinianus mutavit tempus, et res mobiles per triennium, immobiles decennio inter praesentes, inter absentes viginti annis usucapi constituit. Horat. *Si proprium est quod quis libra mercatur et aere; Quaedam, si credis consultis, mancipat usus.* Huc allusit igitur Plautus; et Liv. XXII, 45: *Nullam penes se culpam esse, quod Hannibal iam*

velut usu cepisset Italiam. Senec. Epist. XXII: *Pacuvius, qui Syriam usu suam fecit, nempe ob diuturnum illic 'imperium, quod Tiberius et Caesar continuaverat.* Cornif. IV ad Herenn. 29: *Necesse est, quum constet, istum nostrum fundum fuisse, ostendas, te aut vacuum possedisse, aut usu tuum fecisse, aut emisse, aut haereditate tibi venisse. Vacuum, quum ego adessem, possidere non potuisti; tuum usu fecisse etiamnum non potes; emptio nulla profertur; haereditate tibi, me vivo, mea pecunia venire non potuit: relinquitur ergo, ut me vi de meo fundo deieceris.*

Vs. 230. *Fugit te ratio* significat erras, hallucinaris. Catull. epigr. 10: *Istud quod modo dixeram me habere, fugit me ratio.* Cornif. ad Herenn. II, 16: *Nam qui se propter vinum, aut amorem, aut iracundiam fugisse rationem dicet, is animi vitio videbitur nescisse, non imprudentia.* Et lib. eod. cap. 25: *in mentem mihi si venisset, Quirites, non commisissem, ut hunc in locum res veniret; nam hoc, aut hoc fecissem: sed me tum haec ratio fugit.*

Vs. 306. *Capere pileum*, est libertatem accipere, liberum fieri. Feronia libertorum Dea erat, in cuius templo, inter caetera manumissionis solemnia, raso capite pileum accipiebant, sedentes in lapideo sedili, cui inscriptum erat: *Bene meriti servi sedeant, surgant liberi*, teste Serv. ad VIII Aeneid. Inde pileus insigne libertatis. Pers. Sat. V: *Haec mera libertas: haec nobis pilea donat.* Liv. XXX, 43: *Secutus Scipionem triumphantem est pileo capiti imposito L. Terent. Culleo (Senator licet), omnique deinde vita, ut dignus erat, libertatis auctorem coluit.* Hinc illa locutio, *vocare ad pileum servos*, pro sollicitare eos promissa libertate ad seditionem et vim facien-

dam. Senec. Epist. XLVII: *Dicet nunc aliquis me vocare ad pileum servos et dominos de fastigio suo deiicere.* Suet. Tib. IV: *Servisque ad pileum frustra vocatis, in Siciliam profugit.* Aur. Vict. cap. LXIX: *Vocatisque ad pileum servis adversarios vicit.*

Vs. 322. *Seditionem aliquam in tranquillum conferre*, est sedare et componere tumultum domesticum aut dissensionem cum amico privato. Raro sic invenias *seditionis* vocabulum de turba privatorum. Apud Terentium tamen est, non minus eleganter. Andr. V, 1, 11: *Perpulisti me, ut homini adolescentulo in alio occupato amore, abhorrenti a re uxoria, filiam darem in seditionem atque incertus nuptias.* Sic *seditiosus* et *bellum*. Cic. ad Att. lib. II, ep. 1: *Illam male odi consularem, ea est enim seditiosa: ea cum viro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio.*

Vs. 345. *Quod erit natum tollito.* Ita loquebantur neutro genere de partu et futuro et recens nato. Terent. Andr. I, 3, 4: *Quidquid peperisset, decreverunt tollere.* Et III, 1, 6: *Nam quod peperisset, iussit tolli.* L. 41, §. 5: *Medio tempore Pamphila, antequam pecunia solveretur, peperit, quaero id quod natum est ex Pamphila, utrum ad haeredes Seiae, un haeredem Titiae pertineat.* Ovid. IX Metam. 697:

Nec dubita, partu quum te Lucina levarit,
Tollere quidquid erit.

Idem epist. Hipsipyl.

Quod tamen ex nobis gravida celetur in alvo,
Vivat, et eiusdem simus uterque parens.

Cic. ad Att. X, 18: *Tullia mea peperit XIV calend. Iun. puerum ἑπταμηναῖον, quod εὐτόκησεν gaudebam: quod*

quidem est natum, perimbecillum est. Cic. lib. XI ad Att. 9: *Haec ad te die natali meo scripsi: quo utinam susceptus non essem, aut ne quid ex eadem matre postea natum esset.* Ibid Epist. 15: *Nihil unquam simile natum puto*, id est neminem mortalium tam malo fato natum puto, ac meam Tulliam. Trucul. II, 4, 45.

Vs. 363. *Quid tibi hanc curatio est rem?* id est curatio huius rei. Verbalibus in *io* casum verbi saepe dat Plautus, ut Asin. V, 2, 70, *receptio;* Aulul. III, 2, 9, et IV, 10, 14, *tactio;* Asin. II, 2, 41, *verbis velitatio.* Cicero *domum revertio*, et *domum itio*, pro quo aliter uno verbo *domuitio*, et *Mutina eruptio.* Liv. XXV, 33: *Tum reditu domum fructusque videndi suos suaque vulgo grata erant.*

Vs. 365. *Nequiter expetere*, est male evenire, non habere eum eventum et successum, quem optasses; sic *expetere alicui* vel *in aliquem*, est recidere, redundare in aliquem, damno alicuius evenire. Hac Fabula I, 2, 32: *Delictum suum suamque culpam expetere in mortalem ut sinat*, id est alium mortalem eam luere vel ferre, mortalem ut sinat luere, quod ille peccarit. II, 1, 41: *Cuius ego hodie in tergum faxo ista expetant mendacia.* III, 1, 12: *Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim. Id Alcumenae si innocenti huic expetat.* III, 2, 14. Sic autem Cic. de Provinc. Consul. 3: *Vt quod est indignissimum scelus imperatoris, in perniciem exercitus expetisse videatur.* Liv. I, 22: *Regem Romanorum Deos facere testes; uter prior populus res repetentes legatos aspernatus dimiserit, ut in eum omnes expetant clades belli:* tamen sine suspicione mali est Mil. II, 4, 40: *Satin' eadem in vigilantes expetunt, quae in somnis visa memoras.*

Vs. 490. *Primo coetu vincere*, est primo con-

gressu, prima conflictione, statim atque ad manus ventum est. Orat. Scip. African. apud Isidor. *Vi atque ingratiis coetus cum illis sponsionem feci: facta sponsione ad iudicem adduxi, adducto primo coetu damnavi. Prima litis contestatione effeci, ut eum iudices damnarent.* Cornif. IV ad Heren. 36: *Hoc vos veriti estis, si primo coetu condemnassetis, ne crudeles existimaremini. Primam coitionem* vocat Terent. et Quintil. Ille Phorm. II, 2, 38, hic lib. I Institut. cap. 3.

Vs. 574. *Comprecari Iovi prodigiali thure aut mola salsa*, significat viso ostento Iovem prodigiorum dedepulsorem placare ac propitiare thure accenso, aut mola salsa oblata. Serv. ad Eclog. VIII, vs. 82: *Sparge molam, far et salem. Hoc nomen de sacris tractum est: far enim pium, id est mola salsa, ita fit; Virgines Vestales tres maximae ex nonis Maiis ad pridie Idus Maias alternis diebus spicas adoreas in corbibus messuariis ponunt*: *easque spicas ipsae virgines torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre ter in anno molam faciunt virgines, Lupercalibus, Vestalibus, idibus Septembribus, adiecto sale cocto et sale duro. Igitur quod in sacris mola casta dicitur, id Virgil. in V Aeneid. farre pio enuntiavit, in II salsae fruges.* Sic Servius. Ovid. ita describit in Fast. *Farre pio placant et saliente sale.* Observanda autem est syntaxis verbi *precari*, qualis et Asin. II, 4, 71: *Pergin' precari pessimo.* Virgil. VII Aeneid. vs. 127:

Optima Graiugenûm, cui me fortuna precari
Et vitta comtos voluit praetendere ramos.

Vs. 611. *Pro cerrita circumferri*, est tanquam insanam aut mente captam, ex ritu et superstitione veterum, lustrari, et sacro facto purgari, aut cir-

cum templa ferri. Nonius: *Cerriti aut larvati, malesani, Cereris ira aut larvarum incursione animo vexati.* Menaechm. V, 4, 2: *quid? estne cerritus?* Poen. II, 1, 21; Horat. II, Sat. 2: *Cerritus fuit, aut commotae crimine mentis.* Vt autem a Cerere *cerritus*, sic *bacchari* etiam pro insanire dicebant, velut stimulis a Baccho subiectis. Bacchi stimulis agitatum proxime, dein quovis modo insanire. Supra vs. 71: *Bacchae bacchanti si velis adversarier*, quod proverbium est in malas mulieres. Nam *Bacchae* dicebantur, dei Bacchi stimulis in furorem actae, quae et Menades et Thyades appellantur a veteribus. Cic. Brut. LXXX: *Quid eos, quorum oratio altior actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitrabantur?* Apud Virg. Sibylla *bacchatur vates.* Sic item *lymphati* et *lymphatici* dicuntur insani, quasi a nymphis, fontium et aquarum deabus, furore subiecto *νυμφόληπτοι* fiunt, ut explicat Varro lib. VI de L. L. Liv. VII 17: *Tum quidem velut lymphati aut attoniti munimentis suis trepido agmine inciderunt.* Curt. lib. IV: *Adhuc lymphatos ferri agique, arma iacientes.* Idem lib. VI, cap. 2: *Discurrunt lymphatis similes in tabernacula.* Hinc Poen. I, 2, 132: *Nummi lymphatici*, quasi furiosi et loco manere nescientes, eque crumena exire gestientes: quales sunt prodigorum, qui pecuniam servare non possunt; *Circumferri* autem, lustrari, et lustratione expiari, placataque Deum ira curari. Quos enim lustrabant, eos, arcanum carmen insusurrantes, taeda, sulphure, ovis, scilla aut aliis aptis rebus sufficientes et purgantes circumibant. Lucian. Necyomant. Ἐκάθηρέ τέ με, καὶ ἀπέμαξε καὶ περιήγισε δᾳδὶ, σκίλλῃ, καὶ ἄλλοις πλείοσιν, ἅμα καὶ τὴν ἐπῳδὴν ἐκείνην ὑποτονθορύσας, *Purgavit me et detersit et lustravit taeda, scilla, tum pluribus itidem aliis, simul illud magicum*

carmen submurmurans. Virg. VI Aeneid.: *Idem ter socios pura circumtulit unda.* Vbi Servius: *circumtulit, purgavit. Antiquum verbum est. Plautus: pro larvato te circumferam, id est purgabo. Nam lustratio a circumlatione dicta est vel taedae vel sulphuris.* Iuven. *Si qua darentur Sulphura cum taedis.* Sic sacrificium quo lustrabant agros, dicebant ambarvale, quod arva ambiat victima. Vnde in Georg.:

Terque novas circum felix eat hostia fruges.

Sicut *amburbale*, vel amburbium, dicitur sacrificium, quo urbem circuit et ambit victima, quum nempe urbem lustrabant. Servius ad Eclog. III, vs. 777. Describit eius ritus quosdam Lucanus lib. I, 593:

Mox iubet et totam pavidis a civibus urbem
Ambiri, et festo purgantes moenia lustro, etc.

Hinc et *lustrare* interdum idem est ac circumire, circumferri sine respectu sacrorum. Virgil. X Aeneid.

Agnoscunt longe Regem, lustrantque choreis.

Servius interpretatur: circumdant te, circumeunt. Ovid. in Ibin:

Vel qui quae fuerat tutatus moenia saepe
Corpore lustravit non diuturna suo.

Hectorem designat, cuius cadaver Achilles circa muros Troiae traxit. Plin. de Hyaena, VIII, 30: *Et quibusdam magicis artibus omne animal, quod ter lustraverit, in vestigio haerere.* Plin. X, 41: *Villaribus gallinis et religio inest: inhorrescunt edito ovo, excutiuntque sese, et circumactae purificant, aut festuca aliqua sese et ova lustrant.*

Vs. 679. *Delinitum esse, ut qui sis nescias*, significat incantamentis sagarum et venenis mente alienatum esse. Inde mutuans Liv. I, 57: *Praeda deli-*

nire populorum animos studebat. Macrob. V Saturn. 19: *Et in his maxime sacris, quibus delinire aliquos, aut devovere, aut denique exigere morbos solebant.* Cistell. II, 1, 41: *Tu me delinis: propter te haec pecco.* Et *delinimenta* sunt incantationes aut potiones magarum et veneficarum. Afran.:

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Aetas et corpus tenerum et morigeratio,
Haec sunt venena formosarum mulierum.

Liv. XXX, 13, introducit Syphacem, regem Numidiae, querentem de Sophonisba Asdrubalis filia: *Illam furiam pestemque omnibus delinimentis animum suum avertisse atque alienasse.* Idem lib. XXXIX, 11: *Hispalae concubitu carere eum decem noctes non posse: illius excetrae delinimentis et venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec Deorum verecundiam habere.* Lamprid. Commod. *Qui furor dicitur et inter delinimenta Marciae iniectus.*

Vs. 724. *Satisfacere*, ponitur pro placare atque mitigare iratum hominem tibi ob acceptas iniurias vel contumelias, idque fit vel verbis, utpote deprecando, recantando, poenitere te, et posthac in officio fore profitendo. Quod autem III, 3, 11 vocat *habere expurgationem;* vel reapse, ut puta supplicio, mulcta, damno, utrumque significat *satisfacere*. Prius ut apud Cicer. Philip. II, 20: *Acceperam iam ante a Caesare literas, ut mihi satisfieri paterer a te. Itaque ne loqui quidem sum te passus de gratia*, id est, ut acciperem deprecationem tuam, et offensas condonarem. Caesar lib. I B. Gall. 41: *Inde reliquae legiones per Tribunos et primorum ordinum centuriones egerunt, uti Caesari satisfacerent, se neque unquam*

dubitasse, neque timuisse etc. eorum satisfactione accepta etc. profectus est. Petron: *Rogare coepi ephebum, ut reverteretur in gratiam mecum, et pateretur satisfieri sibi.* Idem: *Flectit ergo mentes satisfactione lenitas.* Vell. Paterc. lib. II: *In concilianda gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus.* Suet Iul. 73: *Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisfacientem, eodem die adhibuit coenae.* Quintil. lib. VI Instit. Orator. cap. 4: *Laedere sit periculosum, ne aut inimicitiae insequantur, aut turpis satisfactio.* Ita hic Plautus: *Satisfaciat mihi, atque adiuret insuper, nolle esse dicta, quae in me insontem protulit.* Haec enim erant solemnia satisfactionis verba Terent. Adelph. II, 1, 8: *Tu quod te posterius purges, nolle hanc iniuriam mihi factam esse.* Et vs. 11: *Novi ego vestra haec: Nollem factum; iusiurandum dabitur, te esse indignum iniuria hac.* Senec. lib. III de Benef. cap. 27: *Vsus consilio, descendenti Caesari occurrit; et quum malam mentem habuisse se pridem iurasset, id ut in se et filios suos recideret, optavit; et Caesarem, ut ignosceret sibi, rediretque in gratiam secum, rogavit.* Lib. IV de Benef. cap. 31: *Quum Pollionis attractiorem vidisset frontem: quidquid, inquit, mali dixi, mihi et capiti meo.* Posteriori significatione apud Cornif. ad Herenn. lib. IV: *Heus, inquit adolescens, pueri tui modo me pulsarunt, satisfacias oportet.* Iust. XXVII, 2, 3: *Misera quidem res, sed optanda Seleuco fuit: siquidem civitates, quae odio eius ad Ptolemaeum transierant, velut Diis arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragii misericordiam versae, imperio se eius restituunt.* Mart. XII, 14:

Parcius utaris, moneo, rapiente veredo,

Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Saepe satisfecit praedae venator, et acri
Occidit excussus nec rediturus equo.

Cic. lib. XIII ad Famil. ep. 8: *Magna me affeceris laetitia, sed etiam quodammodo gloria, si Publius Sextius homini maxime necessario per me satisfecerit.* Id est, si ego P. Sextium possum placare Albino socero meo, ut propter me non plectatur. Vide Torrent. ad Suet. p. 84, et Muret. Vide et Nann. in notis Var. ad Terent. p. 443.

Vs. 763. *Res tuas tibi habe.* Formula est divortium denuntiandi, qua utebantur aut maritus adversus uxorem, aut uxor adversus maritum, si alteruter matrimonium solveret, et ab altero diverteret. Haec verba libello aut tabellis inscripta alteri mittebat, qui quaeve divortium faciebat. Cic. Philip. II, 28: *Frugi factus est: Mimam illam suam suas res sibi habere iussit ex duodecim: claves ademit, exegit. Quam porro spectatus civis, quam probatus! cuius ex omni vita nihil est honestius, quam quod cum Mima fecit divortium.* Loquitur de mima, quasi de uxore. Est autem mima mulier scenica, seu quae agit inter histriones.

Ex duodecim intellige tabulis. Apud M. Senec. Suasor. 1, refertur Atheniensium in summo dolore risus elegans, quum M. Antonius Triumvir se vellet Liberum patrem seu Bacchum dici, habitu quoque et incessu deum illum imitaretur, occurrerunt ei Athenienses, et per adulationem Διόνυσον salutaverunt; addideruntque se despondere illi Minervam suam, (erat autem urbs Athenae in singulari tutela Minervae sive Palladis, unde et nomen habet) rogaruntque, ut duceret. Ille iratus eis, quod a partibus Pompeii et postea Bruti stetissent, se ducturum ait, sed dotis nomine se illis imperare mille talenta (hoc

est 600000 coronat.) Tum subscriptus est statuae Antonii libellus his verbis: *Octavia et Minerva Antonio: Res tuas tibi habe.* Idem M. Senec. Controv. XIII, de marito sterilitatis causa uxorem dimittente: *Res tuas tibi habe: iniicere debuit manum, et ipsum inter res suas trahere.* Apud Apul. V Metam. Cupido maritus inquit ad Psychen uxorem: *Confestim toro meo divorte, tibique res tuas habeto.* Translate potest usurpari, quoties quamcunque personam, aut rem, aliquando nobis admodum coniunctam, deserimus, ut in Trin. II, 1, 32: *Apagesis, Amor, tuas res tibi habe: Amor, mihi amicus ne fuas unquam.*

Vs. 824. *Dicto audientem esse alicui* Latinissima phrasis est, pro parere imperio alicuius. Sic Asin. III, 2, 40, Bacch. III, 3, 35, Maenechm. II, 3, 89, verba sunt servi, qui significat se a domino emptum esse ut ei pareret, non ut imperaret. Pers. III, 1, 50; Trinum. IV, 3, 55. Cic. Verr. 1: *Si habes qui te audiet, si potest tibi dicto audiens esse quispiam.* Famil. VIII, 4: *Nam in disputando iecit eam vocem Pompeius, omnes oportere Senatui dicto audientes esse.* Liv. lib. IV: *Pronunciant placere Consules senatui dicto audientes esse.* lib V: *Nec plebs nobis dicto audiens atque obediens sit.* Hac Scen. vs. 8. Liv. lib. XLI: *Quod quum milites Consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent.* Corn. Nep. Iphicr.

Vs. 953. *Percipere* significat usu minus vulgato, perurgere, pervadere, penitus capere atque occupare: non quomodo sensu aut mente praedita percipere aliquid dicuntur: sed percipiunt nos, quae attingunt, pertentant, titillant. Sic *horror mihi membra percipit penitus*, est occupat, pervadit, et quasi perambulat, ac pererrat, omniaque tremere cogit. Maenechm. V, 5, 22: *Quid cessas dare potionis aliquid, prius-*

quam percipit insania, id est, totum eum occupat. Stich. II, 2, 17: *Cui misero medullam ventris percepit fames.* Terent. Eunuch. V, 6, 1: *Ex meo propinquo rure hoc capio commodi, quod neque agri, neque urbis odium me unquam percipit.* Id est, neutrius me unquam pertaedet. Lucret. III, 28:

His ibi me rebus quaedam divina voluptas
Percipit atque horror.

Ibi, id est tum. Et sic legendum pro *ubi*, quod habent MSS.

Vs. 962. *Hostiis pacem Deûm vel Numinis expetere.* Propria phrasis veterum in re sacra, pro Deos propitiare et placare, veniam delictorum petere, numen exorare et propitium reddere. Sic Curc. II, 2, 20: *Pacem ab Aesculapio petas, ne forte tibi eveniat magnum malum.* Merc. IV, 12: *Apollo, quaeso te, ut des pacem propitius, salutem et sanitatem nostrae familiae.* Cic. pro Rab. *Ab Iove Optimo Maximo caeterisque Diis Deabusque immortalibus pacem ac veniam peto.* Liv. IV, 2: *Nam opem aegris corporibus relictum, si pax et venia ab Dis immortalibus impetrata esset.* Iust. XVIII, 6, 12: *Pacem Deorum sanguine eorum exposcentes.* Idem XX, 2, 7: *Occupandam manium et Deae pacem rati.* Vbi vide Notas. Ovid. I Amor. el. 2, 21; Virg. III Aen. 261.

ASINARIA

Arg. I,
Vs. 6. *Rivinus* dicitur idem qui rivalis, a *rivus*, ut a *vicus vicinus*. *Rivales* proprie qui ex eodem rivo, ad agros suos irrigandos et usum domesticum, aquam ducunt. Sic accipitur leg. 3, §. 5, ff. de Aqua cotidiana et aestiva: *Is qui aquae cotidianae ius habet, vel fistulam in rivo ponere, vel aliud quodlibet facere potest: dummodo ne fundum domino, aut aquagium rivalibus deterius faciat.* Acron in Arte Poët. Hor. *Rivales, qui in agro rivum haberent communem, et propter eum saepe discreparent.* Sic *corrivatae aquae* Senec. Nat. Quaest. III, 19: *Habet venas aquarum terra, ex quibus corrivatis flumina effici possunt.* Plin. lib. XXXVI, cap. 16: *Agrippa in aedilitate sua, advecta virginea aqua, caeteris corrivatis atque emendatis, lacus septingentos fecit.* Ibidem: *corrivationem aquarum egerere machinis.* Vnde translate vox *rivalis* significat in amore aemulum et competitorem. Bacch. V, 3, 4: *Vt apud lenones rivales filiis fierent patres.* Stich. V, 4, 47: *Haec facetia est, amare inter se rivales duos, uno cantharo potare, et unum scortum ducere.* Hinc elegans illud *amare se sine rivali*, de hominibus maximi sese facientibus, quum tamen ab aliis minimi ponderis pendantur. Cic. lib. III ad Q. Fratr. ep. 8: *Hierus auctor fore videtur, o Dii, quam ineptus, quam se ipse amans sine rivali.* Et IV Tusc. Quaest. cap. 26: *Obtrectare vero alteri, aut illa vitiosa aemulatione quae rivalitati similis est, aemulari, quid habet utilitatis?*

Fab. vs. 7. *Oppetere pestem*, significat, peste aliqua seu malo casu interire: dictum ut *mortem oppetere*. Nam et *pestiferum* dicebant idem quod mortiferum. Sic vetus poëta apud Cic. II Tusc. Quaest. *Vestras manus peto, priusquam oppeto malam pestem, mandatam hostili manu*. Noster Capt. III, 3, 11: *Neque de hac re negotium est, quin male occidam, oppetamque pestem*. Phaedr. lib. III, fab. 17: *Humanitati qui se non accommodat, plerumque poenas oppetit superbiae*.

Vs. 26. *Quae locutus despuas*, formula est aversandi male ominata verba. Nam *locutus* hic valet, locutus es. *Sputum* apud veteres extra usum naturalem erat duplex, religiosum et contumeliosum. Priori utebantur vel in avertendis malis ominibus, ut hic. Senec. Cons. ad Marc. cap. 9: *Quis non, si admoneatur ut de suis cogitet* (id est de morte et testamento) *tanquam dirum omen despuat, et in capita inimicorum abire iubeat?* Scholiast. Iuven. Sat. VI: *Propter fascinum verborum ter sibi in sinum spuunt, et videntur fascinum arcere*. Tibull. I, el. 2:

Haec mihi composuit cantus, queis fallere posses,
Ter cane, ter dictis despue carminibus.

Vel etiam utebantur eo medicinae causa in morbis, quos incantando curari putabant. Apud Petron. Enothea Encolpium curans: *Hoc peracto carmine ter me iussit exspuere*. Sic et in morbo comitiali Noster Capt. III, 4, 18: *Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit*. Plin. XXVIII, 4: *Ita despuimus comitiales morbos; et simili modo fascinationes repercutimus, veniam quoque a Diis spei alicuius audacioris petimus in sinum spuendo: etiam eadem ratione terna despuere deprecatione in omni medicina mos est*. At de sputo contumeliae causa immisso Noster Curc. IV, 2, 17: *Qui constitit, culpant eum, conspuitur, vituperatur*. Cicer. ad Q.

Fr. II, 3: *Hora fere nona, quasi signo dato, Clodiani nostros consputare coeperunt.* Petron. *Convocat omnes quasillarias, familiaeque sordidissimam partem, ac me conspui iubet.* Iterumque: *Verberibus sputisque extra ianuam eiectus sum.* Ex hoc more legimus in historia sacra, milites Romanos Servatorem terrarum, quum omni genere ludibrii patientem afficerent, etiam consputasse. De quo verius dicam quam de Catone Senecae: *Sacrum illud caput purgamentis oris adspersum esse*, de Constan. Sapien. II. Vide Casaub. ad Pers. Sat. II, p. m. 200.

Vs. 64. *Arcte contenteque aliquem habere*, id est parce ac duriter, ut loquitur Terent. praebere exiguum sumptum alicui. Sic *vita contenta* Ciceroni non splendida, sumtuosa, pro Planc. IV: *Cn. Manlium non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contenta ac sordida.* Paulin. Nat. VI, Felicis: *Qui solos habui contentus rusticus, illas. Paupertatis opes.* Horatio *attentus* lib. I, ep. 7: *Durus ait, Vultei, nimis attentusque videris Esse mihi.*

Vs. 87. *Sumere aliquem optionem*, pro sumere adiutorem, socium operis et laboris. Desumtum a re militari Romanorum, in qua dicebatur *optio*, qui a Tribuno militum centurioni adiutor et vicarius dabatur, ut centurione valetudine aliave causa impedito, is vicem eius curaret. Quia autem ipsis centurionibus, quos vellent, ad id munus optandi et eligendi potestas erat, ab optando *Optiones* appellabantur huiusmodi adiutores ab ipsis centurionibus lecti, et a Tribunis probati, ut Varro et Festus interpretantur. Veget. de Re Milit. II, 7: *Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus aegritudine impeditis, hi tanquam adoptati eorum atque vicarii, solerent universa curare.* Inscriptio vetus de milite: *Be-*

neficiarius tribuni, deinde optio in centuria. Liv. *Subcenturionem* vocat lib. VIII, cap. 8: *Romano* (principi centurioni) *haud satis fidenti viribus, iam Romae permissum erat ab consulibus, ut subcenturionem sibi, quem vellet, legeret, qui tutaretur eum.* Hinc ad alia transfertur. Est et optio fabricae leg. 6, D. de Iure immunitatis. Quo maxime respexisse videtur Plautus. Ait enim: *Tibi optionem sumito Leonidam; fabricare quidvis.* Sed et qui olim praefecti sociorum et auxiliorum dicebantur, Iustiniani aevo vocabantur *Optiones foederatorum*, leg. 35, Cod. de locato et conducto. Novell. CXVI, cap. 1: *Optiones carceris*, quos custodes carcerum adsciscebant ad custodias observandas regendasque. L. 6, D. de bon. Damn.: *Spolia, quibus indutus est quis, quum ad supplicium ducitur, neque speculatores ultro sibi vendicent, neque optiones.* Et SCtum: *Hanc rationem non compendio suo praesides debent vertere, sed nec pati optiones sive commentarienses ea pecunia abuti.* Ambrosius: *Neque Paulus et Silas tempus distulerunt, quo optionem carceris baptizarent.* Denique prima notione *Optio* est electio. Milit. III, 1, 74: *Quid ad illas artes optassis, si optio eveniat tibi*, id est, si eligendi potestas fiat. Trin. IV, 3, 47: *Duarum rerum exoritur optio: vel illud, quod credideris, perdas, vel illum amicum amiseris. Indignum est.* Casin. II, 2, 16: *Vir me habet pessimis despicatam modis, nec mihi ius meum obtinendi optio est*, id est, nemo mihi est adiutor, ut ius meum obtineam.

Vs. 115. *Facere nomen alicuius ut sit apud Tresviros*, est accusare aliquem. Truc. IV, 2, 48: *Iam, hercle, apud omnes magistratus faxo erit nomen tuum.* Tresviri vel triumviri capitales ex magistratibus erant minoribus, qui carceri praeerant et suppliciis,

cognoscebant de criminibus servorum, meretricum et viliorum capitum, eosque puniebant. Amph. I, 1, 3: *Si tresviri me in carcerem compegerint.* Vnde apud Horat. *Sectus flagellis triumviralibus*, pro virgis et verberibus caesus. Et apud Tacitum: *Seiani liberi triumvirali supplicio adfecti.* Solebant, qui accusare quem vellent, adito Praetore postulare, ut sibi *deferre nomen* liceret. Recepto nomine, atque a scribis Praetoris iussu in tabulas relato, alter reus erat et procedebat accusatio. Cic. pro Domo: *Nomen Sex. Propertii detulit: accusare alienae damnationis scelerisque conscios, propter calumniae metum, non est ausus.* Pro Cael. *Num quis denique fecisset mentionem, si hic nemini nomen detulisset. Quin etiam Herennium dicere auditis, verbo se molestam non fuisse Caelio, nisi iterum eadem de re sua familiari absoluto nomen hic detulisses.* Lib. II in Verr. 38: *Si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, se eius nomen recepturum.* Et 42: *Nonne ita, ut omnibus nobis tacentibus, ipsae te tuae tabulae condemnare possent? Quaeso, codicem circumfer, ostende: videtisne totum hoc nomen, coram ubi facit delatum, esse in litura?* Id est, ubi scriptum est, praesentem Sthenium esse accusatum, ibi prius aliud quid scriptum fuisse, quod deletum sit. Hinc *nomen* pro crimine interdum ponitur. Lib. V Verr. *Nomine sceleris coniurationisque damnati.* Pro Sylla: *Accusati sunt uno nomine consulares: adfuerunt, inquit, Catilinae, laudarunt.* Senec. ep. CIV de Socrate: *Novissima damnatio est sub gravissimis nominibus impleta: obiecta est et religionum violatio et iuventutis corruptela.* Sic libellum datum Caesari, in quo nomina coniuratorum descripta, et consilia prodita erant, *nomen* vocat Manil. lib. IV:

Indicium dextra retinens nomenque cruore
Delevit proprio.

Vs. 156. *Hostimentum dare*, significat vicem reddere, par pari referre. Nam *hostimentum*, ut interpretatur Festus, est beneficii pensatio: a verbo *hostire*, quod est pensare, vicem reddere. Hac Fab. II, 2, 100: *Quin promitto hostire contra, ut merueris.* Vnde et *redhostire* explicat Festus, gratiam referre, auctoritate Naevii, *Comiter senem sapientem redhostit Maenalus.* Vnde et *hostiam* dictam vult Servius, quod ea caesa hostiantur, quasi et propitii reddantur Dii.

Vs. 183. *Graeca mercari fide*, id est, praesente pecunia. Quia enim multi inventi Athenis, qui debitum abiurarent, inde factum, ut fidem non haberent, nisi praesentarium aurum ferenti. Theophrastus in Charactere Diffidentiae de mercatoribus: *Postremo iis, qui ab eo aliquid mercis sumserint, dicentibusque, refer in rationes: imo, ait, pecuniam pone, non enim vacat omittere flagitatum.* Vide ibi Casaub. nuspiam autem certior fides, quam ubi statim res pro re redditur. Qua in re quia videntur Graeci diligentes fuisse, inde fides illorum optima in proverbium abiit. Vell. II, 23: *Adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper in omni re, quidquid sincera fide ageretur, id Romani Attica fieri praedicarent.* Auson. Ep. X, Paulo scribit, nescio quid rerum suarum illi paratum esse, si libeat uti *non Poena, sed Graeca fide.* Nam *Punica fides* in contrarium pro mala valuit, ob Carthaginiensium perfidiam.

Vs. 241. *Admittere quovis* dicuntur aves, si bona sint ad quidvis incipiendum auguria, si bonis auspiciis res tentetur. Liv. I, 36: *Concilia, populi, ubi*

aves non admisissent, dimitterentur. Id est, ubi non secunda auspicia dedissent, et quasi prohibuissent concilia haberi. Cap. 55: *Quum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere.* Liv. IV, 18: *Vt ab auguribus, simul aves admisissent, ex composito tolleretur signum.* Verbum est proprium augurum, quibus et *admissivae aves* dicebantur, quae consulentem de incepto bene sperare iuberent. *Addicere* idem in adducto Livii loco, et superius: *Id quia inaugurato Romulus fecerat, negare Accius, nisi aves addixissent, posse.* Et *Aves semel iterumque non addixerunt*, lib. XXVII, cap. 16.

Vs. 248. *Obscaevare alicui negotio*, proprie est malum omen afferre. Quia vero ominibus impediebantur homines superstitiosi a perficiendo negotio, quod intenderant, translate potest usurpari pro impedire, obstare votis, disturbare coeptum negotium, aut malam exspectationem de eventu rei concitare. *Scaeva* substantivum idem est quod omen. Pseud. IV, 7, 36, Stich. V, 2, 24. Casin. V, 4, 4: *Hac ibo: caninam scaevam spero meliorem fore*, id est omen, quod canis dedit, spero felicius aliquid significare.

Vs. 262. *Linquere aliquem in obsidione* significat relinquere in gravi et praesenti periculo, in summis angustiis. Sic transfert Cic. lib. V Fam. 6: *Nec putant ei nummos deesse posse, qui ex obsidione foeneratores exemerit*, id est peste, quae illis imminebat a grege Catilinae. Post reditum ad Quirites: *Tum se fuisse miserum, quum careret patria, quam obsidione liberavisset.* Senec. ep. CXIII: *Quid est fortitudo? munimentum humanae imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdederit sibi, securus in hac vitae obsidione perdurat.* Plin. Paneg. LXXXI, loquens de venatione: *Nec mediocre pacis decus habebatur, sub-*

mota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatur agrestium labor. Pro captivitate accipit Iust. XXXIX, 1: *Demetrius obsidione Parthorum liberatus.* Sic *obsidere tempus alicuius*, impedire atque obsistere, ne quis suo tempore utatur, fraude morari aliquem ac detinere. Cic. I Verr. cap. 2: *Vt perspicuum cuivis esse possit, hominem ab isto quaesitum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret.* Eleganter etiam Iust. XLII, 4: *Stultae pellices, ex quibus generata tanta iuventus erat, pro suis quaeque sollicitae, animum senis obsidebant*, id est sui iuris atque arbitrii esse non patiebantur. Quale de Hierone narrat Liv. XXIV, 4: *Non facile erat, nonagesimum iam agenti annum, circumsesso dies noctesque, muliebribus blanditiis liberare animum.*

Vs. 266. *Obnoxium esse alicui* pro obligatum, deditum, subiectum et devinctum alicui esse, sive per beneficia accepta, sive per potestatem, et ius, puta magistratus vel domini, vel patris, sive denique per patientiam non satis honestam. Capt. II, 1, 20: *Obnoxii* etc. quae est formula gratias agendi; pro qua dicunt: sumus vobis obligati. Liv. VII, 30: *Si secundis rebus nostris amicitiam vestram petissemus, subiecti atque obnoxii vobis minus essemus.* Eidem *pax obnoxia* dicitur pro iniqua, in qua pars altera premitur, et quasi in ditione est. VI, 28: *Vbicunque esset Latinus hostis, satis scire eum esse, quem ad Regillum Lacum devictum, centum annorum pace obnoxia tenuerunt*: lib. IX, 10: *Emersisse civitatem ex obnoxia pace, illius consilio et opera.* Loquitur de foedere Caudino. Inde etiam *obnoxius* idem quod infirmus, invalidus, qui laeditur facile atque impune, et vexationi atque iniuriis expositus est, et propterea semper anxius et sollicitus vivit. Suet. Tib.

cap. XII: *Enimvero non privatum modo, sed etiam obnoxium et trepidum egit.* Senec. Cons. ad Marc. XXI: *Labuntur humana et fluunt, neque pars vitae nostrae tam obnoxia aut tenera est, quam quae maxime placet.* Flor. IV, 4, de Octavio Caes. *Intra decem et octo annos, tenerum et obnoxium.* Sic *corpus* humanum Seneca vocat *obnoxium animi domicilium.* Tacitus *obnoxiam urbem* Romam vocat, ubi de incendio Neronis, Annal. lib. XV, cap. 38: *Incendium anteit remedia velocitate mali, et obnoxia urbe arctis itineribus, hucque et illuc flexis.* Obnoxius animus Plin. Praefat. *Obnoxii profecto animi et infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere* id est, servilis et abiecti. Liv. III, 39: *Obnoxio die eas sententias* vocat, quae non libere dicuntur, sed in gratiam potentium. Seneca. Hominem dicit esse *animal obnoxium*, id est multis miseriis et damnis expositum. Vid. Gron. ad Sen. III, de Ira c. 8.

Vs. 268. *In commune fraudem frausus*, est qui publicum rapuit, ut loquitur vs. 55, qui remp. fraudavit, et quod eius erat, in privatum convertit. Festus: *Frausus erit, fraudem commiserit.* Formulam hanc antiquam emollivit Livius lib. XXIII, 14: *Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniae iudicati in vinculis essent.* Vbi tamen Scal. mavult *frausi.* Liv. XXVI: *Capitalia ausi plerique.* Cic. pro Rabir. Perd. cap. 9: *Si C. Rabirius fraudem capitalem admisit, quod arma contra L. Saturninum tulit.*

Vs. 298. *Esse alicui in mundo*, id est in promptu, paratum, expeditum esse. Vti quae munda habemus, veluti chartam, vestimentum, ferramentum, quibus statim, ubi necessitas inciderit, uti possimus, nec exspectandum est, dum mundentur. Hac Fabula

II, 1, 16: *Mihi in mundo sunt virgae.* Cas. III, 3, 3: *Cui quod amet in mundo siet.* Epid. V, 1, 12: *Habe bonum animum, quippe cui libertas in mundo sita est.* Pseud. I, 5, 84: *Pistrinum in mundo scibam, si id facerem, mihi.* Sic *mundum* pari compendio dixerunt cultum mundum, quo mulieres ad munditiem utuntur. Phaedr. fab. 4, lib. IV, *Mundum muliebrem, lavationem argenteam, eunuchos glabros.* Et in libris Iuris, quibus mulieres exornantur et munditias acquirunt: quamquam ICti inter mundum et ornamenta distinguunt. Paulus Sentent. III, 6: *mundo muliebri legato ea cedunt per quae mundior mulier lautiorque efficitur, velut speculum, conchae, pyxides, argentum balneare, unguenta, et vasa in quibus ea sunt: ornamentis legatis, quibus ornatior sit, veluti annuli, catenae, vestes, monilia.* Nec minus eleganter Apul. VI Metam. *Erant et falces, et operae messoriae, mundus omnis,* id est omnia instrumenta, quibus in metendo rustici utuntur, omnis apparatus. Idem in Apol. *Cereris mundum* vocat arcana in Eleusiniis Sacris: *Quoniam ut res est, maius piaculum decernis, speculum Philosopho, quam Cereris mundum profano videre.* (Potest etiam haec phrasis *in mundo esse* ita explicari, quia cuiusmodi instrumenta in parato semper habebant, quibus utuntur, inde *in mundo esse* translatum ad quaevis aliae, quae in promptu sunt. Contrarium *immundus* pari significatu, vide in Lexico Parei vocem *immundus* ex Tertulliano; ut et *mundus.*

Vs. 309. *Ducere anhelitum* pro difficulter respirare, πνευστιᾶν, sive brevem et frequentem spiritum ducere: quod accidit aut asthmate sive suspirio vexatis, aut ex cursu fatigatis, aut ira commotis. Vulgus male pro anima et respiratione usurpat, quum sit eius vi-

tium. Senec. ep. LIV, de suo morbo loquens, quem ait fuisse instar suffocationis: *Deinde paulatim suspirium illud,, quod esse iam anhelitus ceperat, intervalla maiora fecit, et retardatum est ac remansit: nec adhuc, quamvis desierit, ex natura fluit spiritus. Sentio haesitationem atque eius moram.* Hinc *recipere anhelitum* est celerem illam ac praetrepidam respirationem sedando paulum se colligere. Epid. II, 2, 21: *Animo male est, recipiam anhelitum.* Ap. *clementer acquiesce.* Sic Merc. III, 4, 16. Virg. II Georg. 135: *Senibus medicentur anhelis*, Δυσπνοΐαν inquit Servius lib. V Aen. 431, de Entello sene:

Tarda trementis
Genua labant: vastos quatit aeger anhelitus artus.

Lib. IX, de Turno fatigato:

Nec respirare potestas,
Et fessos quatit aeger anhelitus artus.

Horat. lib. I, od. 15: *Sublimi fugies mollis anhelitu.* Terent. *Confugere anhelantem domum.* Hinc *anhelans inopia* dicitur de illis, qui in magnis angustiis sunt ob inopiam. Iust. IX, 1, 6: *Anhelantem inopiam paululum recreavit.* Aliter, sed etiam in vitium tamen, Cic. post Redit. in Senat. cap. VII: *Non te illius unguentorum odor, non viri anhelitus, non frons calamistri notata vestigiis.* Philipp. XIII, 2: *Quem vini anhelitum, quas contumelias fore censetis, minasque verborum?*

Vs. 341. *Opus exasciatum.* Phrasis proprie ad architecturam pertinet, et significat *ascia* politum. Translate idem quod perfectum, elaboratum, expolitum. Prudent. Hymn. in Rom. Martyr. vs. 381: *Deasciato supplicare stipiti.* Est auten *ascia* instrumentum fabrile ad polienda et leviganda quaecun-

que *subtiliora* opera ex ligno. Tertull. Apol. *In Deos vestros per omnia membra incumbunt asciae et runcinae et scobinae.* Inde phrasis in Inscription. CCCLXXXII, 1: *Sub ascia opus dedicare* pro exasciatum dedicare. Vt alibi in iisdem: *statuam sub auro constitui locarique*, pro auratam.

Vs. 351. *Oblectare aliquem alicubi*, tenere, morari, sustinere et lactare aliquem. Sic Terent. Hecyr. I, 2, 9: *Dic mihi, Philotis, ubi te oblectasti tam diu?* Similiter Asin. hac I, 2, 16: *Sordido vitam oblectabas pane*, vix sustentabas, morabare, ne per famem atque inediam effugeret. Pers. I, 3, 46: *Marsupium habeat; inibi paulum praesidii, qui familiarem suam vitam oblectet modo.* Quod sufficiat ad quotidianum cibum, nihil ad laute splendideque vivendum: satis ad vivendum modo. Cic. pro Caelio ex Cecil.: *Si egebis, tibi dolebit; mihi sat est, qui aetatis quod reliquum est, oblectem meae.* Colum. VI, 26: *Castratus vitulus sequenti triduo, velut aeger cacuminibus arborum, et desecto viridi pabulo, oblectandus prohibendusque multa potione.* Cornif. ad Herenn. IV, 1: *Argentum quoque vult? tametsi hospites habeo, tamen utatur licet: nos Samiis delectabimur*: id est, nos sustinebimus, contenti erimus.

Vs. 421. *Rescribere nummos alicui*, est per chirographum ab alio, ut plurimum de mensa, numerare vel solvere: *Scribere, perscribere, rescribere, scriptura*, verba sunt argentariorum. Cic. pro Pison. *Rationes et scite et litterate perscribere.* III ad Att. *Boni viri usuras perscribunt.* Sic et *transcribere*: vide Serv. ad Virg. VII Aeneid. vs. 422. *Trapezitae*, qui et *argentarii*, et *nummularii*, Plauto *Danistae*, pecuniam et suam et alienam exercebant: *Quorum rationem esse, Labeo ait, ultro, citro, dandi, accipien-*

di, *credendi*, *obligandi*, *solvendi sui causa negotiationem*, Dig. Leg. VI, 3, de Edendo. Dicuntur autem Iustiniano Novell. 166: αργυροπράται, καὶ ἀργυροπράκται, a Suida ἀργυραμοιβοὶ, a Polluce κολλυβισταὶ καὶ κερματισταὶ. Habebant Romae in argentariis tabernis mensam positam, in qua servabant, numerabantque pecuniam; unde et *argentariae mensae exercitores* vocantur in edicto praetoris, leg. 4, de Edendo. Et *mensarii* Cicer. pro Flacco cap. 19; Suet. in Aug. cap. IV, et ibi Torrent. pag. 115. Et *mensularii* leg. 24, §. 2 de rebus auctor. Iud. Leg. 47, §. 1 D. de pactis: *L. Titius G. Seium mensularium, cum quo rationem implicitam habebat, propter accepta et data, debitorem sibi constituit, et ab eo epistolam accepit in haec verba: Ex hac ratione mensae quam mecum habuisti, in hunc diem ex contractibus plurimis remanserunt, apud mensam meam, trecenta octoginta sex, et usurae quae competierint.* Harum mensarum meminit Plautus Curcul. V, 3, 3, et Pseud. I, 3, 62. Vbi *de mensa surgere* dicuntur argentarii, qui foro cedunt, decoquunt. Duobus modis Romani servabant pecuniam, aut in mensa: duoque hinc erant solvendi modi, nempe aut ex arca, aut de mensa. Ex priori ratione est ut *arcam habere* diceretur bene nummatus, contra pauper. Vnde illud Catull. ep. 21: *Cui neque servus est, neque arca.* Intelligit pauperem, nummis carentem, sive habentem neque mancipium, neque pecuniam. Cic. I ad Att. ep. 9: *Arcae nostrae confidito*, id est, opibus nostris, pecuniae. Idem ad Q. Fr. II, 12: *Iocum autem Caesaris de sua egestate ne sis adspernatus: ad quem ego rescripsi nihil esse, quod posthac arcae nostrae fiducia conturbaret.* Plin. III, ep. 19: *Accipiam a socru, cuius arca non secus ac mea utor.* Arcae curam plerumque habebant servi,

qui *dispensatores* et *arcarii* dicebantur. Columell. III, de R. R. cap. 3: *Domini arcam exhaurire* dicitur, qui eius pecuniam consumit. Iuven. Satyr. III: *Quantum quisque sua nummorum possidet arca, Tantum habet et fidei.* Petron. *Hinc quemadmodum ratiocinari didicisset, dein dispensator factus est.* L. 41, §. 13, D. de fideicomm. libert. *Stichus arcarius probante domino nomina fecit.* Pro eo Lex 41, de reb. cred.: *Eius, qui in provincia Stichum servum calendario praeposuerat.* Val. Max. ait alicubi, *arcas effundi in culinas*, id est, pecuniam luxuria prodigi. Add. Ramires. in Mart. I, ep. 76. Sed multo maiorem solebant habere in mensa, aut depositam, dum publicam fidem sequuntur, et tutissimum eum locum putant, aut pro occasione usuri, et per partes erogaturi, aut creditam mensariis sub usuris datam, qua illi suo arbitrio uterentur, lucrum suum sectantes. De quo utroque genere, leg. 24, §. 2, de reb. auctor. iudicum possid.: *In bonis mensulariis vendundis post privilegia potiorem eorum causam esse placuit, qui pecuniam apud mensam publicam secuti deposuerunt; sed enim depositis nummis usuras a mensulariis acceperunt, a caeteris creditoribus non separantur.* Huc respicit Plaut. Aul. III, 5, 53, 56. Capt. II, 3, 89: *Sequere me, viaticum ut dem hinc a trapezita tibi.* Apud quem scil. pecuniam suam habebat Hegio. Nam sup. I, 2, 90 dicit: *Subducam ratiunculam, Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet*: id est, quantum in mensa depositum supersit. Sic in Curc. IV, 3, 4 inquit miles ad Lyconem trapezitam: *Triginta minas ego apud te deposui.* Aurelius Victor Schotti in Iuliano de procuratoribus Traiani: *Adeo ut unus ex iis diceret locupletium quemque ita convenire: quae habes ad mensam? alter unde habes? tertius pone quae*

habes. Apul. Apolog. I: *Cato in oratione scriptum reliquit, quum in Hispaniam Consul proficisceretur, tres servos solos ex urbe duxisse: quoniam ad villam publicam venerat, parum visum qui uteretur: iussisse duos pueros in foro de mensa emi: eos quinque in Hispaniam duxisse. Emi nummis ab argentario numeratis*, sive ipse antea illic depositos habebat, sive ab eo sumeret mutuos. Singulorum, a quibus acceperat pecuniam, rationes conficiebat argentarius, et in codices referebat, tum quid cuiusque nomine, cuive erogasset: haec *mensae scriptura* vocabatur, leg. 27, §. 1, de furt. *Si quis quum alias probationes mensaeque scripturam haberet, chirographi furtum passus sit.* Eas rationes lite orta praetorio edicto cogebat argentarius. Cui ergo aliquid solvendum erat, is dabat chirographum ei, cui debebat, in quo fatebatur, tantam summam eius pecuniae, quam in mensa haberet, in illum se transtulisse; aut ipse mandabat argentario, intra quem diem, quam summam alii vel numerandam; vel in posterum adscribendam haberet: de qua ipsa re et ipsi argentario tabellis ac scriptura cavebatur, id vocabant *describtum solvere.* Eodem pertinet Aul. III, 5, 52: *Vbi ad postremum cedit miles, aes petitur, putatur ratio cum argentario.* Terent. Adelph. II, 4, 13: *Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam.* Vbi Donatus: *Tunc enim in foro et de mensae scriptura, magis quam ex arca domoque vel cista pecunia numerabitur.* Polyb. lib. XXXI, de. L. Scipione dotem sororibus persolvente: *Scipio* εὐθέως συνέταξε τῷ τραπεζίτῃ, *statim argentario mandabat, ut quinque et viginti talenta utrique intra decem proximos menses persolveret. Quum ergo Tiberius Gracchus et Scipio Nasica, quibus antedictae mulieres nupserant, elapso mense decimo confestim ad ar-*

gentarium venissent, rogassentque numquid de ea pecunia mandati ab Scipione haberet, ille pecuniam accipere illos iuberet, et quinque et viginti talenta utrique numeraret, etc. Hinc factum ut *rescribere*, et *perscribere nummos* veteribus in usum venerit pro solvere. Terent. Phorm. V, 7, 29: *Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi argentum rursum iube rescribi, Phormio*, ubi Donatus: *Reddi, seu per mensae scripturam dari: quoniam ad numerationem pecuniae antecedit scriptura, rescribere dicebant, pro renumerare.* Vnde hodie additur chirographis: domo, ex arca sua; vel ex mensae scriptura. Et statim: *Quodne ego perscripsi porro illis, quibus debui.* Donatus: *multis per scripturam*. id est de mensae scriptura *reddidi*, multis dedi. Cic. XVI ad Att. ep. 2 Horat. lib. II, Sat. 3: *Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.* Vbi Acro: *Quae debita nunquam soluturus sis: est enim, debita solvere*, hoc est, *scriptum debiti liberare.* Auson. epist. ad Theg.: *Ergo aut praedictos iam nunc rescribe Darios.* Id est, redde vel numera. Item *Darii* hic pecuniae genus sic dictum ab insigni, ut *Philippi* apud Plautum, paulo ante ab eodem. Liv. XXIV, 18: *Inde si quid emptum paratumque pupillis foret, a Quaestore perscribebatur*, id est quaestor solvebat, vel solvere iubebat. Cicero dixit *numeratum a Quaestore*; pro Flacco cap. XIX: *Si Praetor dedit, a Quaestore numeravit. Quaestor a mensa publica: mensa aut ex vectigali aut tributo.* Cuiusmodi ad Att. VII, 18: *Q. Frater laborat, ut tibi quod debet, ab Egnatio solvat*, id est nummos, quos vel ipsi debet Egnatius, vel mutuos det. Notanda haec loquendi genera *dare* ab *aliquo*, ut fuit in loco citato ex Capt. Plaut. II, 3, 89: *numerare ab aliquo*, ut hic apud Cic. Sic enim dicimur, quum

pecunia quidem est nostra, sed alius eam servat et iussu nostro erogat. Sic Cic. lib. V ad Att. ep. ult. *Homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere. Quod enim Praetori dare consuessent, quoniam ego non acciperem, se a me quodammodo dare.* Pro Planc. *Sinite me, quod vobis fretus huic saepe promisi; id a vobis ei solvere*, id est, sinite me illi a vobis beneficium impetrare, quod ei debeo, quodque ei dare volo. Rursum pro Flacco cap. XXXII: *Census es praeterea numeratae pecuniae CXXX millibus, eam opinor numeratam tibi esse non abs te*: id est, ea si numerata tibi est, magna opinor pars eius ab alio est, non tua: *Sic edidisti censum, ut aes alienum quod habes, in censu tuo duceres, et computares.* Suet. Aug. 40: *Tribulibus suis die comitiorum, ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum a se dividebat.*

Vs. 471. *Praefiscinae dixerim*, formula est praefandi ad avertendam invidiam, si quid honestiores de se aut alio dicerent, quam maligni auditores alienarum laudum ferre possent: eodem sensu quo dicimus: *absit invidia* dicto. Superstitio eam genuit. Credebant namque periculum esse a fascino illis, qui impensius aut laudarent ipsi se, aut praesentes ab aliis laudarentur. Eius fascini deprecandi causa putabant se praemuniri, vel illos quos praedicarent, praemissa hac formula: *praefiscine dixerim*; quod est dictum, quasi prae fascino liceat mihi confiteri. Rud. II, 5, 4: *Praefiscine, satis nequam sum.* Ludit enim servus, quasi ea laus esset servi hominis, frugi non esse. Titinnius comicus antiquus Setina: *Puella mea, amabo, pol tu ad laudem addito praefiscini.* Scilicet, subiungit Charisius Grammaticus antiquus, haec verba allegans, *Ne puella fascinetur.* Appul. Florid. *Gratum*

esse populo, placere ordini, probari magistratibus et principibus: id praefiscine dixerim, iam quodammodo mihi obtigit. Symmachus ita effert lib. I, epist. 7: *Beneficium suum fortuna tuetur, et has saltem Romano nomini velit servare divitias: nullo fascino felicitas publica mordeatur.* Dicebant autem *praefiscine* et *praefiscini* eodem sensu ut *peregre* et *peregri*, *here* et *heri.* Vide et lexicon Parei.

Vs. 476. *Secundas facere alicui* significat blandiri, supparasitari. Interdum etiam honeste assentiri. Tractum a Comicis actoribus, qui dicebantur alii *primarum*, alii *secundarum partium*, ac deinceps: atque hi illis subserviebant: itaque et in his parasiti. Horat. I, epist. 18, vs. 12:

Sic iterat voces, et verba cadentia tollit,
Vt puerum saevo credas dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas.

Cic. de Divin. in Caecil. cap. 15: *Vt in actoribus Graecis videmus: saepe illum, qui est aut secundarum, aut tertiarum partium, quum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum submittere, ut ille princeps quam maxime excellat: sic faciet Allienus, tibi serviet, tibi lenocinabitur, minus aliquanto contendet, quam potest.* Ascon. ad istum locum: *Comoedia quinque actus habet, hoc est quinquies ducitur in scenam. Est ergo persona primarum partium, quae saepius actu regreditur, secundarum, et tertiarum, quae minus minusque procedunt.* Cic. pro Flacco cap. XXVII: *Quis unquam Graecus Comoediam scripsit, in qua servus primarum partium, non Lydus esset?* Suet. Calig. LVI: *Et quum in Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomuit; ut plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena*

abundavit. Vide Valer. Max. IX, 14, ex. 4, de Lentulo et Metello coss. Vide Festum in *Salva res est.* Hinc *secundas facere*, *agere* ponitur pro blandiri. Plut. Cic. 866: καὶ κατειργάσατο τῇ χάριτι ταύτῃ τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ ὑποκριτὴν ἔμμισθον αὐτῷ τὰ δεύτερα λέγειν· ὑπὲρ τῆς πατρίδος. Id est: *Hoc sibi beneficio devinxit Antonium, ut velut mercenarius histrio sibi in tuenda patriae salute secundas partes ageret.* Senec. de Ira III, 9: *Optimum iudicavit, quidquid dixisset, sequi et secundas agere.* Sidonius de Theodorico lib. I, ep. 2: *Secundas fastidit vel timere vel facere.* Livius dicit *Secunda facere alicui*, pro dicere vel facere, quae alicui grata, servientia, obnoxia sunt. Vide Notas meas ad lib. XXIII, 14, Et Observ. Eccles. c. 25. *Secunda* autem idem quod partes secundae in hac phrasi. Lucanus VIII, vs. 676: *Operae miles Romane secundae.*

Vs. 498. *Portisculum habere*, id est moderamen et imperium quiescendi et agendi, dictare metum et quietem, vices loquendi et tacendi. Translatum ab re nautica. In nave, quae remis agebatur, loco omnibus conspecto remigibus ad malum sedebat *hortator* (sic enim vocatur Mercat. IV, 2, 5,) qui ne socii navales inaequali motu turbarent remigium, omnibus conandi aut sustinendi signum dabat. Id signum autem dabatur voce, dicebaturque *celeusma.* Servius ad Virg. V, Aeneid. 177: *Hortaturque viros. Ipse dicit celeusma, nam hortatores dicuntur.* Asconius in Divinationem non procul a fine: *Cani remigibus celeusma per symphonias solebat et per assam vocem, hoc est ore prolatam, et interdum, ut in Argo navi, per citharam.* Mart. III, 67, loquens velut ad nautas: *Lentos figitis ad celeusma remos*; aut malleo dabatur signum, aut pertica pulsa in aliquod corpus resonans et fragorem edens: Isque malleus *portisculus* di-

cebatur. Festus: *Portisculus, qui in portu modum dat classi: id est autem malleus.* Ennius lib. VIII Annal. *Tonsamque tenentes parerent, observarent, portisculus signum quum dare coepisset.* Loquitur de remigibus, qui remos (id enim est *tonsam*) tenentes intenti signum remigandi exspectarent. M. Cato: *C. Licinio praetore, remiges scripti cives Romani sub portisculum, sub flagrum conscripti veniere passim.* Nonius: *Portisculus proprie est hortator remigum, id est, qui eandem perticam tenet, quae portisculus dicitur, quo excursum et hortamenta moderatur.* Quae partim vera sunt, partim falsa. Verum est, perticam ipsam sic dici: hortatorem, falsum. Vide Festum et ibi Scaligerum, qui male Catonem interpretatur; Heins. ad VI Sil. p. 403, et seq.; Dousam, qui solus bene; Lactant. ad VI Thebaid. p. 300; Becmann. Orig. Voss. Rhet. p. 2; Liv. IV, cap. 1, p. 9; Casaub. in Plin. II, ep. 14; Meurs. Mantiss. cap. 1; Casaub. ad Suet. Aug. 24; Carrio lib. I Emendat. cap. 10; Observationes meas lib. IV, cap. 26, pag. 417, 418, ubi multis de hoc loco egi.

Vs. 724. *Vnicum ad aliquam rem esse.* Est prae aliis omnibus ad aliquid aptissimum esse. *Vnicus* est singularis, egregius, eximius. Afranius comicus vetus: *Quis tam sagaci corde atque ingenio unico?* Liv. VII, 1, de Furio Camillo: *Fuit enim vere vir unicus in omni fortuna; princeps pace belloque.* Velleius lib. II, cap. 7: *Huic atrocitati adiectum est scelus unicum:* id est maximum, gravissimum, cuius vix exemplum exstat.

Vs. 814. *Diem dicere*, id est quasi reus sis, quasi iudicium capitis subiturus sis. Nam proprie *diem dicere* est, quum Tribuni plebis alium magistratum apud populum accusant.: *Diem dicere* est in ius vocare,

accusare. Liv. I, 11: *A. Virginius ex Tribunis unus, Caesoni capitis diem dicit.* Lib. II, 35: *In exeuntem e curia impetus factus esset, ni peropportune Tribuni diem dixissent.* Lib. III, 56: *Accusatorem primum Virginium et Appium reum deligunt. Quum diem Appio Virginius dixisset.* Menaech. IV, 2, 16; Capt. III, 1, 34; Suet. Caes. 12: *Subornavit etiam qui C. Rabirio perduellionis diem diceret.* Cic. pro Milon. XIV: *Diem, credo, mihi dixerat.*

Vs. 876. *Foenerato dare aut sumere* dicimur, cum magno malo nostro aut damni aliis dati pensationem graviorem recepturi, aut rem alii ereptam interversamque, maiore cum iactura nostra reddituri, ut hic: *Nae ille foenerato funditat*, pro, quod mali facit, cum foenore passurus est, seu cum augmento. Menaech. IV, 2, 40: *Nae illam foenerato abstulisti*, id est reddere debes cum incremento, ut solemus, quod foenore accipimus.

Vs. 893. *Reges et Dominos* vocabulis, quae Romae alias incivilia erant, appellabant divites, convivatores lautos, qui amicos, praecipue humiliores, et re familiari paulo angustiore, frequenter excipiebant convivio. Capt. I, 1, 24: *Meus rex*, id est, ille qui me alebat. Stich. III, 2, 2. Martial. lib. II, epigr. 18:

Tumidique anteambulo Regis.

Et apud eund. lib. X, ep. 10:

Qui me respiciat, dominum Regemque vocabo.

Sall. Fragm. III Histor. in coenae descriptione, in qua Sertorius interfectus est, narrat, sedisse scribam Sertorii medium inter Tarquitium et dominum Perpernam. Cic. in Vatin. cap. XIII: *Quum ipse epuli dominus L. Arrius albatus esset.* Sic et ipsa sodalitia

(quia aut unus erat rex aut dominus, hoc est praebitor, aut si plures essent, hoc est symbolas conferrent, legebatur tamen rex seu dominus sorte) vocabant *regna*, *dominia*, *magisteria*. Horat. lib. I, od 4: *Non regna vini sortiere talis.* Id est, nec sorte iacta, vel talis iactis, regem in convivio statues, aut declarabis. Lucil. I, 13: *Primum sodalitia atque dominia omnia tollantur.* A. Gell. II, 24: *In quo iubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, mutua inter se dominia agitarent, iurare apud consules verbis conceptis, non amplius in singulas coenas sumtus esse facturos, quam centenos vicenosque aeris.* Cic. Cat. Maior: *Me vero et magisteria delectant a maioribus instituta, et is sermo, qui more maiorum a summo adhiberetur in poculis, et pocula, sicut in Symposio Xenophontis, minuta et rorantia.* Nam et *reges* et *domini*, iidem et *magistri* vocabantur. Catull. *Inger mi calices amariores, Vt lex Postumiae iubet magistrae. Magistram* vocat mulierem, quae convivio praesidebat, ut Mart. *reginam.* Varro vocat et *Modimperatores*, quasi qui modum bibendi imperent et praescribant, apud Non. *In conviviis instituti potandi modimperatores, magistri.*

AVLVLARIA

Fab.

Vs. 18. *Digitum transversum* est idem quod brevissimum spatium. *Digitum* dicebant proverbio de re valde brevi. Alcaeus, Πίνωμεν. τὶ τὸν λύχνον ἀμμένομεν; δάκτυλος ἀμέρα. *Bibamus. Cur lucernam exspectamus? dies digitus*, id est non longior est digito, seu valde brevis; tempus effluit. Bacch. II, 3, 19. Si adhuc contrahere et minus facere spatium vellent, dicebant *digitum transversum*. Id est latitudinem digiti, ut hic Plautus. Proprie usurpat Cato R. R. XLVIII: *Eo terram cribro incernito altam digitum transversum.* Sic idem *dimidiatum* cap. CLII: *Eo cribro terram incernito, dimidiatum digitum terram altam succernito.* Sic *pedem latum* Mostell. II, 2, 3. Cic. VII ad Att. ep. 3: *Mihi certum est ab honestissima sententia digitum nusquam.* Dicitur per ellipsin verbi *recedere*. Eadem ratio est de *ungue*: significat enim se plane nolle a sententia discedere. *Vnguem transversum* eodem sensu dixit VII Fam. ep. 25: *Vrgue igitur, nec transversum unguem (quod aiunt) a stylo. Is enim dicendi opifex.* Cic. XIII ad Att. ep. 20.

Vs. 40. *Defaecatus animus* est liquidus, purgatus, hilaris. Macrob. in Somn. Scip. I, 8: *Tertiae sunt purgati iam defaecatique animi, et ab omni mundi huius aspergine pressi pureque detersi.* Most. I, 3, 2; Pseud. II, 4, 70. Translatio est sumta a vino: *Faeces* enim proprie sunt vini purgamenta. Vnde *defaecare sene-*

ctutem vini dicit Tertull. et *musta defaecare* Symmachus Lib. III, 23: *Alii scalis ad arborem summam perrepunt, plerique condita musta defaecant.* Seneca id vocat *diffundere vina veterna*, IV, 13 N. Qu. Faciebant id aliquando in vino vetere, id colando per lineum sacculum, qui ab hoc usu dicebatur *colum vinarium*. Glossar. vetus: *Defaeco, sacco percolo.* Vide Plin. XXIII, 1. Mart. VIII, Epig. 45:

Defluat, et lento splendescat turbida limo,
Amphora centeno consule facta minor.

Iubet adhiberi vinum centum annorum, idque priusquam bibatur, defaecari, seu per saccum percolari. *Amphora turbida* est vinum, in quo multae sunt faeces propter aetatem. *Centeno consule facta minor* est post centum annos aperta amphora, postquam ibi vinum est conditum.

Lento limo ait, quia paulatim distillat quum funditur per colum, in quo sordes relinquit. Idem dicit hoc *saccari vinum*, lib. II, 40:

Caecuba saccentur, quaeque annus coxit Opimi.

Caecuba sunt vina in agro Caecubo nata, longe generosissima. Sed et Opimio consule vinum ubique in Italia praestans fuit, et in multos annos est servatum, venitque in proverbium, *vinum Opimianum* pro praestantissimo et optimo. Sic etiam Seneca dixit *saccatam aquam*, pro per saccum missam et colatam; eodemque verbo Lucretius, Arnobius, Sammonicus utuntur, *saccatum humorem corporis* pro lotio dicentes. Caeterum quia proprie *defaecatum* vinum idem est quod colatum, ideo et pari translatione *colatam serenitatem coeli* dicit Tertullianus, pro purissima liquidissimaque coeli vel aëris parte, lib. I advers. Nation. Et Mart. lib. VIII, ep. 14: *Sine*

faece diem dixit, pro die sine nive, pluvia, grandine et illis quae liquidum aëris conturbant. Manil. vero *colare amnes* dicit pro piscari, lib. V, vs. 193.

Vs. 152. *Onerare zamiam* est idem quod ait Brutus ad Cic. II ad Famil. ep. 13, *iniungere detrimentum*, ζαμίαν. Plin. de nucibus pineis, XVI, 26: *Quae se in arbore ipsa divisere, vocantur zamiae, laeduntque caeteras, nisi detrahantur. Onerari* autem non tantum dicitur res, verbi causa navis, quae accipit onus, sed etiam illud ipsum, quod imponitur, sive onus ipsum. Graeci vocant ἐμβάλλεσθαι. Sic Cato apud Nonium dixit *Onerare commeatum in naves*, Orig. lib. II: *Si in naves putidas atque sentinosas commeatum onerare volebat.* Sic hic *onerare zamiam*, est inferre, imponere zamiam, sive iacturam, ut *onerare vinum*, imponere vinum. Virgil. I Aen. 195: *Vina, bonus quae deinde cadis onerarat Acestes.* Salmas. ad Fl. Vopisc. pag. 387. (Turn. Adv. XXVII, 30.)

Vs. 189. *Mordicitus scindere* est dentibus lacerare, appetere mordicus. Capt. III, 4, 73. Apul. III Metam. *Calcibus feriens et mordicitus appetens necare deberem.*

Vs. 225. *Subitum est nimis*, id est ita festinatum, et praeproperum, ut ad id parati esse nequeamus. Sic Cic. XIII Famil. ep. 2: *Propter opera instituta multorum subitum est ei remigrare Kal. Quinctilibus*, id est, non potest esse paratus ad emigrandum Cal. Quintil.

Vs. 234. *Obsonare* vel *obsonari* est obsonium emere. Maenech. II, 2, 1; Capt. III, 1, 14: *ipsi obsonant*, pro ipsi in foro cibum emunt: *Obsonari ad minam* Truc. II, 4, 91, id est minae pretio, quod facit decem ducatones; ibid. *Dare minam in obsonatum* IV, 2, 25; *obsonatum mittere* Casin. II, 8, 4; *Pergere*

Mil. III, 1, 154: *obsonare obsonium* Bacch. I, 1, 63 et I, 2, 55; *Aliquid scitamentorum* Maen. I, 3, 26. Apud Senec. epist. XLVII: *Obsonatores servi, quibus dominici palati notitia est. Obsonare a cupedinariis* Apul. Apol. sive a vendentibus cupedias, seu cibos delicatos. Est autem *obsonium* omne id, quod una cum pane et praeter panem comedimus; obtinuit tamen ut κατ' ἐξοχὴν ita piscis, quod eximius sit cibus, vocaretur, ut apud Graecos ὄψον et ὀψάριον, ut et ὀψωνοῦν de piscibus usurpantur; vide etiam Notas ad Terent. Andr. II, 2, 23.

Vs. 272. *Vadari aliquem*, proprie est accipere ab aliquo vades, hoc est fideiussores locupletes, qui certa sponsione pecuniae *illum unde petebatur* vadimonium obiturum, seu in ius venturum, recipiant et promittant. Liv. III, 13: *Tot vadibus accusator vadatus est reum*, quod est, tot fideiussores ab eo accepit in ius venturum esse. Dabantur autem vades, ne in carcerem attinerentur usque in diem iudicii. Pers. II, 4, 18. Cic. III Verr. 15: *Quum Apronius de Leontino usque Lilybaeum aliquem vadaretur ex miseris aratoribus*; id est cogeret in ius venire. Quia autem hoc fit nulla alia quam rei in iure sistendi caosa, ideo *vadari* simpliciter accipitur pro in ius vocare, citare. Horat. lib. I, satyr. 9, vs. 36:

Et casu tunc respondere vadato Debebat

Scilicet adversario, qui eum in ius vocaverat. Ovid. de Remed. vs. 665:

Iamque vadaturus; lectica prodeat, inquit.
Prodierat: visa coniuge, mutus erat.

Vadaturus est actionem ei intenturus. Translate noster Curc. I, 3, 5: *Vbi tu es, qui me convadatus*

Veneriis vadimoniis? Pl. *Vbi tu es, qui me libello Venerio citavisti? ecce me: sisto ego tibi me*; id est qui me vi amoris coëgisti, ut huc veniam, hic me sistam. Verba sunt meretriculae ad adolescentem, qui eam ad se venire iusserat. Allegoria autem est a citatione in iure, et formula, qua reus, quum vadimonium obiisset, appellabat vadatum seu actorem. Bacch. II, 2, 3: *Qui abire... attines*. Vbi etiam observandum, *vadatum* quoque passive dici, quum in prioribus exemplis activum sit. Quum is *unde petebatur* fideiussores daturum se promitteret, dicebatur *promittere vadimonium*. Apul. IX Metam. pag. 239 Elmenhorst.

Vs. 325. *Indicare aliquid* carum, est magnum pretium constituere, et dicere rei venalis summam ingentem. *Indicare* est venditoris proprie, Pers. IV, 4, 26, 37, 39, 40. Cic. de Off. lib. III, c. 15: *Vt sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur*. Liv. XXVIII, 46: *Indici praemium constitutum, quantae pecuniae ager indicatus esset, pars decima*. Plin. III, 7: *Indicato in Cypro sex aureis denariis smaragdo, iussisse enumerari*. Hinc apud Eund. lib. XXXVII, cap. 2, est *Indicatura*. *Neque est hodie myrrhini alterius praestantior indicatura*. Senec. epist. XLVII: *Hoc quod concupiscimus, quanti deferatur*, id est indicetur.

Vs. 330. *Manum adire alicui* est phrasis elegantissima; postquam spem alicui dederis, quum ad rem ventum est, frustrari, et eundem fallere. Casin. V, 2, 14: *Quid nunc? Satin' lepide adita est vobis manus* pro nonne pulcre decepti estis? Poen. II, 1, 11, Pers. V, 2, 18.

Vs. 398. *Pipulo differre aliquem*, significat magna et elata voce publice alicui convitium facere, Varro

de L. L. ita interpretatur Plautum: *In Aulularia pipulo hic differam te ante aedes, id est convitio, declinatum a convitio pullorum.* Festus: *Pipulus dicebatur ploratus.* Sic in lege XII Tab. erat *Pipulo poscere*, idem quod Quint. in Praefat. Instit. Orat. dicit, *convitio efflagitare.*

Vs. 423. *Eximere e manu manubrium*, est ansam, vel facultatem rei agendae alicui eripere. Nam *Manubrium* est lignum aut ansa, qua tenetur malleus. Vnde proverb. in Epid. III, 4, 86: *Malleum sapientiorem manubrio.* Apoecides, de quo haec dicit Periphanes, erat I. C. adhibitus ab illo, ut tanto cautius ageret. Fuerunt autem uterque decepti, et ideo parum caverant. Ergo ait, me decipi, mirum non est, sed ipsum illum cautorem captum, hoc vero pudendum. Tamen vult videri admodum sapiens prae me: scilicet quanto plus sapit malleus manubrio. Ambo autem nihil sapiunt.

Vs. 428. *Conditio* interdum κατ' ἐξοχὴν significat, ut hic, pactionem de coniugio. Supra II, 2, 60: *Accipe conditionem*, id est, da mihi filiam uxorem, vel alii. Stich. II, 1, 50: *Haec me non poenitet conditio: neque est, cur studeam has nuptias mutarier.* I, 2, 81: *capere conditionem primariam* pro splendide ducere uxorem, si de viro; vel nubere, si de femina dicatur. Ibid. 61: *Vtra conditio sit pensior, Virginemne, an viduam habere.* Trinumm. I, 2, 123: *Collocare puellam in se dignam conditionem.* Suet. Iul. cap. XXVII: *Octaviam sororis suae neptem, quae C. Marcello nupta erat, conditionem ei detulit*, vide ibi Torrent. Iust. II, 7, 8: *Tam pulcra conditio prima regni felicitas videbatur.* Senec. I de Benef. cap. 9: *Rusticus, inurbanus, ac mali moris, et inter matronas abominanda conditio est, si quis coniugem in sella prostare voluit, et vulgo ad-*

missis inspectoribus vehi undique perspicuam. Cic. VI ad Att. 4. Hinc formula repudii vetus annotata in libris iuris: *Conditione tua non utor*, ad exprimendum, non ducam te, nec matrimonium tecum contraham. Senec. in Fragm. apud August. *Bellonam Marti collocant, Vulcano Venerem, Neptuno Dianam, quosdam caelibes relinquentes, quasi conditio defecerit.*

Vss. 480 et 482. *Putare et disputare rationes*, est idem quod subducere rationem. *Putare* proprie est purum vel putum facere, ut ait Varro lib. II de R. R. cap. 2: *Ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit vel lavari ac putari.* Tibull. de lanam purgantibus et per pectinem trahentibus, lib. I, el. 7, 86: *Tractaque de niveo vellere dente putat*, dente scil. pectinis; ubi vid. Scal. *Putare arbores.* Gell. VI, 5, disputans de verbis quae posita erant in foedere, *argenti puri puti*, adiicit: *putare autem rationes putari dictum.* Ibid. deinde ait: *Argentum in Carth. foedere candefactum.* Hinc itaque *putare rationem* est liquidum facere, subducto credito debitoque, secernere et videre, quid sui sit, quid alieni. Mostell. I, 3, 140. Trinum. II, 4, 15. Cato de Re Rust. II, inter patrisfamilias officia ponit *rationes putare*, quae reliqua sunt; et cap. V, de villico loquens, *rationem cum domino crebro putato.* Cic. IV Att. 2; L. IV Cod. de Discurs. Translate habentur Casin. III, 2, 24: pro eo *purgare rationem* est apud Suet. Cal. 29; Macrob. I Saturn. 13.

Vs. 488. *Mactare aliquem malo et damno*, est afficere, mactum, et auctum reddere. *Mactus* verbum est antiquum, servatum in formula, qua virtutem alicuius insignem, re bene gesta, laudabant: *macte virtute esto* Liv. lib. IV: *Tum dictator, macte virtute, inquit, esto, C. Servili, liberata republica.* Lib. VII, 36: *Decius Tribunus: Macti virtute, milites Romani, este.* Ibid. VII,

10: *Tum dictator Manlio, macte virtute hac pietate in patrem patriamque, T. Manli, esto.* Lib. II, 12: *Iuberem macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret.* Inde *mactare* in utramque partem. *Mactare infortunio* crebro habet noster, Amphitr. IV, 2, 14; Bacch. IV, 8, 45, Curc. IV, 3, 5, Poen. III, 1, 2, Trinumm. IV, 2, 251. At in contrarium Cic. lib. de Republ. *Ferunt laudibus, mactant honoribus.* Et ex Actio veteri Comico citat Non. *Sapientiaeque invictae gratia atque honoris patera Nestorem mactavit aurea;* id est donavit, honoravit. Turn. autem Adv. XXIX, 28, haec sic legit: *Sapientia inclutae gratiae atque honoris patera nostri donavit aurea.* Verbum proprium sacrorum: Deos enim augeri putabant sacrificiis, quibus eos *mactare* se dicebant, et inde etiam ipsa sacrificia *mactari* dicebantur. Postea translatum est ad quamvis caedem. Nam ne de hostis solum dictum putemus, citat Non. ex Varrone: *Quod Kalendis Iuniis et publice et privatim fabatam pultem Diis mactat.* Nisi tamen ibi legend. *Fabata pulte Deos mactat.* Et vinum libantes dicebant, *macte hoc vino inferio esto.* Vide Festum: *Vinum inferium.* Id quod in sacrificando infra paterae labrum ponebatur. Cato R. R. c. 134.

Vs. 493. *Nitidiorem esse*, significat liberalius genio indulgere, coenare lautius, sumtum facere in curanda cute. Sic *nitidiuscule curare* Pseud. III, 1, 8; *In prandio lepide atque nitide accipere* Cistell. I, 1, 12. Sic *nitor* significat liberalitatem et splendorem in victu et instrumento domestico: Stat. Lacrym. Etrusci: *Testis adhuc largi nitor inde adsuetus Hetrusci, Cui tua non humiles dedit indulgentia mores.* Et Protrept. Crisp. *Et frons tranquilla nitorque Luxuriae confine tenens.*

Eidem et Martiali *nitidus melior* homo lautus. IV, 54.

Vs. 524. *A me* ponitur pro e domo mea. Stich. V, 1, 7. Sic Cic. pro Milon.: *Atque illo die Aricia rediens divertit Clodius ad se in Albanum*, in villam scilicet suam in Albano. Id. in epist. ad Terentiam: *Quid causae inde fuerit, postridie intellexi, quam a nobis discessi*, id est domo nostra. Noster Milit. II, 6, 54, Epid. I, 1, 64, I, 2, 54; Aulul. II, 2, 66: *Hic apud me*, id est domi meae.

Vs. 528. *Deponere vino aliquem*, vino obrutum et quasi depositum ac sepultum reddere. Etenim mortui *positi*, *compositi*, et *depositi* dicebantur, qui in agone erant vel animam agebant. Lucill. *Iam depositus bubulcus* exhalans animam. Virg. XII Aen. 395: *Ille ut depositi proferret fata parentis*. Ovid. III Trist. eleg. 3:

Nec mea consueto languescent corpora lecto,
Depositum nec me qui fleat ullus erit.

Horat. lib. I, Sat. 9, vs. 26: — *Est tibi mater? Cognati, queis te salvo est opus? haud mihi quisquam: Omnes composui*, id est, condidi ac sepelivi.

Hinc Ciceroni *siti* dicuntur sepulti, II de Leg. p. 2034: *Hic est ille situs*, pro sepultus. Idem II de Leg.: *C. Marii sitas apud Anienem reliquias dissipari iussit*. Inde translatione ducta Cicero I Verr. 2: *Maxime aegram et prope depositam reipublicae partem*. Quod interpretatur Asconius: *desperatae salutis*. Inde *vino deponere* Aurel. Victor. cap. LXXI: *Coepio, quum aliter vincere non possit, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriathum vino depositum interimerent*, id est ebrium. Ab eadem translatione apud Propert. *Lingua sepulta mero*. Et Cic. IX Epist. Famil. 20: *Conficere promulside*, pro saturum et impotentem ulterius comedendi reddere primis ferculis. Nam *conficere* idem quod interficere. Horat.: *Confice*,

namque instat fatum mihi triste. Tacit. I Annal. 4: *Primum facinus novi principatus Agrippae caedes: quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio aegre confecit.*

Vs. 549. *Tolerare aliquem*, eleganter significat sustinere, sustentare, ne quis cadat, pessumeat, mergatur, pereat. Sic *tolerare paupertatem* Rud. IV, 3, 14. Sallust. *Tolerare inopiam mercede manuum.* Virgil. Aeneid. VIII, vs. 409:

Tolerare colo vitam, tenuique Minerva;

pro lanificio sustentare.

Vs. 558. *Arbitrari.* Hic idem est quod inspicere, contemplari. Nam *arbitrum* utique, aut iudicem, cognoscere probe et inspicere rem decet, antequam arbitretur rem, et iudicet. Hinc *arbiter* pro eo, qui videt vel audit, Mil. II, 2, 3, Cas. I, 1, 2, Trinum. I, 2, 109. Sic Horat. I Epist. ult. *Locus effusi late maris arbiter*, id est, ex quo late in mare prospicere possis. Plin. lib V, 27: *Taurus mons innumerarum gentium arbiter.* Tacit. III Hist. cap. 60: *Locus ipse castrorum placebat late prospectans. Arbitrari* pro audire Capt. II, 1, 24.

vs. 562. *Agere praedam*, propria phrasis est de alienas terras, agros, villas populantibus et diripientibus. Liv. I: *Forte evenit ut agrestes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano praedas invicem agerent.* Tacit. IV Hist. *Vastari Vbios Treverosque, et alia manu Mosam amnem transire iubet, ut extrema Galliarum quaterent. Actae ubique praedae.* Iust. XXII, 6: *Praedas ingentes agit.*

Vs. 564. *Rem divinam facere*, significat sacrificare. Amph. III, 3, 11; Poen. III, 5, 3; Rud. II, 3, 13. Terent. in Eunuch. III, 3: *Ait, rem divinam fecisse*

et rem seriam velle agere mecum. Capt. II, 2, 41; Cic. I Divin. *Quum eodem tempore apud Lebadiam Trophonio res divinae fierent.* Curcul. *Postquam rem divinam feci, venit in mentem mihi.* Cato de Re Rust. *Eam rem divinam vel servus vel liber licebit facito.* Cic. in Verr. *Res illum divinas apud eos Deos in suo sacrario prope quotidie facere vidisti*; vide plura apud Had. Cardinal. de Serm. Lat. in *Facere rem divinam.*

Vs. 594. *Larvis atque intemperie agitari*, significat insanire, mente motum esse per occursum larvarum, id est spectrorum. Capt. III, 4, 67; Amph. II, 2, 145; Ovid. in Ibin:

Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Insequar et vultus ossea larva tuos.

Apul. Apolog. *Mercurius tibi pro isto mendacio, quidquid umbrarum est usquam, quidquid lemurum, quidquid larvarum, oculis tuis ingerat.* Altero verbo quomodo utantur, appàret ex Asin. I, 2, 32, Capt. IV, 4, 3, Epid. III, 4, 39, Mil. II, 5, 24; Cato de R. R. cap. 142. Apul IX Metam, p. 230: *Larva vel diro aliquo numine immisso videntur eius expugnari spiritus.* Plin. praefat. *Nec Plancus illepide, quum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quae ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset, cum mortuis non nisi larvas luctari.*

Vs. 614. *Dare insidias alicui.* Notanda phrasis, quae per se satis intelligitur. Sic. Mil. II, 3, 32; Pseud. II, 1, 19, et IV, 8, 2.

Vs. 620. *Sublinere vel oblinere os alicui* frequens apud Plautum pro decipere, ut hic et Capt. IV, 2, 3, Epid. Arg. Mil. II, 5, 57, Merc. II, 4, 17, Trinum. II, 4, 157. *Mihi stolido sursum vorsum os sublevere offuciis*, Capt. III, 4, 123. Tralatum ex more, quo veteres,

inprimis puellae virum quaerentes, faciem linebant, ut naevos occultarent, aut pulcro colore essent. Hinc *os sublinere* dicebant proprie de eo, qui simulans, se os alicui pingere ad decorum, illud ridiculis picturis deturpabat. Nonius a ridiculo quodam lusus genere deducit, quo dormientibus, aut alioquin imprudentibus ora pingebantur. Cuius rei vestigium est apud Petron. et Virgil. Ecl. VI, vs. 22:

Sanguineis frontem moris, et tempora pingit.

Vs. 637. *Facere mentionem cum aliquo*, pro agere cum aliquo verbis, dicere apud aliquem. Cistell. I, 2, 15. Observanda syntaxis.

Vs. 671. *Vestitu et creta se occultare*, est honestate vestis improbos mores vel animum dissimulare. Proprie dicuntur vestitu et creta se occultare, qui toga candida simulant se probos et magistratu dignos. Romanorum toga, vestitus ordinarius, erat ex alba lana; sed qui ambibant honores et magistratus, colorem album in splendorem extollebant, multa creta albae togae apud fullones, quorum id erat artificium, addita. Isque color proprie *candidus*, et hinc *toga candida* honores petentium, a qua dicti *candidati*, qui amicti eiusmodi toga alba et splendida profitebantur se petere honores (unde etiamnum cuiusvis muneris vel honoris, vel officii petitor dicitur candidatus) et quo facilius eos impetrarent, miram speciem probitatis, continentiae, industriae, omnisque disciplinae prae se ferebant. Hinc est, quod addit Plautus, *atque sedent, quasi sint frugi.* Ideo etiam candidatos proprio titulo *bonos viros* dicebant ii, qui eos commendabant. Senec. Epist. III: *Itaque sic priore illo verbo* (amici) *quasi publico usus es, et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros*

dicimus. Plin. Paneg. cap. 71, de candidatis a Traiano productis et commendatis: *Faciebas ergo, quum diceres optimos, nec ipsorum modo vita a te, sed iudicium senatus comprobabatur.* Quod autem de creta addita dictum est, Livius lib. IV, 25, id vocat *album in vestimentum adhibere*: *Placuit tollendae aemulationis causa Tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum adhiberè petitionis causa liceret*, id est, ne cui togam incretare vel creta splendidiorem reddere petendi magistratus causa liceret. Dixit autem *album* substantive, pro quo vulgus *albedinem*, quae vox Latina non est. Pers. Sat. V: *Ius habet ille sui, palpo quem ducit hiantem Cretata ambitio:* id est, putasne illum sui iuris et potestatis esse, cui studium petendorum in toga candida, sive multa creta candefacta, honorum blanditur, et eum quasi suspensum ducit?

Vs. 738. *Repudium renuntiare* vel *remittere*, est cum desponsa pactaque futurum matrimonium dirimere. Proprie enim *repudium remittitur* sponsae, *divortium* fit cum uxore: sed etiam de matrimonio usurpatur *repudiare*, non recte autem a sponsa dicitur *divortere*, leg. 191, de V. S. Eodem significatu legitur et *repudium mittere*, et *nuncium remittere*. Cic. in Topic. *Si viri culpa factum est divortium, et si mulier nuncium remisit.* Iterum: *Si mulier, quum fuisset nupta cum eo, quicum connubium non esset, nuntium remisit.* Vlpian. LX, de spons. *In potestate manente filia, pater sponso nuntium remittere potest, et sponsalia dissolvere.* Truc. IV, 3, 74. Senec. Epist. CVIII, *renuntiare* dicit. Translate usurpatur de quacunque re, studiove, quod deserimus: ut *Nuntium remittere militiae, studiis, mercaturae, societati.* Cic. XIV Fam. 13, et 15, 16: *quum virtuti nuncium remisisti*, id est, quum sectam

stoicam, quae in virtute ponit summum bonum, deseruisti, et ad Epicureos, qui summum bonum censent voluptatem, transisti. XI ad Att. 20: *Placet mihi igitur et tibi, nuntium remitti.*

Vs. 745. *Admittere in se culpam*, dicitur eleganter pro commitere culpam, peccare simpliciter. Amph. III, 2, 4. Terent. Adelph. IV, 5: *Me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet.* Cic. pro Cluent. cap. 60: *Quid unquam Avitus in se admisit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur?* Liv. XXXIX, 18. Terent. Phorm. II, 1: *Culpam ut Antipho in se admiserit.* Rutil. Lupus: *Quem sciam tantum facinus in se admisisse, ut reliquum tempus nec beneficiis locum, neque benevolentiae spem reliquerit.*

Vs. 772. *Reperisse quod pueri in faba*, est proverbium, in quo retunditur atque eluditur iactantia eorum, qui res nihili, tanquam raras ab se inventas, et, ut alio proverbio dicitur, pro thesauro carbones nobis ostentant. Ideo servus significans non parvam rem neque levem reperisse se, negat inventum sibi nihil maius, quam quod pueri clamitant se reperisse in faba. Explicant sic hic: *Reperi. LY. Quid reperisti? ST. Non quod pueri clamitant in faba se repperisse.* Explicant de vermiculo in isto genere leguminis, quem Midam vocant. Eum autem solitos pueros quaerere in fabis; et qui invenisset, inde exultare ac velut triumphum agere. Tale est apud Iuven. Satyr. VIII, vs. 29; ubi vide.

BACCHIDES

Fab.
Vs. 4. *Lusciniae non deest cantio*, est proverbium in eos, qui rem aliquam vel morem sive natura, sive adsuefactione et usu, semper in promptu habent. Quasi diceretur, mulieri non deesse verba, carmina poëtis, rabulis lites, sophistae cavillum, calumniatori, quod observet, ac sinistre interpretetur. Vnde Graecis aiunt lusciniam appellatam ἀηδόνα ὡς ἀεὶ ἄδουσαν, *tanquam semper canentem.*

Vs. 9. *Emeritum esse alicui*, *emeritum habere*, quum iustum stipendiorum militarium numerum confecit, atque inde vacationem a militia nanciscitur. Oportebat autem cives Romanos annis triginta, hoc est, ab anno aetatis septimo decimo ad annum sextum et quadragesimum, equites quidem dena annua, pedites vicena stipendia facere, teste Polybio: *Merere aera* κατ' ἐξοχὴν dicuntur milites, postquam stipendia militantibus constituta sunt de publico, quod factum Romae primum in obsidione Veiorum. Ovid. lib. I Amorum. 10, 44:

Iussit et in castris aera merere suis.

Ibid. El. 10, vs. 20:

Nec Venus apta feris, Veneris nec filius armis:
Non decet imbelles aera merere Deos.

Hoc est militare. Sic *merere* simpliciter per intellectum vocabuli *aera* vel *stipendia*. Lucil. lib. II Sat.

Annos hic terra iam plures miles Ibera Nobiscum meret, id est, arma fert, militat. Liv XX, 7: *Quorum propinqui sub C. Flaminio meruerunt.* Sic *merere equo* dicuntur equites. Varro lib. III, de vita P. R. *Qui in exercitu donati essent, et equo publico mererent.* Liv. XXVII, 11: *Addiderunt et acerbitati tempus, ne praeterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent.* Suet. in vita Orbilii, in libr. de ill. Gram. IX: *Primo apparituram magistratibus fecit: deinde in Macedonia corniculo; mox equo meruit.* Vbi nota: *corniculo merere*, cornicularium esse, quod erat militum honestiorum. Meminit et Val. Max. VI, 1, 11. Quum igitur iustum tempus meruissent, et stipendia confecissent, dicebatur *illis emeritum esse*, ut hic apud Plautum. Eosdem *emerita habere* dicebant. Liv. XXXVII, 4: *Ad quinque millia voluntariorum ex Rom. sociisque, qui emerita stipendia sub imperatore P. Africano habebant, praesto fuere exeunti Consuli, et nomina dederunt.* Idem. lib. XXXIX, c. 38: *Dimitterent eos primum, qui emerita stipendia haberent.* Cic. VI ad Att. 5: *Etsi annuum tempus prope iam emeritum habebamus.* Modestin. lib. III, de Mil.: *Qui militiae tempus in desertione implevit, emerito privatur.* Idemq. iterum: *Vt veteranus restituatur, et emerita accipiat.* Arnus Menand. l. V, eod. tit. *Et praemia, et emeritum capiet.* Suet. Aug. XXIV: *Alias legiones immodesta flagitantes citra commoda emeritorum et praemiorum exauctoravit.* Sic et singula stipendia *emerita* dicuntur, quum finita sunt. Most. I, 2, 51. Liv. XLII, 34. *Viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habeo, et maior annis sum quinquaginta emeritis stipendiis*, Liv. III, 57. *Emeritis stipendiis libidinis, contentionis*, Cic. de Senect. c. XIV. *Aratrum*

Ovid. I Fast. 665. Torr. in Suet. Aug. XXIV, Lips. Excurs. in Tac. I Ann. lit. G.

Vs. 17. *Alas arundine verberatas habere*, teneri blando alloquio et illecebroso, immo et quovis vinculo quasi alligatum evadere, et in plenam libertatem se vindicare non posse. Proprie de avibus visco, aut viscata arundine tactis. Martial IX, 55: *Aut crescente levis traheretur arundine praeda, pinguis et implicitas virga teneret aves.* In eo aucupii genere, quod calamis peragebatur, arundo ad arundinem sic adtexi coniungique consueverat, ut tacite ac sensim cresceret, donec alitis eius, quae captabatur, alas visco tangeret. Hinc *arundo crescens* appellatur. Idem Martial. sub lemmate aucupatorii calami, lib. XIV, Epigramm. 186:

Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Callida dum tacita crescit arundo manu.

Silius Italicus lib. VII, vs. 678:

Vt qui viscata populatus arundine turdos,
Dum nemoris celsi procera cacumina sensim
Subtracta certat tacitus contingere meta,
Sublimem calamo sequitur crescente volucrem.

Petron.: *Ecce etiam per antennam pelagiae consederunt volucres, quas textis arundinibus peritus artifex tetigit, illae viscatis illigatae viminibus deferebantur ad manus.* Hoc Manilius vocat *glebas mittere virgis*, lib. V:

Glebas et mittere virgis,
Pendentemque suo volucrem deprendere coelo.

Propert. II, 19:

Hic igitur mihi sit lepores audacia molles

Excipere, et stricto figere avem calamo.

Idem. lib. III, el. 11:

Et leporem, quicunque venis, venaberis, hospes,
Et si forte meo tramite quaeris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petas calamo praemia, sive cane.

Vbi *calamo praemia petere* est idem, quod viscata arundine aucupari. Lib. IV:

Sed arundine sumta
Faunus plumoso sum Deus aucupio.

Vs. 102. *Praeligatum pectus*, fascinatum et veneficiorum vinculis obstrictum, ex ritu, quem exprimit Virgilius in Pharmaceutria, vs. 77:

Necte tribus nodis tenues, Amarilli, colores,
Necte, Amarilli, modo, et Veneris dic vincula necto.

Sic *praeclusa* et *alienata mente* dixit Cyprian. de lapsis: *Qui caeci oculi iter poenitentiae non vident, quod ostendimus? Quae praeclusa et alienata mens remedia vitalia non percipit?* lib. I. Eadem de re *obligare*, *defigere*, *devincire* usurpant veteres. Quicunque enim in actu aliquo arte magica prohibetur facere quod vult, aut in naturali functione impeditur, defixus et devinctus intelligitur: quamvis id fiat simplicium herbarum aut verborum potestate, nullo adhibito nodo vel ligatura. Vide Gron. Not. ad II Cic. fam. 5. Senec. VI de Benef. 35: *Exsecraris enim illum, et caput sanctum tibi dira imprecatione defigis.* Paulus lib. V Recept. Sent. 23: *Qui sacra impia nocturna, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint.* Sic *obcantatus* Apul. Apol. *Dic tu, quibus verbis epistolam finierit mulier obcantata, vecors, amens,*

amans. Virg. in Cyr. *Colchiacis animum defigere votis.* Plin. XXVIII, 7: *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.* Tertull. de Spectac. *Vis homicidium ferro, veneno, magicis defixionibus perfici.* Hinc transfertur quum dicitur *diris* vel *imprecatione defigi.* Sen. VI Benef. 53. Plin. XVIII, 2: *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.* Hinc etiam transfertur apud Liv. *Moestitia, admiratione, pavore, stupore defixus*, vel *defixi animi* dicuntur quasi immobiles, vincti, praeligati, ut Liv. VIII, 7: *Quum silentio defixi stetissent*; lib XXI, 33: *utraque res simul obiecta oculis, animis immobiles, parumper eos defixit.* Lib. XXII, 33: *Cum stupore et miraculo aliquem defigere.* At proprie iterum Apul. de herbis: *Si quis devotus defixusque fuerit in suis nuptiis, fac eum resolvas.* Vbi haec quoque phrasis notanda. Etenim contrario cantu et herbis, has defixiones et devotiones solvebant. Virgil.:

Haec se carminibus promittit solvere mentes

Vbi *mentes solvere carminibus* est liberare ab incantamentis, devotionibusque magicis. Tibull.:

Nempe haec se dixit amores
Cantibus aut herbis solvere posse meos.

Vs. 117. *Vixisse et fuisse*, Graece κατ' εὐφημισμὸν (hoc est, inominatam mortis vocem refugientes) dicebant, pro mortuum esse. Most. IV, 3, 10: *Eum vixisse aiebant*, id est, vitam finivisse. Nam *vixisse* intelligitur, qui non amplius nunc vivit. Pseud. I, 3, 76. Sic formula praeconis funus indicentis: *L. Titius vixit*; aut *Ollus vixit.* Plutarchus in Cicerone refert, ipsum, post sumtum supplicium de coniuratis cum Catilina, dixisse in foro voce clariori omnibus audientibus, ἔζησαν, id est *vixerunt. Ita enim*, addit

Plutarchus, *ex Romanis, qui ominoso verbo uti nolunt, mortuum esse significant.* Sic et *fuisse* Capt. III, 3, 1: *Nunc illud est, quum me fuisse quam esse, nimio mavelim*: id est, malim me mortuum esse, quam vivere, Pseud. I, 3, 18, Pers. IV, 4, 86, Truc. I, 2, 94: id est parum aberat, quin mortua fuerit. Sic in illo Virg. *fuimus Troës*, id est periimus, et periit Ilium; Apul. VIII Metam. *Fuit Charite nobis.*

Vs 162. *Ab illo nuntius*, genus loquendi, quod etiam invenitur infra III, 5, 3: notabile et compendiosum, qualia sunt Curc. III, 82; *Crede hercle te esse ab illo.* Mil. II, 2, 5: *Quemque a milite*, id est, ex familiaribus militis. Sic apud Ter. Andr. III, 1, 3: *Ab Andria ancilla*, pro ancilla Andriae mulieris, sive ex Andro insula oriundae mulieris. Idem Eun. II, 2, 66: *A milite internuncius.* Sic Lucret. *Ab auro fulgor* pro fulgore auri. Lib. II, loquens de metu cicuris: *Fulgorem reverentur ab auro.* Et lib. IV: *At gemina et mammosa Ceres est ipsa ab Iaccho*, id est, homines, qui in illis, quas amant, vitia extenuant, si habeant amicam crassam et praepinguem, ita ut gemina videri possit, non una, aiunt habere eam figuram Cereris, quae ab Iaccho venit, vel gravida facta est. Sic *reus ab aliquo* dicitur, quem quis accusavit, seu reum fecit. Cic. *Reum publicum fore a Milone.*

Vs. 167. *Vasa Samia* dicuntur in genere omnia vasa fictilia, quod ex terra Samia, hoc est in insula Samo, plurima fiebant, lateque exportabantur. Nonnius: *Samium est testeum.* Lucret. XIV: *Et non pauper uti Samio curtoque catino.* Cic. de Rep. VI: *Oratio exstat Laelii, quam omnes habemus in manibus, quam sympuvia pontificum Diis immortalibus grata sint, Samiaeque, ut his scribit, capedines.* Noster Capt. II,

2, 41, Menaechm. I, 2, 65: id est, fictiles, quae vehementer pultando possunt frangi. Stich. V, 4, 12. Auson.

Fama est fictilibus coenasse Agathoclea Regem;
Atque abacum Samio saepe onerasse luto.

Praeterea *Samia* κατ' ἐξοχὴν dicitur de cote Samia, quales optimae ex insula Samo adferebantur. Atque inde posterioris aevi Latinitas *samiare* pro acuere, *samiatores*, *samiatoriosque* eosdem quos cotiarios, Veget. I, 2. de Re Milit. 14: *contos et cassides frequenter tergere, curare, samiare.* Vopisc. in Vita Aurel. *Arma tersa sint, ferramenta samiata.* Nonius: *Samium acutum: unde et samiare dicimus acuere, quod in Samo hoc genus artis polleat.* Sed errat, dum Samium pro acutum poni ait. Sic male apud Lucill. *Testam Samiam*, id est, ex Samia terra factam, acutam interpretatur, qua sibi demessuit virilitatem. Lucill. *Testam sumit homo Samiam, Qua sibi testiculos praeciderct.* Quod acuto silice fecisse Atym testatur Catullus. Apud Ausonium vero *Samium Lucumonem* male omnes docti interpretantur acutum: *Anticipesque tuum Samii Lucumonis acumen*, legendum *Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen*: tuo acumine anticipes et antistes Samii Lucumonis acumen. Samius autem Lucumo est Pythagoras, qui *Samius* absolute et Σάμιος σοφὸς dicitur. Respexit huc Sarisberiensis:

Tardus ad hunc Samius si certet acumine mentis,
Indoctusque Plato, Varroque stultus erit.

Et ut *Samia* absolute pro cote Samia, sic *Samiae* pro placentis Samiis Tertulliano lib. III advers. Marcion. dictae: *Non tamen de glebis credas te unquam placentas et Samias coacturum.* Vt σαμίους πλακοῦς Graece,

sic δελφικοὺς τρίποδας Latini *Delphicas* simpliciter dixerunt.

Vs. 176. *Tanto melior*, brevis et elegans laudatio alicuius, aut acclamatio, post enarratum alicuius factum laudabile vel meritum. Hic, quum Pistoclerus dixisset de Bacchide: *Non tantulum intermittit tempus, quin eum nominet*, subiicit Chrysalus: *tanto melior*, id est, Bacchis est eo pluris facienda, nempe ob hoc factum. Pers. II, 5, 25, Trucul. V, 61. Terent. Heaut. III, 2, 37: *Quo pacto id fieri soleat, calleo.* Ch. *tanto hercle melior*. Phaedr. lib. III, fab. 6: *Aesopo quidam petulans lapidem impegerat, Tanto, inquit, melior*, nempe κατ' ἀντίφρασιν. Laudat enim eum per ironiam. Senec. ep. XXXI: *Ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor, et clamabo: Tanto melior, surge et respira.* Ep. XXXI: *Cultor virtutis metuendae caeteris, si alicuius honesti officii pretia sunt, non tantum fert, sed amplexatur, multoque audire mavult, tanto melior quam felicior* pag. 269: id est, mavult laudari a virtute, quam a fortuna. Quintil. refert magistri cuiusdam vocem, accendentis laude discipulos, unde illa laudatio: *Tanto melior, nec ego intellexi.* Plin. Paneg. LXXI: *Quam vera acclamatione celebratum est, tanto maior, tanto augustior.* Sic in contrarium Menaech. II, 3, 78. Sic Senec. lib. de Tranqu. animi, cap. 15: *Tanto fortior, tanto felicior.* Hoc sic expressit Propertius lib. III, el. 11:

Quod si iura fores pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

Vs. 196. *Hospes Epheso*, ellipsi τοῦ *profectus*, aut adveniens, aut oriundus, dicitur eleganter pro hospes Ephesius. Asin. II, 4, 92. Mercat. V, 2, 99: *Vidi*

ibi hospitem Zacyntho, id est Zacynthium. Sic apud Terentium, *uxor Lemno*, pro Lemnia: ex insula videlicet Lemno oriunda: *anus Corintho*, apud Caton. *Syracusis soleae*, pro Syracusanis soleis: apud Lucil. *Mensa Libano* pro e cedris in monte Libano sectis facta: apud Varr. *Cultri Bithynia*, pro Bithynicis.

Vs. 213. *Pancratice valere*, est valere instar Pancratistarum, ad quorum artem sive exercitium, *Pancratium* dictum, valentissimum robur exigebatur. Est autem *Pancratium* genus exercitii ex lucta et pugilatu compositum: caestus aberant, et manus nudae erant. Caeterum nexibus nodisque luctae ictibusque pugilum, pugnis, cubitis calcibus, totoque corpore certabatur. Propert. III, El. 14: *Et patitur duro vulnera pancratio*. Sen. V de Benef. 3: *Lacedaemonii vetant suos pancratio aut cestu decernere, ubi inferiorem ostendit victi confessio*. Quint. II Institut. 8: *Sicut ille exercendi corporis peritus, non si docendum pancratisten susceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia quae sunt eius certaminis*. Arist. I Rhetor. 5: ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη ῥιπτεῖν πως, καὶ κινεῖν ταχὺ καὶ πόῤῥω, δρομικὸς. ὁ δὲ θλίβειν, καὶ κατέχειν, παλαιστικός. ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πυκτικός. ὁ δε ἀμφοτέροις πρῶτος, παγκρατιαστικὸς. ὁ δέ πασι, πένταθλος. i. e. *qui potest crura proiicere quodammodo ac movere velociter, et longe, cursor est: qui vero stringere, vel tenere, luctator: qui pellere plaga, pugil: qui utrisque primus, pancratistes: verum qui omnibus his, quinquertio*. Quem locum protulit etiam Mercurial. de Art. Gymn. lib. I, c. 14, p. 101. Philostratus lib. II Imagin. eis non tantum caedere se invicem ac propellere licitum fuisse tradit, sed et mordere dentibus, summisque digitis oculos et latus fodere, unde et παμμάχους vocabant

eos, quod omni genere virium omnique robore advocato certarent. Ambros. in Ps. XXXVI: *Alii sunt, qui simplici quodam ac legitimo genere luctantur, et ligatione tantum corporis certant, verberare non norunt, Palaestae dicti. Alii qui caedem et pulveris iactum membrorum nexibus miscent, omni sibi verberandi iure permisso, quos παμμάχους vocant, eo quod omnis litis et pugnae adversum se habent potestatem. Alii, qui caestibus adversum se decernunt, et dilaceratis capitibus cruentantur, hi πύκται feruntur.*

Vs. 236. *Recuperatores* dicebantur a praetore dati iudices, qui privata iudicia obibant, et de civilibus controversiis ex actione vel interdicto cognoscebant: sic dicti, quod per eos ius quisque suum, vel debitum recuperaret, ut interpretatur Theophilus, Graecus interpres Instit. iuris, p. 37, in tit. Qui et quibus ex causis manumittere non licet. Noster Rud. V, 1, 2: *Quem ad recuperatores hodie damnavit Pleusidippus*, id est, apud eos iudices, qui recuperatores dicuntur, iudicio vicit. Cic. pro Caecin. *At siquis mihi hoc iudex recuperatorve dicat: potuisti enim leviore actione confligere.* Lib. V in Verr. *Nullum unquam iudicem aut recuperatorem dedit.* Suet. Neron. XVII: *Vtque rerum actu ab aerario causae ad forum, ac recuperatores transferrentur.* Hinc *iudicium recuperatorium.* Valerius Probus in libello de Notis Antiquis refert ex edicto Praetoris: *Quanti ea res erit, tantae pecuniae iudicium recuperatorium dabo.* Plin. III, epist. penult. *Nam ut in recuperatoriis iudiciis, sic nos in illis comitiis quasi repente apprehensi, sinceri iudices fuimus.* Dabantur enim fere ex his, quos inter comites suos, aut in consilio, habebant magistratus, aut etiam ex albo iudicum, sine ulla sortitione, et tam Romae quam in provinciis: et praecipue in cau-

sis, in quibus de facto ipso incidebat quaestio, ut puta, uter prior hostium muros conscendisset, an facta iniuria, an captae pecuniae. Et quoniam talia fere erant iudicia, in quibus de statu alicuius ambigebatur, servusne an liber esset, libertinus an ingenuus, in his quoque frequens est recuperatorum mentio. Liv. XXVI, 48. Suet. Vesp. III: *Ingenuam ut civem Romanam recuperatorio iudicio pronuntiatam.* Domit. VIII: *Recuperatores ne semper perfunctoriis adsertionibus accommodarent, identidem admonuit.*

Statuere navem, significat sistere cursum eius, omisso remigio, aut demissis velis, aut anchoris inhibere. Sic Caesar IV Gall. 24 et 25: *Constituere navem.* Sic *aquas statuere* pro inhibere, sistere, neque pati ulterius exundare, dixit Arnob. lib. I: *Famuli eius hoc modo statuerant errantes aquas, et a pernicie corporum suorum labi iussere per tramites.* Loquitur de inundatione coërcita. Cypr. *Si fontem siccitas statuat*, id est, si fons exarescat, nec amplius scaturiat. Naevius: *In alto navem iubet destitui anchoris.* Liv. XLVII, 16. Vbi vide Notas. Ambros. lib. II de Off. 4: *Quid Aaron? quando se beatiorem credidit, quam tunc, quando medius stetit inter vivos et mortuos, et obiectio sui statuit mortem, ne ad vivorum transiret agmina a cadaveribus mortuorum.*

Vs. 333. *Ianuam Orci* appellabant veteres omnes locos pestilentes, unde certam perniciem imminere, et aditum ad manes esse existimabant. Sic Apul. VI Met. *Sed bene quod meas potissimum manus incidisti, et inter Orci cancros iam ipsos haesisti. Cancros* vocat ianuam cancellatam. Praecipue autem chasmata, seu hiatus terrae in altum desidentes, et agros, quos Cicero appellat, coelo ac solo calamitosos, insalubres colentibus ita vocabant. Trinumm. II, 4, 124.

Lucret. I, 6, ubi de Avernis ac pestilentibus locis quibusdam et gravibus ibidem odoribus agit, ostenditque naturali ratione haec accidere:

> *Ianuane his Orci potius regionibus esse*
> *Credatur posta: hinc animas Acheruntis in oras*
> *Ducere forte Deos Maneis inferna reamur.*

Graeci dicebant sic Αδου πύλας. Diog. Laërt. Pythag. 19: φησὶ δὲ Αριστοτέλης, παραγγέλλειν αὐτὸν ἀπέχεσθαι τῶν κυάμων, ἤτοι ὅτι αἰδοίοις εἰσιν ὅμοια, ἢ ὅτι ἄδου πύλαις. ἄγνου γάρ ἐστι. Festus: *Manale putabant esse ostium Orci, per quod animae superorum ad inferos manarent, qui dicuntur manes.* Hinc etiam qui insalubrem hominibus aut iumentis agrum colit, *cum Orco rationem habere* vel *ponere* dicebatur. Varro de R. R. IV: *Etenim ubi ratio cum Orco habetur, ibi non modo fructus est incertus, sed etiam colentium vita. Quare ubi salubritas non est, cultura non est aliud atque alea domini vitae.* Columell. I, 3: *Nam ubi sit cum Orco ratio ponenda, ibi non modo perceptionem fructuum, sed et vitam colonorum esse dubiam, vel potius mortem quaestu certiorem.*

Vs. 370. *Aceto cor acre habere*, id est, acumine ingenii, prudentiaque instructum pectus habere, sed et non lentum, neque stupidum, neque hebes ad sentiendam et prohibendam iniuriam vel damnum. Pseud. II, 4, 49. Persius Sat. V, vs. 86:

> *Stoïcus hic, aurum morduci lotus aceto.*

Quod alibi dicit *purgatus aures.* Ausonius:

> *Scyllite, decies si cor purgeris aceto,*
> *Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen.*

Est autem *acetum scyllites*, vel Scylliticum, Scylla herba conditum, excellens ad embammata iudicatum

veteribus, de quo Columell. XII, 34. *Samius* autem *Lucumo* est; Pythagoras ex insula Samo oriundus.

Noster esto. Formula commendantis aliquem ob recte dictum vel factum. Mil. III, 3, 25, perinde est ac si diceret: optime dicis. Truc. V, 61. Vtitur et Terent. Eunucho.

Vs. 413. *Inhibere imperium alicui*, est exercere in aliquem, uti potestate in aliquem, aut pro imperio quid in aliquem statuere aut facere. Stich. V, 4, 15, per risum *fontinalem* appellat aquam, et *Liberum* vinum. Liv. III, 37: *Privati pro decemviris neque animis ad imperium imminutis, neque ad speciem honoris insignibus prodeunt.* cap. 38: *In consensu resisterent, imperioque inhibendo in paucos praeferocis animi conatus aliorum reprimerent*; cap. 50: *Leviter agentibus responsum non redditur: imperium si quis inhiberet, et viros et armatos se esse, respondetur.* Lib. XXXVII, 51: *Et in senatu et ad populum magnis contentionibus certatum est, et imperium inhibetur ultro citroque, et pignora capta.* Sic *damnum* et *coërcitionem inhibere* lib. IV, cap. 53; id est, coërcere aliquem, multare damno. Eodem lib. IV: *quum primores patrum etiam tribunos plebis appellarent, et consulibus quoque ab ea potestate vim super tali re inhibitam referrent;* ubi *inhibere vim* est per vim aliquem coërcere.

Vs. 463. *Concastigare*, hic et interdum ponitur pro simplici castigare, reprehendere. V, 2, 56. Trinum. I, 1, 4. Sic *condolere* Cic. III de Orat. 2. Sed tamen interdum et cum alio simul castigare, ut infra V, 2, 56.

Vs. 469. *Non divini quidquam alicui credere*, significat omnem fidem alicui demere, hominem adeo malae fidei existimare, ut etiam adversus Numen sit fraudulentus, et Deum fallere velle non vereatur.

Quia enim Deus καρδιογνώστης, nemo, in quo aliquid boni est, in sacris simulate agere putatur. Amphit. II, 2, 40; Asin. V, 2, 4. Vnde apparet genus esse adfirmationis religiosae, et prope iurisiurandi: *Nihil mihi credas divini et humani, ni ita est.* Trucul. II, 2, 52. Caeterum in his Truculenti et Bacchidum verbis: *Nam mihi divini nunquam quisquam creduat*; observanda est phrasis *credere alicui alicuius rei*; par est syntaxis, quae in illo Asin. II, 4, 53, et imitatore Plauti Apuleio, in Apolog. p. 30: *Quoniam mihi soli ait rerum omnium confidere sese et credere.* Nimirum *divini*, *duarum rerum*, *omnium rerum* dicta sunt, pro quod ad divinum, ad duas res, ad omnes res attinet. Sic *caeterarum rerum* et similia, de quibus ad Cistel. I, 1, 33; Cicer. pro Quinct. III: *C. Quinctius sane caeterarum rerum paterfamilias et prudens et attentus, una in re paulo minus consideratus.* Idem in Catone Maiore: *Saepenumero admirari soleo, cum caeterarum rerum tuam excellentem perfectamque sapientiam, tum vel maxime, etc.* Symmach. I, ep. 15: *Tum nostrates viri, qui inter se aliarum rerum saepe dissentiunt, concordem sententiam saepe huius laude tenuerunt.*

Vs. 479. *Ramenta plumea propensior*, vel vulgarius *ramento plumeo propensior*, significat levissimi ponderis accessione gravior. *Ramentum* est, quod deraditur, seu scobs in solum cadens, quoties lima aut scobina similive instrumento aliquid atteritur. *Ramentum plumeum*, quod de pluma deraditur: quae quum ipsa sit res levissima, multo adhuc levius esset eius, si quod daretur, ramentum. Infra vs. 23, et IV, 4, 29: *Patri omne cum ramento reddidi*; ut nihil, ne minimum quidem, retinuerim. Quod in Prolog. Truc. vs. 19 dicit *cum pulvisculo*, hoc est, ut nihil etiam minutissimum relinquat, sed omnem sco-

bem etiam pulveremque converrat atque asportet. Rud. IV, 3, 77. Nonius: *Ramentum dici voluere, quasi proiectitium quoddam purgamentum.* Dicebant autem *ramentum* et *ramenta*, ut *fulmentum* et *fulmenta*, vetustissimi: nunc neutro tantum uti satius est.

Vs. 582. *Malevolente genio natus*, dicebatur homo miser, cui nihil succederet, inprimis, qui obiecta fortuna nesciret uti, ac per hoc fructu vitae careret, ut hic Mnesilochus, qui omne argentum, quo ipse opus habebat, reddidit patri. Apud Phaedr. IV, 19, 15 introducitur vulpes ad draconem, qui thesaurum, unde nec sibi sumeret quidquam, nec aliis daret, obsidebat, dicens: *Diis est iratis natus, qui est similis tibi.* Sic *Diis inimicis natus* Mil. II, 3, 42. Iuvenal. Sat. IX: *Diis ille adversis genitus, fatoque sinistro*, id est valde infelix est. Senec. in Ludo de morte Claudii: *Videte corpus eius Diis iratis natum.* Curt. VI, 10, 32: *Quid enim me procreabas infelicem adversantibus Diis?* Terent. Heaut. III, 1, 11: *Ego profecto genio egregio ad miseriam natus sum.* Etenim *genius* natalis diei colebatur praeses: ad nativitatem autem cuiusque referebant fortunam eius, propter Parcas colo suo totius vitae nascentis sortem disponentes, eique omen deos aut tristes aut laetos praeferentes. Vnde apud Propertium:

Nam tibi nascenti, primis, mea vita, diebus
Aridus argutum sternuit omen Amor.

Dicit Cupidinem deum nascenti puellae sternutamento bonum omen praebuisse. Ideo et deam fortunam nomine *Primogeniae* colebant, ut videre licet in antiquis Inscriptionibus.

Vs. 603. *Satagere, sat agitare rerum suarum*, est in suis ipsius rebus sic satis exercitum esse, satis

negotii et laboris et difficultatis habere in negotiis suis expediendis. Terent. Heaut. II, 1. Clitipho comparans secum Cliniam: *Neque me quisquam est*, inquit, *miserior. Nam hic Clinia, etsi is quoque rerum suarum satagit, attamen etc.* id est, quamvis ei quoque satis molestiae suus amor adferat. Plaut. Mercat. II, 1, 4. Cato in Fragm. Hist. *Apud vallum nostri satis agebant.* Hinc eleganter Seneca *Satageum* vocat hominem semper anxium, inquietum, in otio inepte negotiosum, epist. XCVIII: *Denique ut breviter includam, quod sentio, et istos satageos ac sibi molestos describam tibi, tam intemperantes in ipsis miseriis sunt, quam ante illas.* Sic *satagere* utitur Cic. IV ad Att. 15: *Pugnatur acriter, agitur tamen satis*, id est, satis tamen laboratur tanquam in re dubia, Gell. I, 17; Quintil. VI, cap. 3, p. 476: *Afer venuste Manlium Suratam multum in agendo discursantem, salientem, manus iactantem, non agere dixit, sed satagere*, id est, in agendo plus satis anxium, inquietum, sollicitum, mobilem et tumultuantem esse. Apul. VIII Metam. *Coloni multitudinem nostram latrones rati, satis agentes rerum suarum, eximieque trepidi.* Mamert. Paneg. II, 28.

Vs. 623. *Facere aliquem Herculem, decimam partem ei dare, sibi novem auferre*, significat ita inique et improbe cum aliquo agere, ut, quem vel totum vel dimidium accipere oporteret, is vix decimam partem consequatur. Mos erat apud divites romanos decimam partem bonorum suorum consecrare Herculi, atque inde splendidum epulum populo praebere. Plutarch. Sylla, p. 474: *Patrimonii sui universi decimam consecrans Herculi praebuit splendidum epulum populo, tantoque exuberantior usu apparatus fuit, ut quotidie magna pars cibariorum in amnem proiiceretur,*

vinum quadraginta annorum et vetustius biberetur. Idem in Crasso: *Nam qui initio rem haberet trecentorum talentorum* (Romani dicerent septuagies bis, nostrorum centum et octoginta millia imperialium) *antequam ad rempubl. accederet, quum decima facultatum suarum Herculi consecrata epulum populo praebuisset, et in frumentum coëmendum tres minas viritim dedisset, proxime ante expeditionem in Parthos susceptam, subducto secum fortunarum suarum calculo, reperit in censu septem millia et centum talenta.* (Romani dicerent, millies septingenties quatuor, nostrorum quadragies bis centena et sexaginta millia imperialium.) Idem in Quaestionibus romanis: *Cur multi divitum Herculi decimam suorum bonorum partem consecrant? an quia is quoque Romae decimam boum Geryonis partem deposuerit? an quod effecit, ne Romani porro decimas Etrusco penderent? at haec quidem fidem certam nullam habent, Herculi autem ut voraci et largiter coenanti copiosius sacrificaverunt, etc.* Varie eo alludunt veteres. Cic. III de Nat. Deor. 36. Allusit eodem Vlpianus lib. II de Pollicitationibus: *Si decimam quis bonorum vovit, decima non prius esse in bonis desiit, quam separata est.* Rursus Cic. II de Off. 17: *Vt Oresti nuper prandia in semitis decumae nomine magno honori fuerunt.* Plaut. Most. IV, 2, 68: hoc est, absumere quidquid decimarum consecratur Herculi. Trucul. II, 7, 10: *De mina una deminui modo quinque nummos* vocat *Herculaneam partem*, id est, decimam ex mina: intelliguntur autem didrachmae sive nummi duarum drachmarum; nam mina habet centum drachmas sive denarios: *Mihi detraxi partem Herculanam.* Stich. I, 3, 80: *Vbi decimam partem Herculi polluceam*; eo enim proprio verbo hac in re utebantur. Naevius Colace: *Qui de-*

cumas partes, quantum alieni fuit, polluxit, tibi autem publicando epulo Herculis decimas. Varro lib. V de L. L. *Atque inde Herculi decuma data est, quod est, quod sacrificio quodam fanatur, id est, ut fani lege sit, id dicitur polluctum, quod a porriciendo est fictum. Quum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum polluctum est.* Rudent. V, 3, 63: *Spectatores vos quoque ad coenam vocem, ni daturus nihil sim, neque fit quidquam pollucti domi,* id est, nihil quod in epulum Herculi sit destinatum, datumve. Stich. V, 4, 6: *Nam hinc quidem hodie polluctura praeter nos iam dabitur nemini,* id est, de hac coena vel epulo praeter nos pars dabitur nemini. *Polluctura* est pars pollucti, pars epuli. Curc. I, 3, 37: *Polluctus virgis,* id est virgis commorsicandus et quasi epulandus datus. Rud. II, 4, 11, inquit ancilla: *non ego sum pollucta pago,* id est, communis facta, publicata et exposita pago, ut in polluceto Herculis edulia sumturis exponebantur promiscue. Hinc et *obsonare pollucibiliter* pro laute et splendide. Mostell. I, 1, 13. Sicut in pollucto fieri solet. Inde *pollucibilis coena* apud Macrob. pro opipara. Cassius Hemina apud Plin. XXXII, 2: *Numa constituit ut pisces, qui squamosi non essent, ne pollucerent: parcimonia contentus, ut convivia publica et privata, coenaeque ad pulvinaria facilius compararentur, ne qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eaque praemercarentur.* Festus: *Pollucere merces Diis quas licet, sunt far, polenta, vinum, panis fermentatus, ficus, passa, suilla, bubula, agnina, casei, ovilla, alica, sesama, et oleum, pisces, quibus est squamma praeter squarum. Herculi autem omnia esculenta, poculenta.* Denique etsi frequentissime de parte Herculanea usurpatur id verbum, tamen et de libamentis,

quae aliis diis offeruntur, interdum invenias. Cato de R. R. CXXXII: *Iovi Dapali culignam vini quantum vis polluceto. Eo die feriae bubus et bubulcis, et qui dapem facient: Quum pollucere oportet, sic facies. Iupiter Dapalis quod tibi fieri oportet, in domo, familia mea culignam vini dapi, eius rei ergo macte hac illave dape pollucenda esto; macte vino inferio esto.* Tertullian. de Idololatr. *Plerique idololatriam simpliciter existimant his solis modis interpretandam, si quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut sacris aliquibus aut sacerdotiis obligetur.*

Vs. 654. *Prehendere aliquem mendacii.* Notabilis compositio, pro prehendere aliquem in mendacio. Sic infra IV, 9, 26: *Doli prehensus*, pro in dolo. A. Gell. II, 18: *Servos item furti manifesti prensos, verberibus adfici, et e saxo praecipitari; sed pueros impuberes Praetoris arbitratu verberari voluerunt.* Apul. IX: *Vinculis obrutus non quidem coram noxae deprehensus, conscientia tamen pessime.*

Vs. 718. *Insanum magnum negotium*, est valde magnum, Most. III, 3, 5; Mil. I, 1, 24; Trin. III, 2, 47. Varro lib. VI de L. L. *Plautus, quum vehementer vellet dicere, dicit insane: quod insani omnia faciunt vehementer.* Festus: *Insanum magnum pro valde magnum, usus est Plautus.* Sic Cic. pro Milon. XX: *insanas substructiones*, id est, valde grande aedificium. Sil. lib. I, 251: *Tam vertice nudo Excipere insanos imbres.* Ausonius: *Dives insanum in modum.* Liv. XXXII, 17: *Vt speciem ruentis hostibus, trepidationemque insanam superstantibus armatis praebuerit.* Sic *insani montes in Sardinia.* Flor. II, 6. Sic Graeci quoque μανικὸν ὅσον μέγα, id est, *insanum quod magnum.*

Vs. 748. *Ab transenna cibum petere* dicitur quasi

proverbio, pro capitis periculo petere id quod placet. *Transenna* est machinula reticulata, vel cratis ad capiendos turdos concinnata. Pers. IV, 3, 11; Rud. IV, 7, 10. Hac significatione *transennae* et *cancelli* idem. Glossae *transenna*, Graece κιγκλὶς. Hinc et proverbialis locutio *per transennam aspicere*, quam et Cicero usurpavit lib. de Orat. 35: *Nunc petes a Crasso, ut eam copiam ornamentorum suorum quam constructam uno in loco, quasi pe transennam praetereuntes strictim, aspeximus, in lucem proferat*, hoc est per cancellos ante fenestram positos, vel fenestram opere reticulato factam. Quae Regum III, θυρίδες δεδικτυωμέναι, appellantur Procopio Gazaeo φωταγωγοὶ δικτυωειδῶς κατεσκευασμέναι, quae quia visum praetereuntium tramittunt, sed satis obscurum, quod non plene nec plane videmus, quasi per transennam dicimur aspicere. Paullinus Epist. XII: *Tota haec basilica aperitur trinis arcubus perlucente transenna*, quam *tralucidas fores* dixit Cassidorus, θύρας διαφανεῖς δικτυωτάς. Sic Christiani Auctores infimae aetatis *transennas* in templis dicunt septa cancellato opere facta, quibus sanctuarii locus et aedis intimum penetrale a popularibus discriminabatur. Dubium, an ita quoque accipienda vox apud Sallustium, citatam Servio in V Aeneid.: *Et volucrem traiecto in fune columbam. Traiecto, extento: unde transenna dicitur extentus funis.* Sallustius II Histor. apud Nonium: *Praeterea cum sedenti transenna demissum victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat.* Possunt et hic intelligi cancelli, quibus apertis ac laxatis machinae Deos aut heroas portantes demitterentur, adducerenturque, ac, prout liberet, moverentur. Tamen et glossae: *transenna* Βρόχος ἐν ἀρτηρίαις τεταμένος. Volunt esse funem in curriculis, qui

extensus cohibebat paratos cursores, et signo dato demissus faceret illis potestatem exiliendi ex aequis spatiis et contendendi. Inde Ammianus lib. XXV: *tanquam e transenna simul emissi spe citius ripas occupavere contrarias.* Et lib. XIX: *Afflictabant tamen multo vehementius Persas ictus varii balistarum tanquam per transennam a clivis structilibus decurrentes.* Volunt viri docti a transeundo dici, quia per cancellos conspectus transit. Sed videtur potius *transenna* dicta, quasi *transtenna*, quia aliquid transtenditur, idque etymon utrique significationi congruit. Veteres dicebant *tennere* pro tendere. Vt apud Terent. in Phorm.: *Neque accipitri rete tennitur, neque milvio,* olim scriptum fuisse annotat Donatus, id est, pro tenditur. Et sic in Milit. V, vs. 14: *dispennite* pro dispandite. Quae observanda, non imitanda sunt.

Vs. 766. *Bellerophontis literae* sunt datae alicui literae pro commendatitiis, quibus revera portanti magnum malum comparatur. Et sic *Bellerophontis tabellae*, vel *literae*, proverbio dicuntur, quas quis fert tanquam commendatitias, quum iisdem ignarus accusetur, quales ex historia Sacra *literas Vriae* dicere possumus. Graeci quoque Βελλεροφόντης καθ' ἑαυτοῦ γράμματα, vel Βελλεροφόντης τὰ γράμματα. Nam Bellerophontem apud Proetum hospitem uxor Sthenobaea, quae ultro consuetudinem eius appetens a casto iuvene reiecta erat, quasi de stupro se interpellasset, accusavit. Credulus Proetus dimittit hospitem cum literis ad Iobaten, quibus caedem eius mandabat. Quas quum pertulisset ignarus Bellerophon, legissetque Iobates, variis hominem periculis obiecit, ut interiret.

Vs. 770. *Venire atque adstare in lapide, ubi praeco praedicat*, proprie dicitur de servis veno expositis; translate significat, esse in eo ut iam decipiaris, nunc

ipso de capite, aut alia re magna tua, summo cum periculo tuo agitari. *Lapis* κατ' ἐξοχὴν in foro Romano locus erat eminens, viliorum servorum venalium, in quo stans praeco et mancipium, quod venibat, manu tenens pronuntiabat, venale esse et quanti, et emtores invitabat. Pollux III, cap. 25: ὁ δὲ τόπος, πρατὴρ λίθος, καὶ πωλητήριον. Colum. III, 3: *Vnius operam vinitoris, quam vulgus quidem parvi aeris, vel de lapide noxium posse comparari putat,* hoc est, servum de lapide emtum, non bonae frugi, sed vel quia damnosus et improbus est, a domino, vel quia ob damnum alteri datum noxae deditus est, ab eo, cui deditus est, venditum. Cicer. in Pison.: *Is praeter unum Praetorem fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emtos tribunos plebis*; hoc est, non liberorum modo, sed etiam servorum nequissimos, vilissimos, pecunia corruptos, et emtos non secus ac servos venales, qui de lapide comparabantur.

Vs. 862. *Per te Deos obsecro immortales.* Observandum est solitos veteres in deprecationibus et obtestationibus, si particula *per* uterentur, inter praepositionem eiusque casum proprium aliud aliquid interponere, sive verbum, sive praenomen, sive utrumque. Nam simpliciter dicendum fuisset, obsecro te per deos immortales. Nunc elegantiae causa inter τὸ *per* et τὸ *deus* interponuntur *te obsecro*. Sic Menaech. V, 7, 1; Terent. Andr. XXXIII, 6: *Per ego te Deos oro.* Virg. IV Aeneid. 314: *Per ego has lacrymas dextramque tuam te Oro, si quis adhuc precibus locus.* Senec. Agamemn. *Per te parentis memoriam obtestor mei.*

Vs. 885. *Termento esse alicui*, pro esse detrimento, damno. *Tero* antiquitus per analogiam faciebat nomen *terimen*, unde extrita litera *termen*, et *trimen*.

Tribus hisce obsoletis in usu ab altero posteriori mansit *termentum*, ab altero compositum *detrimentum*. Festus: *Termentum pro eo quod nunc dicitur detrimentum, utitur Plautus in Bacchidibus.*

Vs. 956. *Malum hercle magnum tibi*, compendiosa ratio imprecandi alicui, in qua intelligebant *sit*, vel *eveniat*, vel *di dent*. Sic Cic. Philipp. VI: *Populi Romani igitur est patronus L. Antonius. Malam illi quidem pestem, clamori enim vestro adsentior.* Apud Liv. IV, 49: *Postumius Tribunus militum: malum quidem militibus meis, inquit, nisi quieverint.* Noster Rud. I, 2, 20 et 30.

Vs. 1085. *Intueri aliquid* vel *aliquem limis*, proprie est obliquis oculis respicere: translate est aut cupidum esse, aut invidere. Ad primam notionem pertinet illud Mil. IV, 6, 2; Plinii VIII, 16 de Leonibus: *Caeterum dolis carent et suspicione: nec limis intuentur oculis, adspicique simili modo nolunt.* Quod est apud Virgilium *transversa tueri.* Ad secundam notionem, qua per obliquum adspectum cupiditas quaedam significatur, pertinet Terent. Eunuch. III, 5, 53: *Somnus virginem opprimit: ego limis adspecto sic per flabellum clanculum.* Varro: *Multi, qui limina intrarunt integris oculis, strabones sunt facti: habet quiddam ἑλκυστικὸν provincialis formosula uxor.* ἑλκυστικὸν vis aliqua attrectiva sive allectiva est: *strabonem* fieri in qua re, est oculos adiicere alicui rei, cupiditate alicuius rei tentari. Inde *limi oculi* dicuntur esse amatorum Quintil. XI, 3: *Oculi voluptate quadam suffusi, aut limi, et, ut sic dicam, Venerei.* Apul. II, Miles: *Ad me conversa limis et morsicantibus oculis.* Ad tertiam notionem, qua invidiam denotant oculi limi, sive obliqui, pertinet illud: *Non illic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat, etc.* Plutarch. Solon. p. 78.

CAPTIVI

Prol.
vs. 16. *Reliqua* κατ' ἐξοχὴν dicuntur, quae rationibus subductis acceptisque et expensis computatis debita remanent et solvenda supersunt, aut novas rationes reddendas requirunt. Sic accipit Cic. ad Att. scribens: *Maxime autem me tangit ratio reliquorum meorum.* Paulus lib. LXXXI de Condit. et Demonstr. *Mortuo Sticho, antequam rationes redderet, vel pariatore vel reliqua habente.* Vbi notandum, haec duo poni tanquam contraria, ut *pariator* sit, qui pares rationes accepti et expensi facere possit; *reliquator* qui his subductis et putatis, adhuc aliquid debeat. Hinc *reliqua* sunt etiam praeteriti temporis pensiones non ad diem illatae. Plin. lib. III, ep. 19: *Possessor prior saepius vendidit pignora, et dum reliqua colonorum minuit ad tempus, vires in posterum exhausit.* Sic et *reliqua vectigalis* leg. XLVII de Iure Fisci. *Reliqua conductionis* leg. X Cod. ad Sc. Velleian. Vnde *reliquari* dicitur, qui non ad diem pensionem solvit, atque inde debitum, sive aes alienum contrahit. Vlpian. XX, §. 6, Famil. Ercisc.: *Si filius in muneribus publicis, in quibus pater ei consentit, reliquatus est*, id est, pecuniam publicam apud se retinuit, nec ad tempus solvit. Leg. VI, §. 1 de Muner. et Honor.: *Eos demum debitores rerum publicarum accipere debemus, qui ex administratione reipublicae reliquantur.* Sic et dicti *reliquatores*, qui reliqua traxerunt,

apud quos reliquum est. Paulus lib. IX, §. 2 de Publicanis: *Reliquatores vectigalium ad iterandam conductionem, antequam superiori conductioni satisfacient, admittendi non sunt.* Scaevola leg. CII, §. 2 de solut.: *Quum superioris anni sit reliquator*, id est, quum pensionem superioris anni non solverit. Denique hinc *reliquatio* leg. XLV de Admin. Tutor.: *Si rationibus a tutore acceptis, reliquationem eius secutus, usuras acceptaverit*: id est si passus est apud eum esse vel manere reliqua debiti nomine, et de illis usuras acceperit. Huc alludit Plautus, quum hic supra ait: *Accipite reliquum: alieno uti nihil moror.* Ambiguitas est in voce *reliquum*, quae si coniungatur cum praecedentibus, significat, quod restat dicendum de argumento: Si recipias, quae sequuntur, accipitur quasi dictum esset de reliquo aere alieno, quod factis rationibus superest solvendum. Par lusus Cistell. I, 3, 4.

Vs. 61. *Comico choragio agere tragoediam*, proprie est ornatu et vestibus comoediae actores decentibus tragoediam exhibere. Differunt enim comoedia et tragoedia ornatu, perinde ut personis ac rebus. In comoedia personae viles et humiles, adolescens, amator, senex, delirus, et delusor, servulus nequam, meretricula procax et callida, parasitus vorax, res iocosae, et in risum desinentes: in tragoedia personae illustres, reges, aut tyranni, eorumque uxores, reginae, liberi, consiliarii, ministri et satellites, res graves, seriae et lugubri exitu terminatae. Translate potest usurpari haec phrasis de illis, qui habitum, orationemque et gestum non accommodant tempori, verbi gratia, qui in tristi re patrant ridicula: vel qui apparatum hilaritatis in moerorem vertunt, ut qui in convivio proelium, et *natis in usum laetitiae scyphis*,

ut ait Horatius, pugnare inçeptant. *Choragium* est instrumentum et apparatus, quo chorus histrionum, sive scenici ornantur et instruuntur. Apul. Apolog. *Quid enim, si choragium thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere, etiam uti me consuesse tragoedi syrmate, histrionis crocota, mimi centunculo?* Nam sic appellatis vestibus Comici, Tragici, Mimici actores utebantur.

Choragus est, qui haec ornamenta possidet, aut praebenda locantibus aedilibus conducit. Pers. I, 3, 80; Trinum. IV, 2, 16; Suet. Aug. LXX. Transfertur eleganter ad alia; Cornif. IV ad Herenn.: *Vt aliquid fragile falsae choragium gloriae comparetur*, id est supellex et instrumentum non duraturum ad pompam vanae gloriae. Apul. II Metam.: *Cantatrices aniculae in ipso momento choragio functis praecipiti celeritate aliorum sepulturam antevertunt.* Lib. IV: *Iam feralium nuptiarum miserrimae virgini choragium struitur.*

Fab. vs. 10. *Res prolatae* dicebantur, quum vel iustitio, belli aut tumultus repentini causa, indicto, vel feriis ac vacationibus solemnibus lites ac negotia forensia una cum iurisdictione cessarent. Cic. pro Muren. cap. 13: *Prudentia, quae neque extra Romam usquam, neque Romae rebus prolatis quidquam valet.* Lib. VII ad Att. 12: *Nec enim rerum prolatio, magistratuumque discessus, nec aerarium clausum tardabit.* Lib. XIV, ep. 5: *Qui legari voluerim ante res prolatas.* Lib. III ad Q. Fr. ep. 8; Liv. IV, 25: *Vi prolatae in annum res.* Tacitus II Annal.: *Res eo anno prolatas non referrem, ni pretium foret.* Lucan. ad Pison.

Turbida prolatis tacuerunt iurgia rebus.

Senec. de Brevit. Vitae cap. 7: *Patronus quando,*

inquit, res proferentur. Et contra *rediisse res* dicuntur exeuntibus feriis, infra vs. 18, quum rursus vacatur foro, et causae aguntur.

Vs. 24. *Potitus hostium* dicitur, qui in hostium potestatem venit. Verbum antiquum, quod crebro apud Lucretium. Veteres dicebant *potis* pro potens. Inde *potio*, id significans quod potentem vel compotem facio, et *potior*, compos fio, et quidem diversis casibus, seu triplici constructione. Nam et *aliqua re*, (unde etiam *compotes mente* apud Virgil. in Cul.) et *alicuius rei* et *aliquid.* Dicitur autem de bonis, quibus acceptis laetamur, et de malis, quae supervenientia ferimus. Simplex in bonam partem accipi, est vulgare nec exemplis indiget. Compositum est Rudent. IV, 2, 6: *Piscatu novo me uberi compotivit*, pro piscatus novi me compotem fecit. In malam partem *potiri aliquem servitutis*, est servum facere, Amph. I, 1, 23: *Potiri hostium* hic, et eadem fabula III, 5, 104; Epid. IV, 1, 5. Nec refugerunt ICti hoc genus loquendi. Papinianus leg. 11 de Capturis: *Ex quo pater hostium potitus est.* Nempe *potiri hostium* est accipere hostes tolerandos et dominos, in hostium potestatem venire, sic *potiri fatorum* pro mori, Cic. I Tusc. *Potiri quid mali* Terent. Phorm. III, 1, 5: qui etiam *nancisci quid mali* eodem actu, 3, 10: *potiri laborum* Rud. I, 3, 7. Sic *compos aerumnarum et miseriarum* Epid. IV, 1, 32: *compos culpae*, Truc. IV, 3, 61 pro reus. Naevius citante Nonio: *Eam nunc esse inventam probri compotem scis.* Et ex Acc. *Cur me miserum irridet magnis compotem et multis malis.*

Vs. 63. *Conciliare aliquo*, est facere ut aliquo venias. Sic *reconciliare* est reducem facere, prolog. vs. 33, et I, 2, 65: *reconciliassere*, quae est inclinatio verbi antiqui, pro reconciliaturum esse. Et III, 4,

44, *reconciliasso*, pro reconciliavero, seu reducem fecero.

Vs. 87. *Imperare exercitum*, dicebantur proprie maiores magistratus Romani, velut Dictator, Censor, Consul, Interrex, Praetor, quum populum Romanum convocabant ad comitia maxima, sive centuriata: ad quae conveniebat populus armatus sub signis, et ex urbe in campum Martium, praesidio in arce posito, educebatur. Ideo per vocabulum *exercitus* intelligitur populus Romanus: *Imperabat* autem consul exercitum praeconi, id est iubebat eum convocare Quirites, sive cives Romanos ad comitia centuriata, quorum omnium testis est Varro de L. L. lib. V, Festus in *Iusti dies*, Gellius XV, 27. Imperabat autem Magistratus accenso aut praeconi, ut Quirites convocaret. Huc alludens Plautus dicit, regem vel convivatorem *imperare exercitum edendi parasito*, id est mittere eum obsonatum et arcessitum milites, quos ipse dicit vs. 59, et seqq. *Paniceos*, *Placentinos*, *Turdetanos*, *Ficedulenses*, *Maritimos*, scilicet emtum panes, placentas, turdos, ficedulas, pisces. Sic Cistell. I, 1, 60: *Lacrymarum exercitum imperare*, pro excire alicui largas lacrymas, qua phrasi utitur I, 1, 4. Vt in exercitu est frequentia et multitudo militum. Vide Observat. lib. I, cap. 1.

Vs. 116. *Venare leporem*; *nunc erim tenes*. Proverbium est quadrans in eos, qui conditionem parum commodam et mollem nacti, meliorem quaerere iubentur: aut etiam in eos, qui optimum invenisse se putantes, in multo vilius inciderunt, eoque ulterius persequi votum iubentur. Sic *venari leporem*, *erim tenere*, vel *cepisse*, possunt dici, qui, ut alio est proverbio, *pro thesauro*, quem quaere-

bant, adepti sunt *carbones*, seu rem nihili: *Eris*, echinus, ericius, erinaceus idem animal. Calpurn. *Spinosi corporis erem.* Nam *erem* et *erim* dicitur, ut *turrem* et turrim. Queruntur venatores se incidere interdum in erinaceos, dum lepores sectantur, imo et canes vestigia leporum deserere, si praesagierint ericium. Hinc in Plauto dicit parasito senex, victum suum asperum esse, proinde illi suadere, si molliorem lautioremque optet, aliam mensam uti quaerat. *Eri*, seu *erinaceo* asperum suum victum comparat, animali hirto et spinis circumcirca obsito atque horrenti: mollem autem et delicatum lepori, cuius pilis nihil est mollius, Propert. eleg. 19, lib. II:

Mihi sit lepores audacia molles
Excipere.

Vs. 140. *Fingere fugam*, est fugam meditari, adornare, circumspicere. Lucil. *Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus.* Senec. Cons. ad Marc. XXVI: *Quid dicam, nulla hic arma mutuis furere concursibus, nec classes classibus frangi, nec parricidia aut fingi aut cogitari, nec fora litibus strepere, id est strui, parari.*

Vs. 184. *Esse quaestioni* aut in quaestione, significat non esse in promptu, non esse praesto, quaeri Casin. III, 1, 16: *Sed tu cave inquisitioni mihi sis.* Cistell. II, 3, 49: *Iube domi opperirier, ne quaestioni mihi sit, si quid emi velim.* Pseud. II, 2, 68: *Sed vide sis, ne in quaestione sis, quando arcessam, mihi.* Iust. II, 10, 15: *Quaestioni res diu fuit.* Sic *quaerere.* Vide Barth. Advers. XXVI, 24, p. 1276.

Vss. 270, 281. *Dare alicui aliquid aestimatum*, est tradere alicui rem constituto pretio, ea conditione, ut aut ipsa reddatur, aut pretium, de quo

convenit. Vt hic de servo et mancipio, et II, 3, 4. Et de mercibus, Mercat. I, 1, 95.

Vs. 292. *Dare operam alicui*, saepe utitur Plautus pro officium praestare alicui, inservire, obsequi, vacare alicui. Aulul. II, 1, 22: pro vaca mihi, ausculta mihi, audi quae dicam. Mil. I, 1, 77: *regi operam dare*, est facere hodie, quae mihi rex imperavit. Bacch. I, 1, 26: *operam dabis*, id est officium praestabis. Most. IV, 3, 17: *Operam mihi da*, id est audi me, quaeso, patere me tecum colloqui. Menaech. IV, 2, 100: *Operam dedi*, id est officium praestiti. Respondebat enim: *Opera reddetur*, quod est, par pro pari dabitur. Capt. III, 4, 85: *Do tibi operam* est nunc vaco tibi, nunc te audiam, si quid habes quod velis dicere. Terent. Heaut. V, 1, 37. Corn. Nep. Att. IV, 3: *Cum et rei familiari* etc. Sic *dare operam liberis* honeste admodum dicitur, teste Cicer. IX Famil. 22.

Vs. 379. *Dare ab aliquo*, *solvere ab aliquo*, est dare vel solvere ex arca aliena; sive tua penes eum pecunia fuerit deposita, sive ab eo mutuum sumseris. Curc. V, 2, 20. Cic. pro Flacco: *Census es praeterea numeratae pecuniae centum triginta millibus, eam opinor numeratam tibi esse non abs te*, id est non tuo patrimonio aut arca, sed aliunde sumptum. Lib. V ad Att. ep. ult. *Homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere; quod enim praetori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se a me quodammodo dare*. Contra apud Suet. Aug. cap. XL: *Singula millia a se dividebat*, id est de suo, ex arca sua. Transfert eleganter Cic. in Orat. pro Planco extrem. *Sinite me, quod vobis fretus huic saepe promisi, id a vobis ei persolvere*: sinite, ut illi a vobis ego beneficium, quod ei debeo, impetrem. Cic. Topica IV, eleganter. Vide supra Asinar. II, 4, 34 extrem.

Vs. 390. *Praeverti alicui rei* est relictis omnibus rebus ad hanc unam prius curandam se vertere et componere. Mercat. II, 3, 40; Cistell. V, 1, 8; Mil. IV, 2, 101; Pers. V, 2, 20. Caesar: *Caesar huicce rei praevertendum existimavit.* Mire in usu huius verbi variant veteres: *Praevertere alicui rei* passive dixerunt eodem sensu. Merc. I, 2, 3: ne te ad pigritiam potius vertas, ne malis esse piger. Pseud. I, 3, 59: id est, praeverti seu ante haberi amorem pietati. *Praeverto hanc rem illi*, est antehabeo, potiorem hanc rem in praesentia duco, Liv. II, 24. Cic. lib. I de Divin. *Ita tamen, si vacat animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni praevertendum putes.* Sic et *praeverti* Liv. VIII, 13; *prae aliquo* Amph. I, 3, 30; *praeverti aliquid* sine casu dativo, eodem sensu, Liv. XXXV, 31 et lib. XXXVI, 27. Sic et *praevertor* Capt. V, 4, 29; Rud. III, 2, 32; Pseud II, 2, 6. *Praevertere* sine casu est praevenire, occupare, Liv. XXXVII, 1. *Praeverti aliquem* eodem casu, Casin. II, 8, 74. *Praevertere aliquid aliquo*, Liv. lib. XXIV, 5. Denique *praeverti ad aliquid*, est idem quod initio diximus *praeverti alicui rei.* Columella III, 7: *Non intempestivum nos ad ea praeverti, quae videntur hunc publicum errorem corrigere posse*; id est, nos ante omnia de his monere. Curt. VI, 68: *Quamquam Besso imminebat, tamen ad Satibarzanem opprimendum praeverti optimum ratus.* Plin. V, ep. 5: *Praevortor ad ea, quae me agentem hic nuntio deprehendit.* Horat. Serm. I, 3, 37:

Illuc praevertamur: amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia.

Vss. 414, 419. *De compacto rem gerere*, et *compacto rem agere*, III, 1, 29; dicitur de duobus pluri-

busve eodem prorsus modo loquentibus aut agentibus, ita ut aut convenisse inter eos ante, quid agerent, appareat, aut certe convenisse videatur. Pseud. I, 5, 129. Cic. X ad Att. 13: *Occulte in aliquam onerariam corrependum; non committendum, ut etiam compacto prohibiti videamur*; id est, ne videatur clanculum id inter nos convenisse. Suet. Octav. XV. Liv. V, 11: *Vt multo verisimilius sit, compacto eam rem et communi patritiorum fraude actam.* Idem lib. III dicit hoc *ex composito*: *Clarissimis viris ex composito praeparatis ad petendum.* Virgil. simpliciter dixit *composito.*

Vs. 416. *Restringere dentes* significat renidere, leviter ridere, *restrictis* sive apertis labiis os ridentis exprimere: *Restringere* est oppositum τῷ *constringere.* Vt *recingere*, *refigere*, *retegere*, *retexere* suis simplicibus opponuntur. Apul. *Iuvenem restrinxit*; *adireque stabulo liberum sinit.* Idem in Apol. recitans versus de dentifricio missos ad Calpurnium:

Ne qua visatur tetra labes sordium,
Restrictis forte si libellis riseris.

Vs. 427. *Spes decolat* ponitur pro perit, inanis redditur: *Decolare* proprie est idem quod liquefieri, per colum defluere (de quo supra ad Aulul. vs. 40) Translatio inde ducta, quod quae dilabuntur et pereunt, *fluere* dicuntur. Virgil. II Aeneid.

Ex illo fluere et retro sublapsa referri
Spes Danaum.

Et *fluxa* appellantur, quae non diu durant, sed cito intereunt. Sallust: *Divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est.* Noster Capt. II, 3, 79: *Cave fidem fluxam geras*, id est instabilem, infidam, non

firmam, incertam. *Decolare* natura sua est activum, idemque quod per colum transmittere, sed intelligitur pronomen *se*, sic igitur *spes decolat*, nempe *se* ipsam, quae defluit, interit, sublabitur. Varro lib. I R. R. cap. 2, p. 7: *Duo videntur spectasse Itali homines colendo, possentne fructus pro impensa ac labore redire, et utrum saluber locus esset an non. Quorum si alterutrum decolat, et nihilominus quis vult colere, mente captus est*, id est deficit, vanum; ineptum reddit. Sic Casin. II, 4, 28: *Si sors autem decolassit.* Quod interpretatur, II, 6, 47: *Ista in sortiendo sors delicuerit*, liquefacta fuerit. Aliud est apud Caecil. citatum Nonio: *Habes, vide, tibi tradidi, in tuo collo est, decolles cave*, id est, de collo deponas. Et apud Sen. Suetoniumque *decollare* pro capite truncare, seu cervices praecidere: quae nihil huc pertinent.

Vss. 443, 444. *Mantellum mendaciis, fraudibus, fucis*, pro praetextus, velamentum et purgatio. *Mantum* dixere Latini veteres, quod Graeci μαρδοχὴ amictum. Est enim ἡ μαρδοχὴ περίβλημα ὅμοιον τῷ καλουμένῳ φαγνώτῃ, ut ait Pollux, amictui similis ei, qui vocatur poenula, unde *chlamys mantuelis* apud Trebell. Poll. Claudio. A *mantum* fit diminutivum *mantellum*, ut a *flagrum flagellum*, *scamnum scabellum*, *anus* (pro annulo, quo utitur Plaut. Maenechm. I, 1, 9) *anellus*, quo utitur Epid. V, 1, 33. Est ergo *mantellum* proprie idem quod palliolum, velamentum, amiculum. Vocabulum *mantum*, quum diminutivum magis placeret, sprevit cito vetus Latinitas. Sed recentior resumsit, unde apud Isidor. *Mantum, quod manus tegat tantum: est enim breve amictum.* Idem in Glossis: *Mandus, vestis virginalis.* Graeci quoque posteriores μαρτίον: postea *Mantellum* confuderunt cum.

mantili, id est mappa, qua vel manus ad mensam tergentur, vel ipsae mensae sternuntur, eaque est recepta significatio. Varro lib. V de L. L. *Mantellum, quasi manuterium, ubi manus tergentur.* Hoc ἔτυμον magis ab usu illius aevi, quam a proprietate vocis depromptum. Lucill. *Evertit mappas, mantella, merumque.* Plin. lib. VII, 2, ait: *Anthropophagos supra Borysthenem amnem ossibus humanorum capitum bibere cutibusque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti.* Virg. ambigue lib. I Aeneid. vs. 706: *Tonsisque ferunt mantilia villis.* Vbi Servius: *Constat maiores mappas habuisse villosas: mantilia vero a tergendis manibus dicta, et est nominativus mantile, quomodo torale.* Sed nihil impedit, quo minus et hic de stragula mensaria accipiatur. Vt apud Martial. lib. XV, epig. 136:

Nobilius villosa tergunt tibi lintea citrum.

Vbi ipsum lemma, sive inscriptio, *villosa lintea* explicat gausapam vel mantile: *Citrum* vero est orbis mensae citreus, vel ex citro. Iterum Martial.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantile e mensa sustulit Hermogenes.

Hic mappa lintea manibus tergendis est, mantile vero mensae operiendae. Glossae: *mappa* χειρόμακτρον. Et idem Poëta alibi: *Et vani triplices brevesque mappae.* Moris erat, suam quemque mappam ad convivium secum ferre, nec eam a Domino praeberi, ut mantile, quo mensa insternebatur. Hermogenes igitur, fur huiusmodi mapparum, in quem factum est epigramma Martialis, quia metu eius mappam nemo attulerat, ipsum mantile subduxit. Lamprid. Alex. Sev. Cap. XXXVII: *Convivium neque opiparum, neque*

nimis parcum, sed nitoris summi fuit, ita tamen ut pura mantilia mitterentur. Saepius cocco clavata (id est purpureis clavis distincta), *aurata vero nunquam, quum haec Heliogabalus iam recepisset et Adrianus habuisset.* Trebellius Pollio Gallien. *Mantilibus aureis semper stravit.* Potest videri dictum *mantile* quasi *manuile*, in locum τοῦ *u* subrogato τῷ *i* εὐφωνίας gratia. Vt *Mantissa* (quod est additamentum, quod ponderi subiicitur. Lucill. *Mantissa obsonia vincit.*) dicta est pro *manuissa*, a genitivo veteris declinationis; *manuis* enim dicebant, ut *fructuis*, *partuis*. Nisi potius *mantile* sit a *manto*, ut ab *hasta hastile*. *Mantum palliolum.* Viri doctissimi *Mantelam* et *Mantelum* et *Mantele* scribere malunt, quasi a manu et tela, et mantelium, quasi manuterium, cum Varrone, aut denique quasi manticulae, mantile. Hi omnes non tam originem vocis, quam usum, qui postea accessit, attendisse videntur. Sed hunc usum sive significationem a forma accepit. Quum enim pallia quadrata essent, mantella vero proprie essent minora pallia, et lintea sive mensis sternendis, sive manibus immundis tergendis, non absimilia illis fuere, et commode mantella sive mantilia, quasi parva pallia dicta sunt. Paulatimque hoc recepto, usus mantelli pro pallio exolevit. A manto dicitur et *mantica*, quae instar *manti* gestatur a tergo, sacculus, in quo sarcinulas portamus: Festus vult Tuscum esse vocabulum. Casaubonus Arabicae, Becmannus Hebraicae vult esse originis. Catull. *Sed non videmus manticae quod a tergo est*, quibus verbis alludit ad fabulam Aesopi, fuisse quendam qui duas manticas unam ante, alteram post se portaret: in priorem congereret aliorum peccata, eaque semper ante oculos haberet, in posteriorem propria, quae nunquam con-

spiceret. Itaque significatur eo versu, alios nos carpere paratos, propria vitia non videre. Horat. I, Sat. 6:

Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel si lubet usque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret.

Pers. Sat. IV:

Sed praecedenti spectatus mantica tergo.

A cuius diminutivo *Manticula* dicuntur *Manticularia*, parvae sarcinae, resculae, quae mantica feruntur, apud Fest. est *Manticulari* pro furandi gratia manticulas attrectare; quo et usi sunt veteres pro dolose agere. Pacuv.: *Ad manticulandum astu aggreditur.* Item: *manticulandum est mihi.* Et iterum: *machinam ordiris novam, manticulare.*

Vs. 538. *Stare inter saxum et sacrum*, est in praesentissimo atque inevitabili periculo esse, quod dicunt alias *inter malleum et incudem.* Vbi scilicet quod est, fieri non potest, quin feriatur. *Sacrum* est hic idem quod sacrificium, victima; *Saxum*, quo victima feritur ex antiquissimo veterum more. Liv. I, 24: *Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit.* Nam porcus hic pro sacro est, seu victima

Vs. 563. *Ductare dolis*, et *ductare* simpliciter, est decipere, fallere. Infra III, 5, 97. Mostell. IV, 2, 159: *Peratim ductarier*, ficta a servo phrasis significat, emungere aliquem tanta pecunia, quanta in pera contineri potest. At ibid. *follitim ductare*, longe maius, tanta videlicet, quanta in folle contineri potest: *Ductare labiis* est ore distorto aliquem deridere. Mil. II, 1, 16. Sic *circumducere aliquem*, Asin. I, 1, 80, id est decipe, frauda. *Circumducere aliqua re*, est fraudare, fraude spoliare, veluti auro, Bacch. V, 2, 64; nam *Philippus* est hic nummus imaginem Phi-

lippi regis inscriptam habens. *Pallio*, Poen. V, 2, 16; id est furto fraudatus: nam circum publicas balneas frequens istiusmodi hominum genus olim, qui vestibus lavantium insidiarentur, et *fures balnearii* dicuntur etiam in libris Iuris. Sic denique *circumductio argenti* Capt. Scen. ult. vs. 3. *Ornamentis* Trinumm. IV, 2, 17.

Vs. 615. *Nihil interduere*, *interdare*, significat facile concedere, non verbo, non facto prohibere; nihil morari, nihil curare. Arnob. lib. I: *Quidquid virium continet tremor ille verborum atque adiunctae carminum necessitates, non invidemus, adiiciant, non interduimus.* Rud. II, 7, 22: *Eluas tu, an exungare, ciccum non interduim.* Trinum. IV, 2, 152: *Sed enim tu qui sis, qui non sis, floccum non interduim*· quae dicta antique pro *interdederim*. *Interduo*, pro interdedero. Auson. *Pro quo, si per sigillaria in auctione veniret, neque Afranius nauci daret, nec ciccum suum Plautus offerret.* Ciccum est leve quid, nauci, hilum, γρὺ pro eodem, id est pro re minima veteres dixerunt. Proverb. οὔτε κόκκος.

Vs. 704. *Haereditatem sine sacris apisci*, est maximum commodum et lucrum sine sumtu vel impendio adipisci. Praeter publica sacra, quibus Deos colebant, erant certa sacra certarum familiarum. Liv. V, 64: *Sacrificium erat constitutum in Quirinali colle, genti Fabiae*, id est illis qui Fabii vocabantur, unius familiae homines. Hereditaria ea sacra familiaria lege duodecim tabularum perpetua erant; et annexa nomini, familiae, et haereditati ad posteros transmittebantur. Vnde *transire in gentem et sacra* dicebantur, qui adoptabantur. Plin. Paneg. XXXVII: *Bona quae sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent.* Vbi *societas sacrorum* intelligenda est, de ea

quae est inter cognatos et eiusdem familiae; Cic. II de Leg. 19: *De sacris haec sit una sententia, ut conserventur et deinceps familiis prodantur, et, ut in lege posui, perpetua sint sacra. Hoc posito, haec iura pontificum auctoritate consequuta sunt, ut ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit.* Vbi per vocabulum *pecuniae* intelligit Cic. universam haereditatem, quomodo prisci ICti hanc vocem interdum accipiebant. Sacra autem illa quoniam semper aliquo, saepe etiam magno, sumptu constarent, erant onus haereditatis, rei alioquin lucrosae. Quare quum multi id impendium refugerent, per Iurisconsultorum callidam interpretationem inventa sunt remedia, quibus haeredes a sacris absolverentur, quorum meminit Cicer. pro Muraena. Atque hi proprie accipiebant *haereditatem sine sacris*: quippe quae cum defuncto interire patiebantur, atque ita lucrum sine impendio nanciscebantur. Hinc translatione ducta, *haereditas* in genere pro re lucrosa, *sâcra* pro damnosa ac sumtuosa dicuntur in hoc proverbio, quo utitur et Plautus Trinumm. II, 4, 83: *Coena hac annona sine sacris*, id est hac annona, hac caritate rerum, et his avaris moribus hominum, coenam gratis nancisci perinde est rarum ac tanti faciendum, quanti haereditatem sine sacris nancisci. Verba sunt parasiti, qui gratuita coena nihil habet dulcius.

Vs. 725. *Sistere ore*, eleganter est everti, percelli, in os statui, ita ut os et caput ibi sit, ubi naturaliter sunt pedes, quibus insistimus. Curc. II, 3, 8: *Quin cadat, quin capite sistat in via.* Active Mil. III, 2, 36: *Capite sistebat cadum*, id est in caput. Vbi tamen verbum *sistere* active usurpatur, quum duobus prioribus exemplis neutraliter acceperit. Sed utrumque licet,

et antiquis est usitatum. Sic Senec. *Capite agere*, VI de Benef. *Alia detinebo diutius, alia expellam et capite agam.* Hoc est, praecipitabo per caput. Ter. Ad. III, 2, 18, dicit *capite statuere in terram.*

Vs. 770. *Fastidire*, absolute est fastidiosum et superbum esse. Curc. V, 2, 34; Bacc. II, 3, 99; Mostell. IV, 2, 3; Maenech. I, 2, 58. Alias vulgari usu et significatione *fastidire* est aliquid aversari, nauseam alicuius rei habere. Iustin. VIII, 4; Ovid. XIV Met. 762.

Vs. 822. *Quaerere liberos*, phrasis honestissima ad significandum finem matrimonii: quod contrahentes solemni formula in pactis nuptialibus solebant profiteri, *se liberum quaerendorum causa convenire.* A. Gell. XVII, 22: *Iurassetque apud Censores, uxorem se liberûm quaerendorum causa habere.* Tacit. XI Annal. 27: *Praedicta die, adhibitis qui obsignarent* (scil. pacta dotalia vel tabulas dotales) *velut suscipiendorum liberûm causa convenisse.* Cicer. *Liberis dare operam* dixit; IX Famil. 22: *Liberis dare operam quam honeste dicitur? etiam patres rogant filios.* Pseud. I, 1, 21; Gell. IV, 3. Colum. IV, 3: *Liberos suos nonnulli nuptiis votisque quaesitos avare nutriunt, nec disciplinis, aut caeteris corporis excolunt instrumentis.* Iust. XII, 3, 5; Suet. Iul. 52.

Vs. 830. *Autumare vera*, positum est pro dicere, commemorare. Maenechm. V, 2, 8; Merc. V, 2, 103; infra V, 2, 2.

Vs. 898. *Compendium facere dictis* est paucis dicere. *Compendium* proprie lucrum. Cic. III Verr. 46: *In quaestu sunt compendioque versati.* Bacch. I, 2, 51. Quod non expendimus, id lucramur, et pro lucro servamus. Ita verba, quibus parcimus, facimus lucri. Vt ergo *lucrifacere*, ita et *compendifacere* una voce, et duabus *facere compendium*, dicimus. Asin. II, 2, 41;

Bacch. II, 2, 6, efficiam ut multis verbis non habeas opus. Et saepe. Sic et *compendifacere* dicimur, quod intermittimus, in quod curam nullam impendimus. Poen. I, 2, 139: *Si sapias, curam hanc facere compendii potes*, id est deponere, omittere. *Compendium facere pultandi fores*, Pseud. II, 2, 11; id est non pultare. Sic Casin. III, 1, 3: *Curam eximere, castigare, id ponito ad compendium. Cano capite! aetate aliena! coaddito ad compendium, Cui sit uxor, id quoque illuc ponito ad compendium*, id est omnia haec dicere noli, vel omitte, vel frustra te dicturum puta.

Vs. 924. *Argumenta loqui*, vel *eloqui*, pro signis, indiciis, ex quibus deprehendi coniectura veritas potest. Amph. V, 1, 35. Sic *res exquirere argumentis* Rud. IV, 4, 136; id est indagare, investigare.

Vs. 931. *Acherunti* significat apud Acheruntem, in inferno, vel Latinius, apud inferos conceptum, ut *conceptum ruri*, *Carthagini*. *Acheruns* vel *Acheron* proprie est fictus poëtis fluvius infernalis, qualis etiam Styx, Phlegethon, Lethe. Sed hic accipitur, per synecdochen partis pro toto, pro omni Plutonis regno. Sic locutus Noster supra III, 5, 31; Poen. I, 3, 22.

Vs. 956. *Quasi per nebulam audisse*, non satis certo, ambigue audisse. Tractum a sensu oculorum ad sensum aurium: nam quae per nebulam cernimus, incertiora sunt, nec plane perspicimus. Vnde *per caliginem cernere* est non plane neque certo animadvertere, sed ita ut dubites. Cicer. Philipp. XII, 2: *Quod videbam equidem, sed quasi per caliginem; perstrinxerat enim aciem Decimi Bruti salus.* Cic. V Fin. 15: *In infirma aetate imbecillaque mente vis naturae per caliginem cernitur.* Petron. *Quasi per caliginem vidi.* Suum autem repetit Plautus Pseud. I, 5, 48. Idem Cic. ad Att. dicit: *In strepitu exaudisse videor.* Quae

enim dicuntur, ubi multi perstrepunt ac clamitant, unius verba inter caeteros facile et distincte audiri et intelligi nequeunt.

CASINA

Arg. vs. 5. *Mulcare*, verbum est antiquum et bonae notae, pro verberibus afficere: quod saepissime confusum est cum verbo *multare*; id vero est pecuniariam poenam ab aliquo exigere. Mostell. IV, 2, 22; Mil. II, 2, 8; Trin. IV, 2, 142; Cic. pro Milon. *Qua in turba C. Vivienus senator ita est mulcatus, ut vitam amiserit.* Liv. XXIX: *In legatum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, impetum faciunt.* Tacit. I Annal. 32: *Prostratos verberibus mulcant.* Phaed. I, 3. Vide Notas ad Suet. Caes. cap. XXVII.

Prol. vs. 19. *Abire in communem locum* dicebant pro mori, quia terra, in quam omnia nata, quod ad corpus, resolvuntur, eadem, ut ait Lucretius, est *Rerum commune sepulchrum.* Artemidorus Oneir. I, 80: Κοινὸς ὁ τόπος οὗτος καλεῖται, ὁ τοὺς νεκροὺς δεχόμενος, *communis locus ille vocatur, qui mortuos accipit.*

Vs. 25. *Ludum dare alicui*, significat indulgere alicui, dare cessandi et ludendi veniam ac facultatem, neque ab aliquo quotidianum pensum exigere. Bacch. IV, 10, 7: *Ego dare me ludum meo gnato institui.* Et ibid vs. 9: *Vt animo obsequium sumere possit, aequum esse puto, sed nimis nolo desidiae ei dare ludum.* Cicer. pro Coel. c. XII: *Datur enim huic aliquis ludus aetati, et ipsa natura profundit adole-*

scentiae cupiditates.. Phaedr. III, 15, 12: *Sic lusus animo debent aliquando dari.* Horat. III, Od. 12: *Miserarum est neque amori dare ludum, Neque dulci mala vino lavere.* Metaphora est desumta a ludimagistris, qui pueris ludum dant, quum eos feriari sinunt. Sic igitur *ludus datus est argentariis*, id est indultum est illis, ne hodie exercerent argentariam, tabernae argentariae sint clausae.

Vs. 26. *Alcedonia*, sunt proprie dies illi, quibus Alcedones, genus volucrum, in scopulis maritimis nidificant, et pullos excludunt, quamvis media hyeme, tranquillo mari, nullisque aestubus aut ventis agitato. Festus: *Alcedo dicebatur ab antiquis pro Halcyone.* Poen. I, 2, 143. Ovid. II. Metam. 745: *Coëunt fiuntque parentes, perque dies placidos* etc. Serv. ad Virg. I Georg. 399: *Dilectae Thetidi Halcyones. Ceyx Luciferi filius habuit uxorem Halcyonen: a qua quum profectus est ad consulendum Apollinem de statu regni, naufragio periit. Cuius corpus, quum ad uxorem delatum esset, illa se praecipitavit in pelagus. Postea miseratione Thetidis et Luciferi conversi sunt ambo in aves marinas, quae Halcyones vocantur. Sane sciendum est, quum de muliere dicimus, haec Halcyone facit: quum de avibus hic et haec Halcyon, hi et hae Halcyones. Istae autem aves nidos faciunt in mari media hyeme, quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri, inde etiam dies ipsi halcyonii dicuntur.* Plin. II, 47: *Ante brumam septem diebus totidemque postea sternitur mare Alcyonum foeturae: unde nomen ii dies traxere. Reliquum tempus hiemat.* De numero dissentiunt auctores: nam Suidas Aristotelem et alios undecim posuisse ait. Hinc igitur *Alcedonia*, vel *Alcyonia*,

vel *Halcyonia* per translationem pro tranquillitate, quiete, bona et secura pace dicuntur.

Vs. 75. *Dare cum aliquo pignus in aliquid*, Ex. gr. *in urnam mulsi, ni hoc ita est*, significat, certare cum aliquo sponsione, qua victus urnam det mulsi: et in fidem luendae huius mulctae ambos certantes pignus deponere. Bacch. IV, 9, 133: *Edepol qui me esse dicat cruciatu malo dignum, nae ego cum illo pignus haud ausim dare.* Id est, profecto sponsione cum illo certare non auderem. Epid. V, 2, 35: *Da pignus, ni ea sit filia. PE. Quam negat novisse mater. EP. Ni ergo matris filia est, in meum nummum, in tuum talentum pignus da*, id est depone tu talentum, ego opponam nummum in sponsione; uter victi erimus, tu talentum perdes, ego nummum. Certa mecum sponsione, ut ego victus nummum perdiderim, tu talentum. Poen. V, 4, 71: *Da pignus, ni nunc periures, in savium, uter utri det.* Verba sunt amatoris ad puellam. Erat autem haec propria formula et particula sponsione provocantis, *ni hoc ita est* vel *sit*, *ni matris filia sit*, *id ni sit.* A. Gell. VII, 11, refert ex oratione P. Africani pro se contra Tib. Asellum: *Sed tu in uno . . . mille nummum? Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum*, id est phrasi Plautina in mille nummos. Cic. III de Off. *Ni vir bonus siet.* Et apud Val. Max. III, 4; Aristoph. Νεφελ· 644: Περιδου νῦν ἐμοὶ, ἐι μὴ τετράμετρον ἐστιν ἡμιεκτέον. Schol. περιδου νῦν ἐμοὶ, ἀντὶ τοῦ συνθήκας ποίησον. *Contendere, certare pignore.* Catull. Carm. XLV; Phaedr. fab. 77.

Vs. 86. *Vltro ire nuptum, non manere auspices*, potest dici παροιμιωδῶς de puellis ante nuptias virum passis, aut pudoris sui prodigis. Iustis nuptiis apud veteres semper adhibebantur *auspices.* Eorum nego-

tium erat providere, ut auspicato et bonis ominibus matrimonium contraheretur, adigere contrahentes in verba, quibus liberorum quaerendorum causa convenire se profiterentur, ipsosque inter se, tanquam pronubos et paranymphos, conciliare: item de dote dicta testes fieri (quam et ipsi in divortio a marito recipiebant.) Cicero I de Divinatione 16: *Nihil fere quondam maioris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem, gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant.* Val. Max. I, 2, 1: *Quo ex more nuptiis etiamnum auspices interponuntur.* Tacit. lib. XI, 27: *Consulem designatum cum uxore principis. Praedicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse: atque illum audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse apud Deos.* Idem lib. XV, cap. 37 de infamibus Neronis nuptiis: *Inditum Imperatori flammeum* (velum quo nuptae die nuptiali faciem velabant) *visi auspices, dos, et genialis torus, et faces nuptiales: cuncta denique spectata, quae etiam in foemina nox operit.* Suet. Claud. XXVI: *Quam, quum compeˍrisset super caetera flagitia atque dedecora C. Silio nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio adfecit.* Iuven. quoque auspices inter nuptiales ritus refert: *Veniet cum signatoribus auspex. Manere* autem est idem, quod exspectare. Vt Epid. III, 2, 23: *Is apud forum manet me.* Menaechm. II, 3, 69: *Etiam parasitum manes? Neque ego illum maneo, neque flocci facio.* Et passim. Falsa observatio Mercerii ad Alexandr. ab Alexandr. ex Suet. *Dicitur enim is Imperator*, inquit, *dotem inter auspices consignasse, quum Messalinam dimittere vellet.* pag. 390 ad lib. II.

Fab. vs. 17. *Curare alicubi*, veluti *rure*, *domi*, absolute et sine casu dicitur eleganter, pro rem

curare vel administrare. Sic Bacch. II, 2, 49; Pers. I, 3, 5; Sallust. Iugurth. *Itaque ipse apud primos erat, in postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat.* Varro Meleagro: *Sin autem delectationis causa venamini, quanto satius est salvis cruribus in Circo spectare, quam tuis descobinatis* (id est derasis, dilaceratis) *per dumos et sentes in sylva curare.* Idem Eumen. *Quum in eo essem occupatus, atque in schola curarem.* Sall. Iugurth. LX et LVII: *Legatis imperat, ubi quisque legatus aut Tribunus curaret.* cap. XLVI: *In postremo C. Marius curabat.*

Vs. 25. *Induere se in laqueum*, est capi, incidere in laqueum, irretiri. Tum proprie est laqueo se suspendere, tum translate impedire se, implicare, et velut captum se ei dare. Cic. II in Verr. *Hic videte in quot laqueos se induerit, quorum ex nullo se unquam expediet.* Quintil. IV Instit. Orat. 7: *Turbantur et a patronis diversae partis, induuntur in laqueum, et plus deprehensi nocent, quam firmi et interriti profuissent.* Brevius sola voce *indui* eadem significatione utitur Cicer. in Verr. V: *Sua confessione induatur ac iuguletur.* Sic etiam apud veteres, *induere se ferro, telis, hastis* dicitur, qui iisdem vulneratur. Ovid. II Amor. 10, 31: *Induat adversis contraria pectora telis Miles.* Sic denique *indui in fraudem*, pro decipi aut falli, dixit Lucret. IV, 815: *At nos in fraudem induimur, frustramur et ipsi.* Virg. X, 682: *An sese mucrone ob tantum dedecus amens Induat adversis contraria pectora telis.* Caesar. lib. VII Bell. Gall. c. 82: *Se stimulis inopinantes induebant*; et ibid c. 73: *Quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis induebant*; id est stimulis aliqua parte perfossa haerebant. Liv. XLIV, 41: *Si universa acie in frontem adversus instructam phalangem concurris-*

sent, *induissent se hastis*. Latin. Pacat. in Paneg. *Iam qui ad muros differenda morte properaverunt, aut fossas cadaveribus aequabant, aut obviis sudibus induebantur*; cap. XXXIV.

Vs. 78. *Dividiae esse alicui*, significat taedio, molestia afficere aliquem, dolori esse, sic Bacch. IV, 6, 19, 110; Mercat. III, 4, 34; Stich. I, 1, 19; Trucul. IV, 4, 3. Sic *in dividium venire* pro molestum esse. Stich. III, 1, 40. Turpil. *Sperabam consilia nostra dividiae tibi non fore*. Actius Armorum iudicio: *Dividia huius cogit me plus quam par est loqui*. Propert. *Dividias mentis concipit omnis amor*. Eodem sensu *senio esse*. Symmach. II, 17: *His peregrinationem senio esse invitus audio*. Trucul. II, 5, 13: *Id illi morbo, id illi senio est, ea illi misera miseria est*. Stich. *Hae res mihi dividiae et senio sunt*. Vide Casaub. ad Pers. p. 478. Apud Senec. Hippolyto, 917: *Morumque senium triste, et aspectu grave*, id est molesta morositas et austeritas: quia hoc hominum genus cunctis molestum est, senium pro molestia accipitur. Actius: *Mors amici subigit, quae mihi est senium multo acerrimum*. Turpil. *Quia enim odio ac senio mihi hae sunt nuptiae*.

Vs. 80. *Multa mihi cum illo sunt, et omnia mihi cum illo sunt*, eleganter dicitur, pro multa vel omnia iura amicitiae atque familiaritatis cum illo sunt. Cicer. lib. IV ad Marcell.: *Si mihi tecum minus esset, quam est cum omnibus tuis, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me praecipue diligi*. Lib. XIII, 1: *Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt, nisi quod in Philosophia vehementer ab eo dissentio*. Id est Patron est mihi amicissimus, etsi in Philosophia aliam sectam, quam ego, sequatur. Nep. Alcib. X: *Quae regi cum Lacedaemoniis essent*, id est quae pacta,

iura amicitiae, foedera essent. Lib. XIV ad Att. *Bruto certe meo nullo loco deero, idque, etiam si mihi cum illo nihil fuisset, facerem, propter eius singularem incredibilemque virtutem.* Sic in contrarium *nihil alicui cum aliquo esse,* est nullo iure necessitudinis cum aliquo iungi: quum nullum ius necessitudinis intercedit. Cicer. Philip. II: *Caput autem literarum hoc erat, cum illa mima posthac nihil sibi futurum.* Liv. VIII: *Lucani atque Appuli, quibus gentibus nihil ad eum diem cum P. R. fuerat, in fidem venerunt.* Horat. I, Satyr. II: *Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus unquam alienis.*

Vs. 99. *Deliquum esse, delinquere,* eleganter et antique dicitur pro deesse, deficere. Festus: *deliquum apud Plaut. significat minus.* In animo habuit haud dubie hunc ipsum locum: *Quando tibi domi nil deliquum est.* Opponitur τῷ *reliquum*: et ut dicimus, *nihil reliquum est mihi*, pro nihil restat aut superest, sic *nihil deliquum est mihi* pro nulla re indigeo. Sic etiam *delinquere* et *superesse* tanquam adversa opponuntur. Tubero vetus Annalium scriptor: *Num delinquit, aut superest aliquid tibi.* Cael. *Delinquere frumentum, Sardiniam hostes tenere*: id est frumenti inopiam esse. Apul. in Floridis: *Lunae vel nascentis incrementa, vel senescentis dispendia, vel delinquentis obstacula.* Id est deficientis, vel eclipsin patientis. Festus iterum: *Deliquum solis a delinquendo dictum, quod delinquit in cursu suo.*

Vs. 112. *Domi facere coniecturam*, est ex se ipso, per se ipsum, nullo alio submonente. Sic Cistell. II, 1, 2; Mercat. II, 3, 30: *Domi doctus.* Meo ipsius exemplo doctus. Cic. Fam. lib. IX, 3: *Sed quid ego haec ad te, cui domi nascuntur?* Cui sunt notissima et familiarissima. Idem Lucullo: *Domi nobis ista nascuntur.*

Vs. 116. *Tristem esse alicui*, significat tristem se exhibere alicui. Tibull. *Lacrymis erit aptius uti, Si quando fuerit tristior illa tibi.* Infra II, 4, 4. Afran. *Iactabit sese: iactet: nihil erit tristior.* Senec. Consol. ad M. III. Ovid. *tristia freta* dixit procellosa.

Vs. 134. *Palliolum rugat*, id est rugas contraxit, indecore corrugatum est. Sic in Fragmentis perditarum fabularum Plauti: *Quid est hoc? rugat pallium, amictus non sum commode.*

Vs. 182. *Tragulam decidere*, est periculum imminens avertere. *Tragula*, Festus ait, *genus teli, dicta, quod scuto infixa trahatur.* Quod qui mittebant, dicebantur *tragularii.* Veget. de re Milit. II, 15: *Erant tragularii, qui ad manubalistas, vel arcubalistas dirigebant sagittas.* Varro lib. IV de L. L.: *Iaculum, quod ut iaciatur fit, tragula a traiiciendo.* Sall. III Hist. *Avidisque promptisque ducibus ut Metellus ictu tragulae sauciaretur.* Ammian. XIX, 147: *Alii traiecti sagittis, pars confixi tragulis humum corporibus obstruebant.* Volunt eruditi genus esse teli hamatum, quod immissum corpori non tam extrahi posset e vulnere, quam exscindendum esset e vulnere latius aperto, ut cum minore noxa reciperetur. Apud Plautum sic est *tragulam in aliquem iniicere*, pro fraudem moliri adversus aliquem, Epid. V, 2, 25. Vbi vox *fabrica* indicat, intelligi telum non balistam. Pseud. I, 4, 14; Liv. XXI, 7; XXVI, 56; XXIV, 42; Caesar. V Gall. 83: *Tito Balventio utrumque femur tragula traiicitur.* Sed tamen et *tragulae piscantium* Plinio dicitur lib. XVI, 8 de subere. Isidorus in Glossis: *Tragula everriculum.* Est autem everriculum genus retis, a verrendo dictum, vel quod trahatur, vel si quid piscium fuerit nactus, everrat, ut ait Nonius. Cic. eleganti translatione hanc vocem aptat in Ver-

rem, qui provinciam spoliavit, XV: *Quod unquam, iudices, huiusmodi everriculum ulla in provincia fuit?* id est huiusmodi raptor, qui omnia bona provincialium abstulerit et quasi everrerit. Vtroque significatu tragula dicitur, haud dubie, quasi *trahula* a *trahendo*.

Vs. 228. *Versis gladiis depugnare*, proprie est mutatis armis, translate in quavis materia, aliis argumentis, vel artibus, aliaque ratione contra adversarium uti. Caper Gramm. vetus: *Inversis armis pugnasse gladiatores non est dicendum, sed versis, id est transmutatis. Sic non inversis pannis agitasse aurigas, sed versis.* Intellige pannos quadruplicis coloris, quibus distinguebantur agitatorum Circensium factiones, *Prasina*, quae et viridis; *Veneta*, vestitu caeruleo; *Russa*, rubra; *Alba*, albata. Sic *vertere gladios* est quod Ovid. dicit lib. I de arte: *Ponite nunc hebetes gladios, pugnetur acutis.*

Vs. 231. *Non ego istuc emissim titivilitio*, id est, non emerim vel permutaverim illud re quavis vilissima, si copia sit. Festus: *Titivillitium nullius significationis est, ut apud Graecos βλίτυρι et σκινδαψός.* Fulgentius Planciades in Explan. Serm. antiq.: *Titivillitium dici voluerunt fila putrida, quae de telis cadunt. Plaut. Casin.: Non ego istuc verbum empsitem titivillitio, id est re admodum vilissima. Nam et M. Cornutus in Satyra: Titivillos Flacce do tibi.* Haec Fulgentius. Caeterum de hac voce mirae sunt eruditorum coniecturae: alii *textivillitium* volunt, quasi a textus vilitate; alii *totivillitium*, quasi totum vile, aut totum villitium. Videamus quid nos possumus. *Villus* est floccus lanae, vel pilorum caprinorum. Varro lib. IV de L. L. 28: *Vestis a veleis* (id est vellis) *vel ab eo, quod vellus lanae tonsae universae*

ovis: id dictum quod vellebant lanam: ex lana facta vestis. Confirmat idem de voce *velleris*, lib. II de R. R. 11: *Lanam demtam ac conglobatam, alii vellera, alii velumina appellant: ex quo vocabulo animadverti licet, prius lanae volsuram quam tonsuram inventam.* Sed mox ibidem de capris: *Tondentur, quod magnis villis sunt, in magna parte Phrygiae.* A villus villitium, ut a lana lanitium, ab avis avitium. Haud dubie intelligendum est *villitium cuiusdam Titi*, et fuisse quendam, sive agricolam, sive pastorem (quales olim erant omnes, etiam Quincti et Publii, Marcique ac Titi, ac nobilissimi quique Romanorum) Titum, cuius quod e scabris et male curatis ovibus vel capris pessimae notae *villum* colligeret, *villitium* primo in vicinia, post sermone vulgi pro vilissimo in eo genere, denique pro quavis re vili, et nullius pretii, proverbio iactatum est. Neque vox una est, sed duae, nempe *Titi villitium*, aut si mavis unam esse, non aliunde composita ac duplicata est, quam a nomine *Titi* et *villitio* eiusdem. Neque dubito, quin scribendum sit in loco Cornuti: *Titi villos, Flacce, do tibi.* Id est nugas et ineptias. Nam idem sunt *Titi villi* et *Titi villitium.* Sic etiam *floccus* (nihil est autem *floccus* aliud quam *villus*) pro re nihili. Vnde *flocci facere*, et *flocci non facere*, *flocci aestimare*, *flocci pendere*, *flocco non interdare.* Sic restituendum apud Nostrum Nervolaria: *Si captae, scrupedae, Titivillae, sordidae.* Non. p. 169 L. *Scabrae* vel *scapres* ex Ennio ibidem, *Scrupeae, titivilles, sordidae.* Vide Varron. de L. L. p. 54 Edit. Gothofr. ipsumque Gothofr. p. 1656; Gell. III Noct. 7, Festum eiusd. edit. p. 205.

Vs. 244. *Stimulum esse alicui*, est odio, molestiae esse, quiescere aliquem non pati. *Stimulus* proprie

pertica, qua bubulci aut muliones pigra pecora admonent. Tibull. I, eleg. I: *Tenuisse bidentem, Aut stimulo tardos increpuisse boves.* Manil. de Arctophylace sidere: *Idemque bootes, Quod stimulo iunctis instat de more iuvencis.* Colum. VI, 2: *Est etiam post domituram mollioris generis bos, qui decumbit in sulco: eum non saevitia, sed ratione censeo emendandum: nam qui stimulis aut ignibus aliisque tormentis id vitium eximi melius iudicant, verae rationis ignari sunt.* Hinc *Stimulo fodere*, Curcul. I, 2, 40; Bacch. V, 2, 39; id est animus incitatur, non quiescit; Menaech. V, 5, 48. Nam et bubulci fodicant potius boves quam verberant. Inde *stimulus* dicitur pro quovis incitamento, et *stimulare* pro incitare. Hinc proverbium *contra stimulum calces iacere*, vel *calcitrare*, id est ita reniti aut se defendere, ut maius damnum patiare. Nam *calcitrare* proprie est boum, equorum, asinorum, mulorum, qui stimulis reguntur: contra quos si calces ducant, gravius dolent. Graeci, πρὸς κέντρα λακτίζειν, ut in act. Apost. IX, 5. Dicunt etiam πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτείνειν. Schol. Aeschyl. Prometh. vincto, vs. 323; Therent. Phorm. I, 2: *Namque inscitia est adversum stimulum calces*, scil. *iacere.* Quod reticuit per aposiopesin. Eod. sensu *admordere limam* dicitur, quoniam ipsa dente quovis mordacior est. Plaut. *Stimulos pugnis caedere*, Trucul. IV, 2, 55.

Vs. 295. *Vituperare alicui omen*, est religiosi omen captanti obscaevare, et vitium facere, inauspicatum aliquid obiicere. Id enim *vitium* dicebant sermone augurali: unde magistratus, quorum in comitiis omen triste apparuerat aut infaustum, vel auspicatum rite non fuerat, *vitio creati* dicebantur, et magistratu se abdicare cogebantur. Liv. X, 47: *Exacto*

anno novi tribuni plebis magistratum inierant, iisque ipsis, quia vitio creati erant, quinque post dies alii suffecti. Lib. XXII, 33: *Dictator dictus L. Veturius Philo Manium Pomponium Mathonem magistrum equitum dixit: bis vitio creatis, iussisque die quarto decimo se magistratu abdicare.* In his et talibus *vitio* idem est, quod non iustis auspiciis, non rite auspicato. Hinc ad alia transfertur, et *vitio fieri* dicitur quidquid fit contra auspicia. Liv. XLI, 18: *In Betullio id vitio factum postea augures responderunt, quod extra templum* etc. id est non rite, non legitime. Liv. XLV, 12: *Cos. quum legionibus ad conveniendum diem dixit, non auspicato templum intravit. Vitio diem dictam esse, augures decreverunt.* Cicer. I Divin. *S. Clodius, eiusdem collega L. Iunius, classes magnas perdiderunt, quod vitio navigassent.* Hinc *vitilitigatorem*, pro homine litigii et rixarum temerariarum cupido, dixit Plin. imitatione Catonis, quasi *vitio*, hoc est, non iure, et sine causa litigatorem, verba Catonis sunt: *Scio ego, quae scripta sunt, si palam proferantur, multos fore qui vitilitigent.* Plin. in Praefat. *Ergo securi etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter a vitiis et litigatoribus composuit.* Terent. Prol. Hecyr. *Novum intervenit vitium et calamitas.* Donat. *Bene, secundum augures. Vitium enim est, si tonet tantum: vitium et calamitas, si tonet et grandinet simul, et etiam fulminet. Translatio est ab augurio: et vitio creati dicuntur Consules.*

Vs. 356. *Deduci* idem quod nubere, sic enim dicebatur κατ' ἐξοχὴν puella, aut mulier, quae nubebat, et ad maritum, pueris patrimis et matrimis (id est qui patrem et matrem haberent superstites) quinque faces praeferentibus, ducebatur. Mil. III, 1, 91; Terent. Hecyr. I, 2: *Vt ad pauca redeam, uxorem*

deducit domum. Propert. IV, eleg. 3: *Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa Traxit ab adverso lumina nigra rogo;* id est nubenti. Tibull. III, eleg. 4: *Vt iuveni primum virgo deducta marito.* Tacit. XIV Annal. 63: *Huic primus nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet.*

Vs. 379. *Sculponeis os batuere alicui*, idem quod apud Terent. Eun. *Sandalio caput commitigare. Sculponeae* rustici calceamenti genus. Cato de R. R. 59: *Sculponeas bonas alternis annis dare oportet.* Varro in satyra: *Dum in agro studiosus tuor, Triptolemum aspicio sculponeatum bigas sequi cornutas.* Erat autem id genus castigationis frequens mulieribus, praecipue quae non modo puerorum solebant, quod ait Iuvenalis, *solea pulsare nates*, sed etiam eousque abutebantur stulta patientia amatorum iuvenum, ut ob levissimas offensas nihilo mitius eos tractarent. Pers. Sat. V: *Solea puer obiurgabere rubra.* Vetus epigramma in Çatalect.: *Cur tua foemineo caeduntur pectora socco?* Soccus genus calcei oppositum cothurno.

Vs. 394. *Nostro omine it dies*, id est nobis secundo atque auspicato omine tempus transire videtur. Nobis hic dies est felix, ex animi nostri sententia dies procedit. Sic Dido apud Virgil. *Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis.* Sic quaevis prospera et secunda dicebant *sua*. Senec. Med. *Perfruere lento scelere; ne propera. Meus dies est, tempore accepto utimur.* Horat. Epod. IX, 30: *Ventis iturus non suis*, id est adversis et contrariis. Ovid. Metam. IV, 373: *Vota suos habuere deos.* Senec. Praef. IV Controv. *Quamvis aliquo tempore populum suum habuerit.* Nep. Alcib. III: *plures opera forensi suos reddiderat.*

Vs. 400. *Nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur*, id est nunc eius rei experimentum capitur, nunc de ea re decernitur. Bacch. III, 2, 15; Most. I, 2, 52.: Antiquum est verbum *specere*, pro videre, experiri; *unde species, specimen, specto* descendunt; et tot composita. Vnde apud Festum: *Auspicium ab ave speciendu, nam quod nos cum praepositione dicimus aspicio, apud veteres sine praepositione specio dicebatur.* Inde etiam *spectio* apud eundem, et Cic. Philipp. XII: *Augures habere solam spectionem et nuntiationem* (id est posse contemplari coelum, quod propria phrasi *servare de coelo* dicebant, et nuntiare tristia signa quae apparuissent). *Et magistratus qui omne ius auspiciorum habent, habere etiam obnuntiationem*, id est posse impedire rem nunciando mala auguria, quae vidissent. *Cernere* idem quod decernere. Prol. Amph. *Pro patria dum cernit cum hostibus.* Virgil. *Inter se coiisse viros et cernere ferro.* Lucret. lib. IV: *Nautae contractum cum ventis cernere bellum.* Lib. V: *Aequo certamine bellum magnis de rebus inter se cernere.* Ennius: *Ferro, non auro vitam cernamus utrique.* Cernere rem aliquam est, de aliqua re decernere. Enn. *Olli cernebant magnis de rebus agentes.* Sic cernere pro decernere, Cist. I, 1, 1; Cicer. III de legib.

Vs. 407. *Cum cibo suo venire, quasi eatur Sutrium.* Festus: *Sutrium quasi eant, utique in proverbium abiit ex hac causa: Gallico tumultu quondam edictum est, legiones Sutrii, ut praesto essent cum cibo suo.* Solebant autem saepe imperatores Romani, quum in promptam expeditionem, aut in loca, quae non abundarent commeatu, ducerent exercitum, indicere ut unusquisque cum tot, ex. gr. decem vel plurium dierum cibariis coctis adessent. Inde hoc proverbium,

quod apud Varronem, *pransus paratus*, id est omnibus modis expeditus ad iter faciendum, aut rem. Quod postea usurpari coeptum est in iis, qui suis rebus opibusque *officii id praestarent, quibus deberent.* Poscit autem senex, ut ad nuptias veniant cum suo cibo, ex more tenuiorum Athenis, qui solebant uti in nuptiis opera hominum suo sumtu vescentium, de quo Theophrast. in charactere Illiberalitatis, et administrandum in nuptiis οἰκοσίτους mercede conducere. Et has nuptias vocant γάμους οἰκοσίτους. Vide ibi Casaub. Menander sponsum parca aut nulla dote contentum vocat οἰκοσίτον. Et Plutarchus οἰκοσίτους milites, qui sine stipendio militarent.

Vs. 436. *Ire catillatum. Polliceri operam foras, quasi catillatum.* Ire catillatum, est ire parasitatum, coenas captatum. *Catillare*, inquit Fulgentius, *est per alienas domos ligurire: tractum a catulis, quod per omnes domos circumeant.* In etymo fallitur: potius est a *catillus*, diminutivo τοῦ *catinus*. Inde dictum *catillare* pro catillos sive catinos aut patinas extergere, quod est gulonum in cibis delicatis. Eodem sensu dicimus lingua vernacula *pannelecker*; unde *catillamenta* et *catillamina* apud Arnobium lib. II P. et VII P. pro cupediis sive deliciis. Festus, *Catillones appellabant antiqui gulosos.* Eleganter transtulerunt ad rem graviorem, teste iterum Festo, quum ait: *Catillatio grave opprobrium hominibus generosis obiiciebatur, si qui provincias amicas populi Romani despoliassent.* Etenim inde dicti *catillones*, quod absumpta dape ipsos catinos lambunt et liguriunt.

Vs. 515. *Meraco flore Libyco*, vel *Liberi*, *percussus*, dicitur vino ita affectus, ut neque pes neque mens constet, quasi plagis domitus impos sui esset. Tibull. *Multo percussum tempora Baccho.* Ab eadem

translatione est, quod *saucii* vino, quasi vulnerati et cruenti, pro ebriis dicuntur, qua voce alias sanguinolenti significantur. Mart. IV, 66: *Incaluit quoties saucia vena mero.* Id. III, 68: *Hinc iam deposito post vina rosasque pudore, Quid dicat nescit saucia Terpsichore.* Iust. lib. I, cap. 8 de Scythis a Cyro, per simulationem fugae, relicto in castris epularum apparatu, circumventis: *Saucios opprimit.* Et lib. XXIV: *Galli hesterno mero saucii.* Apul. IX: *Daphne mero matutino saucia.* *Flos Libycus* est praestans vinum Mareoticum a Mareotide Libyae regione, Aegypto contermina, de qua Plin. V, 6. Hinc Horat. lib. I, Od. 37; Virgil. II Georg. praedicat *vites Mareotides.* *Florem liberi*, pro praestanti vino, dixit Noster Cistell. I, 2, 8. *Meracus* est merus, sine mixtura aquae, cum qua mixtum bibebant veterum temperatiores. Corn. Cels. de Re Med. lib. I, cap. 3: *Cibum modicum potiones meracas adsumere.* Ibidem: *Cibus esse debet cum pane hesterno, vino austero meraco et carne assa.* Tum: *Vinum dilutius pueris, senibus meracius.* Rursum: *Hic me plus esse convenit, sed meracius bibere.* Petron. *Volubant inter haec potiones meracae.* Plin. XXIII, 1.

Vs. 522. *Numero*, instar adverbii positum, valet idem quod nimis cito. Citius quam decet, Phil. V, 7; Menaechm. II, 2, 13; id est ante tempus, nimis mature; Mercat. IV, 3, 37; Poen. V, 4, 101; (vide Paraei Lexicon Plaut.)

Vs. 600. *Barbarico ritu esse*, id est Asiatico, splendido, magnifico, sumtuoso more vesci. *Barbaros* vocant Graeci, quicunque non sunt Graeci. Sic Plauto, cuius fabulae sunt palliatae, et scenae fere in Graecia, ipsi Itali dicuntur *barbari.* Sic *barbare* idem est quod Latine, Prol. Asin. vs. 11; Trin. prol. vs. 19.

Barbariam dixit, pro Italia, Poen. III, 2, 21, et *Barbarus*, Italus, Bacch. I, 2, 15. *Barbaricae urbes*, Italae; Capt. IV, 2, 104. At κατ' ἐξοχὴν *Barbari* sunt Asiatici. Vnde Ovid. *Barbarus Hector*: Quae gens quod per abundantiam opum splendida esset atque sumtuosa, inde factum, ut *barbarica*, et *barbara* dicerentur pro magnificis et sumptuosis. Martial. *Barbara pyramidum sileat miracula Memphis. Persicos apparatus* pro magnificis dicit Horat. I, Od. ult.

Vs. 621. *Pervertere ollam*, *turrim*, est evertere, percellere, ad terram dare. Bacch. IV, 4, 59. Sic *hominem pervertere*, Poen. IV, 2, 52. Cic. I de Divin. p. 1960: *Tum visam belluam vastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere.*

Vs. 623. *Incoenis*, Scen. seq. vs. 9, et alias, saepe dixit pro *incoenatum*. Gloss. ibid. *Incoenis apud Plaut. incoenem ex aedibus.* Quo procul dubio significat hunc ipsum locum.

Vs. 652. *Offundere Hymenaeum*, significat idem quod occentare, epithalamium canere alicui, dicere uxorem ducenti *Hymen o Hymenaee.* De voce enim eleganter, per translationem, ut re veteres loquuntur. Sic Ovid. *Tibiaque offudit socialia carmina nobis.* Vetus Epigramm. de Tibicine: *Tibicen diffundit carmina dulcis.* Cic. I Tusc. 44: *Quum tam bonos septenarios fundat ad tibiam.* (Senec. Phoeniss. 262.)

Vs. 685. *Exponere aliquem cubito*, est cubito impulsum prosternere, et in terram proiicere. Desumptum ab infantibus, qui dicebantur exponi, si quos educere nollent, et in publico loco ad alienam misericordiam humi deponerent. Supra Prol. 41.

Vs. 707. *Operae est*, vacat, operae pretium est dignum est aliqua opera, aliquanta impensa. Sic,

Mil. II, 2, 97, et III, 2, 6; Mercat. V, 2, 77; Truc. IV, 4, 30. Ennius: *Lunai portum est operae cognoscere cives.* Portus Lunae, urbs Italiae.

Vs. 765. *Invenire rimam*, est aut reperire exitum negotio, quo evadat, aut rationem aliquam, qua irritum fiat, et effundatur; perinde ut dolia rimis hiantia infusum non continent. Curc. IV, 2, 24.

Vs. 773. *Massilienses mores colere*, pro turpi libidine lascivire; Athen. Deipn. lib. XII, c. 5: Μασσιλιῶται γὰρ ἐθηλύνθησαν. ἀσχημονοῦσι γοῦν διὰ τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς μαλακίαν, διὰ τρυφὴν γυναικοπαθοῦντες. ὅθεν καὶ παροιμία παρῆλθεν πλεύσαις εἰς Μασσαλίαν. *Massilienses effeminati sunt. Indecore se gerunt ob mollitiem animorum, per luxum muliebria patientes. Vnde proverbium* πλεύσαις εἰς Μασσαλίαν, *id est*, *Naviges Massiliam*; Cicer. lib. X, ep. 12: *Massiliensium factum, cum ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est, recte esse in Hispaniis. Minus enim auderent, si aliter esset: Nam et victi et* θηλυγυνεῖς *sunt.* At in contrarium, ipse Cicer. alibi, Liv. Val. Max. Tacitus, Iustinus disciplinam et severitatem eorundem Massiliensium laudant. Sed diversis seculis et laudem et probrum eos meruisse credibile est.

CISTELLARIA

Fab.
vs. 9. *Frequentare amicos*, verbo active accepto est frequentes advocare, ad operam dandam frequentes facere. Cic. pro Domo 33: *Quem tu tamen populum nisi tabernis clausis frequentare non poteras.* Catil. IV, cap. 7: *Scribas item universos, quos quum casu hic dies ad aerarium frequentasset, video ab exspectatione sortis ad communem salutem esse conversos.* Auctor de bello Africano p. 327: *Caesar sagittariis ex omnibus navibus Ityraeis, Suriis, et cuiusque generis, ductis in castra compluribus frequentabat suas copias.* Vid. Gron. ad Sen. Helv. c. 3.

Vs. 31. *Omnium rerum alicuius indigere*, pro in omnibus rebus, quod ad omnes res attinet. Sic *caeterarum rerum*, pro caetera, seu in caeteris rebus. Terent. Adelph. IV, 5: *Nolim caeterarum rerum te socordem eodem modo.* Cic. Caton. Maior. cap. 2: *saepenumero admirari soleo, cum caeterarum rerum, tum tuam excellentem perfectamque sapientiam, tum vel maxime, etc.* Pro Quinct. 3: *Sane caeterarum rerum paterfamilias et prudens et attentus, una in re paulo nimis consideratus.* Lex Aquilia in leg. 27, §. 5 ff. ad leg. Aquil.: *Caeterarum rerum, praeter hominem et pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quod usserit, fregerit, ruperit iniuria, etc.* In edicto Aedilium Curulium leg. 42. de Aed. ed. *Si nocitum homini libero esse dicetur, quanti bonum aequum iudici*

videbitur, condemnetur. Caeterarum, quanti damnum datum factumve sit dupli. Symmach. lib. I epist. 15: *Tum nostrates viri, qui inter se aliarum rerum saepe dissentiunt, concordem sententiam super huius laude tenuerunt.* (vide Not. Graev. ad Cicer. Caton. Mai. cap. 2.)

Vs. 34. *Frigidam alicui clam suffundere*, est gratiam alicuius aut famam clandestinis petitionibus, aut calumniis deprimere ac refrigerare. Quod genus hominum Graeci eleganter λαθροδήκτας ἢ κρυψοδήκτας vocant. Translatio ducta est ab eo, quod, ut Titinnius ait Sentina, *coquus magnum ahenum quando fervit, paulo confutat trua, quodque aquae in aheno igni adposito bullientis atque effervescentis aestus frigida adfusa considit et supprimitur.* Vt autem vigens amor aut gratia calori, sic eadem languida remissaque tepori aut frigori adsimulatur. Horat. II, Satyr. 1, 60: *O pater, ut sis vitalis, metuo, et maiorum ne quis amicus Frigore te feriat*, id est favorem tuum et gratiam exstinguat. Suet. Aug. 66: *Desideravit et Agrippae patientiam, et Maecenatis taciturnitatem, quum ille levi frigoris suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se relictis omnibus contulisset*, id est quod suspicaretur, se non amplius in flagranti gratia principis esse, seu Augustum adversum se frigere. Sic in iure civili *frigusculum* inter virum et uxorem est remissus amor et dissentio. Vlpianus leg. 32, §. 12, de Donat. inter vir. et uxor. *Quod si divortium non intercessit, sed frigusculum; profecto valebit donatio, si frigusculum quierit.* Quod appellatur *iurgium* leg. 31 de Dot. et leg. 27 de Pact. dotal. Sic M. Sen. lib. II Controvers. ait, triarium Rhetorem dixisse, *cum summo scholasticorum frigore*, id est non favente auditorio, non

plaudente, parum attento. Plin. VI, ep. 15: *Interim paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit.* Id est, fecit ut auditores eius parum attenti et faventes essent. Sic et *refrigerare* aliquem est reprimere, favorem illi demere. Vell. Paterc. lib. II: *In convivio refrigeratus ab Antonio ob manifestarum rapinarum indicia transfugit ad Caesarem.* Suet. Claud. XLI: *Historiam scribere aggressus est. Et quum primum frequenti auditorio commisisset, aegre perlegit, refrigeratus saepe a semetipso. Nam quum initio recitationis defractis compluribus subselliis obesitate cuiusdam risus exortus esset, ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo subinde facti reminisceretur, cachinnosque revocaret.* Auctor vitae Lucani: *Aegre ferens recitante se, subito, ac nulla nisi refrigerandi sui causa, indicto senatu recessisse Neronem. Neque verbis adversus principem, neque factis exstantibus post haec temperavit.* Sic et *frigidum rumorem* pro invido et maligno dixit Horat. II, Satyr. 6: *Frigidus a nostris manat per compita rumor.* Sic etiam Graeci ψύγμα usurpant. Ioseph. lib. I, Αλως, 16.

Vs. 48. *Semper obtinere aetatulam,* id est, nunquam senescere, nunquam Hecaten, quae anus egestate et deformitate conspicienda fuit, fieri, ut loquitur versu praecedente. Sic *aetatem ferre* dicuntur, quae senio lapsuque annorum non corrumpuntur, sed vigorem et praestantiam primi aevi retinent. Macrob. lib. I Saturn. cap. 3, refert iocum Ciceronis: *quum apud M. Damasippum coenaret, et ille mediocri vino posito, diceret: Bibite; Falernum est annorum quadraginta: bene, inquit, aetatem fert,* cuius dicti duplex est sensus: potest enim intelligi, nondum consenuit, post tantam durationem forte et generosum est: sed argute hominem mendacii arguebat Cicero, et signi-

ficabat admodum recens esse, quasi quod naturam novi vini retineret. Senec. epist. LXXXVIII: *An minor Hecuba fuerit, quam Helena, et quare tam male tulerit aetatem*, id est, tam vultu et habitu consenuerit, tam cito senior visa fuerit. Sic *ferre annos* pro diu integrum durare apud Ovid. IV de Ponto: *Scripta ferunt annos, scriptis Agamemnona nosti.* Quint. II Instit. Orat. IV: *Quare ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu statim austera sint: sic et annos ferent, et vetustate proficient.* Apuleio τὸ *ferre* hic interpretatur *portare*. Lib. V: *An quod aetatem portat bellule, puer tibi semper videtur.* Tutius est cum Columella intelligere *pati*. II, 10 de lupini quodam genere: *Repositum in granario patitur aevum.* Et III, 2 de vitibus certis: *Nam et vetustatem vinum earum patitur, et ad bonitatem aliquam per annos venit.*

Vs. 71. *Peculatum facere*, proprie est pecuniam sacram, religiosam, publicamve auferre, intercipere, in rem suam vertere: item in aurum, argentum, aes publicum quid indere vel immittere, vel indi et immisceri facere, quo id peius fiat, ut definit Vlpian. lib. I ad leg. Ful. pecul. Festus: *Peculatus est nunc quidem qualecunque publicum furtum, sed deductum est a pecore, ut pecunia quoque ipsa: quia ab eo initium eius fraudis esse coepit, tunc quum Romani praeter pecudes nihil haberent.* Eiusdem rei criminis peculatores. Tacit. Hist. I, 53: *Mox compertum pecuniam publicam avertisse, ut peculatorem, flagitari iussit.* Vbi *flagitari* est idem quod accusari, in iudicium vocari. Sed eleganti ioco potest usurpari *peculatum facere*, de eo, qui meretricem seu prostibulum publicum uxorem ducit, et publicarum libidinum victimam, ut ait Tertull. quasi publicam rem

suam facit. Sic meretrix conqueritur hic *amorem in se peculatum facere*, id est, attribuere se uni amanti, quum publica esse, et omnibus patere quaestus causa, ex instituto et disciplina meretricia, deberet.

Vs. 74. *Spissum esse*, dicitur idem quod tardum, lentum. Poen. III, 5, 48; ibid. III, 1, 3: *Spissigradissimi homines*, qui admodum lente incedunt. Varro: *Nascimur enim spissius, quam emorimur. Vix duo homines decem mensibus edolatum unum reddunt puerum: contra una pestilentia, hostica acies, puncto temporis, acervos immanes facit.* Turpilius: *Haud facile est venire illi, ubi ipsa est sapientia. Spissum est iter: adipisci haud potes, nisi cum magna miseria.* Cic. II Deor. 53: *Principia tarda sunt, et exitus tamen spissi et producti esse debent*, etc.

Vs. 97. *Conceptis verbis iurare*, est alio praeeunte, et iusiurandum verbis certa formula comprehensis vel recitante, vel praelegente iurare. Dicitur ad discrimen eius iurisiurandi, quod sermoni nostro crebro interponimus, ut *me hercule*, *edepol*, *mecastor*, aut quod ultro fidei causa adfirmationi nostrae addimus. Interdum tamen et nullo praeeunte; sed tamen verbis magis expressis et explanatis. Itaque multo sanctius et religiosius habetur concipere iusiurandum, ubi et verba essent stricta, et alius praeiret. Cicer. III Off. *Non enim falsum dicere periurare est. Sed quod ex animi tui sententia est, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, periurium est.* Asin. III, 2, 16; Bacchid. IV, 9, 105; Mercat. IV, 4, 51; Pseud. I, 3, 118; Truc. IV, 2, 54; Petron. *Tetigit puer oculos suos, conceptissimisque verbis iurat. Concipere* autem *iusiurandum* est certam eius formulam dare. Gell. XVI, 4: *Deinde ita concipiebatur iusiurandum.*

Vs. 104. *Servare alicubi*, *in aedibus domi*, absolute et sine casu dicitur, pro curam gerere eorum, quae sunt in aedibus, domi. Nam *servare apud me* est domi meae, et quidem ipsa, quae rogat, absente, de quo supra ad Aulul. vs. 524. Sic Aulul. I, 2, 3: *Redi nunc intro*, *atque intus serva*. Most. II, 2, 22; Terent. Eun. *Solus Sannio servat domi*. Sic *servare diligentius* Caesar. II Gall. 33. Servare apud aliquem, est custodire alicuius domum, et quae sunt intus, quae sunt domi.

Vs. 120. *Saburratum esse*, proprie de navigio, quod onus fabulosum accepit, id quod *saburram* vocant: translate de quovis alio onere, ut hic de eo, qui vino ciboque se probe explevit, ut loquitur in Curcul. Pari translatione vs. 7 Lucil. *Deblaterat plenus bonus rusticus*. *Quum alio onere est vacuum*, *saburra oneratur*, *ut sit adversus tempestates ac fluctus firmius ac stabilius*. Plin. XVIII, 35: *Lolligo volitans*, *conchae adhaerescentes*, *echini affligentes sese*, *aut arena saburrantes tempestatis signa sunt*.

Vs. 154. *Perputare argumentum*, significat declarare, enarrando liquidum et purum reddere. Translatio ducta non e vineis, ut volunt interpretes, quae *putantur* quidem, hoc est, caeduntur; sed illa putatio nihil huc pertinet; verum a lanificio, in quo, quod alias dicunt *carere lanam*, vel *carminare*, hoc est per pectinem purgandae eius causa trahere, idem vocant *putare lanam*. Claudian. in Eutrop. lib. II, vs. 382:

Doctissimus artis
Quondam lanificae, *moderator pectinis unci*
Non alius lanam purgatis sordibus aeque
Praebuerit calathis; *similis nec pinguia quisquam*
Vellera per tenues ferri producere rimas.

Titinn. (Apud Non. cap. IV, sect. 362) Fullon. *Date pensam lanam: qui non reddet tempori putatam recte, facite, ut multetur malo.* Adde ad Aulul. III, 5, 52.

Vs. 175. *Iusta facere mortuo.* Solemnia funebria mortuo peragere. Cicer. II de Leg. 22: *Nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta, et corpus incensum est.* Id. pro Rosc. *Qui nondum etiam paterno funeri iusta solvisset.* Sic ICtus lege 12, ff. de in ius vocando ait: *eum in ius vocari non posse, qui funus familiare iustave mortuo facit.* Dicebant et *iusta ferre.* Ovid. in Fast. *Illa quae positis iusta feruntur aris.* Stat. *Miserabile surgit certamen qui iusta ferant.* Ovid. IV Trist. *Matri proxima iusta tuli.* Statius VI Thebaid. *Quid inania fertis iusta rogis.* (Ovid. Metam. II, 627: *Iniustaque iusta peregit*).

Vs. 188. *Expungi nomen*, dicitur quum debitum solvitur. Quoties pecunia mutua dabatur, creditor in tabulis suis expensi et accepti nomen eius, cui pecuniam dabat, perscribebat. Inde pecuniam mutuam dare Latini dicunt *nomen facere.* Sen. lib. I de Beneficiis: *Nomina facturi, diligenter in patrimonium debitoris inquirimus.* Id est debitorem aliquem assumturi, sive hoc fit pecunia tradita, sive mercibus datis non praesenti pecunia. Cic. VII ad Fam. ep. 23: *Accepi Aviani literas, in quibus hoc erat liberalissimum, nomina se facturum, quum venisset, qua ego vellem die.* Contra debitor dicebatur *nomen locare.* Phaedr. I, 17: *Fraudator nomen quum locat sponsu improbo, Non rem expedire, sed malum dare expetit.* Colum. V apud Host. p. 2116. Sic *in nominibus esse* dicuntur ICtis, quae debentur ex obligationibus, leg. 37 de Aqu. haer. *Quum et ea, quae in nominibus sunt, ad haeredem trans-*

eant. Sallust. *Aes alienum meis nominibus.* Cic. V Verr. 7: *Pecuniam sibi esse in nominibus, numeratam in praesentia non habere.* Topic. III: *Si uxori vir legavit omne argentum . . . . in tabulis debeatur.* Hinc patet idem esse *pecuniam deberi in tabulis*, et *pecuniam esse in nominibus.* Petron. *Habere in Africa trecenties sestertium fundis nominibusque depositum*; ubi pecunia *nominibus deposita*, quae mutuo data est; *fundis*, qua agri sunt empti. Sic *Exigere nomina*, est debita exigere. Cic. I in Verr. 10: *Quum per eos ipsos dies, per quos causam diceret, reperiretur pecunias sumsisse mutuas, nomina sua exegisse.* Sic *nomina dissolvere* et *expedire* dicitur debitor, quum pecuniam sumtam mutuam reddit. Cic. pro Planc. XXVIII: *Hoc nomen, quod urget, nunc quum petitur, dissolvere.* Suet. in Vita Valerii Catonis refert versus Furii Bubaculi in aes alienum Grammatici illius ludentis:

Summum Grammaticum, optimum Poëtam,
Omnes solvere posse quaestiones,
Vnum difficile expedire nummum.

Hactenus de *nomine*, nunc videamus quid sit *expungi.* Veteres qui ad scribendum ceris sive tabellis ligneis ceratis, aut cera inductis, utebantur (de quo ad Curcul. Act. III, vs. 40), quando scribebant, stylo ferreo arabant, vel pungebant, vel fodiebant ceras, inque illis literas fingebant. Stylus igitur erat antiquis, quod nobis calamus, quomodo et stylum vocabant. Altera pars styli, qua nempe scribebant, erat satis acuta, ad subtilem sulcum in cera faciendum: altera obtusa, qua, si scriptum delere vellent, sulcos incisis literis in cera factos conducebant, complanabant, eamque concinnabant ad aliam scri-

pturam accipiendam. Styli descriptio elegans est apud Prudent. Hymn. IX περὶ Στεφ.

Stimulos et acumina ferrea vibrant,
Qua parte aeratis cera sulcis scribitur.
Haec prior pars quam diximus.
Et qua facti apices abolentur, et aequoris hirti
Rursus nitescens innovatur area.
Haec pars posterior.

Ita ad priorem alludens Cic. lib. I de Orat. *Omnia sub acumen styli subeant necesse est.* Et Petron. quum ait: *verba atroci stylo effodere.* Ad alteram Horat. lib. I, Sat. 10: *Saepe stylum vertas iterum, quae digna legi sunt Scripturus*, hoc est, saepe aliquid deleas et corrigas. Nempe qui acuta parte styli formabant literas, quum easdem mutare vel abolere vellent, convertebant in manu stylum, et partem obtusam, quae alioquin a tabella erat aversa, redigebant versus tabellam. Ita ergo, qui pungentes ceram literas efficiebant, quum delere scriptum vellent, stylo verso easdem prius factas expungebant. Nam *expungere* proprie est id, quod erat punctum, tollere. Hinc igitur *expungere* est idem, quod delere. Sic supra in Curcul. IV, 9, 29, notavimus *manipulo expunctum militem*, hoc est, in catalogis militum deletum, et per consequens exauctoratum, et sacramento solutum. Sic etiam *expunctae rationes* dicuntur pro inductis, deletis, leg. 13, ff. de divers. temp. praescript. *Reipublicae rationes subscriptae et expunctae adversus eum quidem qui administravit, ultra viginti, adversus haeredem ultra decem annos retractari non possunt.* Dicit *subscriptae* et *expunctae*, nam ad securitatem eius, qui pecuniam tractavit et expendit, solent rationes ab illis, quibus reddun-

tur, subscribi: quae subscriptio est confessio, rationes illas recte se habere, paria esse facta, et in usum reip. pecuniam esse expensam. Deinde in tabulis publicis creditae pecuniae solent eadem ratione deleri, utpote ex quibus nulla persecutio supersit; et etiamsi non deberentur, per ipsam subscriptionem pro expunctis seu deletis habebantur, et ex pristino more *expunctae* dicebantur. Id ipsum hodieque in rationibus privatis mercatorum observatur. Debeo alicui centum nummos; hoc ille annotat in calendario, seu libro patrimonii sui. Quum eos vult exigere, aut ego ipse cupiens liberari debito, id poposci, mittit ad me chartulam, in qua scriptum est, quo nomine illos debeam et quando debere coeperim: postquam deinde pecuniam numeravi, mercator vel debitor subscripta chartula testatur rem esse solutam: tum in mea praesentia delet in libro suo meum nomen, et quid, curve illi debuerim hactenus. Hae rationes tum sunt *subscriptae et expunctae*. Rursus leg. 8, §. 1 de Admin. Rer. ad civ. pertinent. *Sed si rationes expunctae dicentur, non retractabuntur*. Ergo expungere nomen dicitur debitum solvere: solvendo enim fit, ut nomen debitoris in libro creditoris deleatur. Ita prorsus *expungere debitum* dixit Tertull. de idololatr. *Sunt quidam dies munerum, qui apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt*, hoc est, quibus alii funguntur, quod honorem, alii quod mercedem seu pecuniam acceperint: sive alii quod accepto honoris titulo, alii quod accepta mercede aliquid debent reddere. Idem, *expunctam prophetiam* dicit adimpletam, eventu iam comprobatam, in libro adversus Iudaeos cap. 7: *Tam intelligitur prophetia renuntiata, quam expuncta.* Lib. V advers. Marc. *Memento, quod si quae in hoc opus*

dilata erant, *expunxerimus*: id est, dederimus, solverimus. Denique hinc *expungere tantum*, vel *tot millia*, usurpatur interdum pro expendere, erogare: nam quod erogabimus non amplius inter nostra scribimus, alienatum est, inter nostras rationes delemus. Aut etiam, quia quod actor domini nomine expenderat, id postquam rationes redditae et subscriptae essent, expungebatur. Apul. Apol. *Quum haud pridem Pudentilla de suo quinquaginta millia nummûm in populum expunxisset ea die, qua Pontianus uxorem duxerat*: id est elargita esset, erogasset. Aliud est *dispungere rationes* (ne quis confundat) nempe examinare et recensere rationes, per puncta rationem exigere. Vlpian. leg. 56 de V. S. *Cognoscere instrumenta est recognoscere, relegere; et dispungere est conferre accepta et data.* l. 5, l. 6 §. ult. de statu lib. *Ipsa volumina rationum tradenda, percontandasque et examinandas rationes, et dispungendas atque excutiendas.* Leg. 15 de reb. aut. iud. poss. *Vtrum semel an saepius recognitio, dispunctio, concedenda sit creditoribus, videamus.* Et mox: *Si iuraverit, non calumniae causa se postulare, neque habere, quae dispunxerit.* Senec. IV de Benef. cap. 32: *Apud me istae expensorum acceptorumque rationes dispungantur: ego quid cui debeam, scio: aliis post longam diem repono, aliis in antecessum, prout occasio et rei meae facultas tulit.* Idem translate de brevit. Vit. cap. 7: *Dispunge ac recense vitae tuae dies: videbis paucos admodum et reiiculos apud te resedisse.* Apul. de Deo Socrat. *Igitur si eorum quotidiana aera dispungas, invenies in rationibus multa prodige profusa, in semet nihil*: id est, si inspicias sumtus eorum, et in quibus illi impendantur. Tertull. lib. IV adversus Marc. *Retributio est a creditore, ut iudice et*

dispunctore meritorum. Lib. V: *Et tribunal antea nominando et dispunctionem boni ac mali operis, utriusque sententiae iudicem ostendit.* Vell. I, 73: *Dispungere intervalla negotiorum otio*, id est interponere ex arte et ratione negotiis otium. Ratiocinatio prudentis otii intelligenda, qua scripto accurate discernebat, quid remissionis quibus negotiis, et quando, et quomodo interponeret. Adde Brisson. de Form. lib. VI.

Vs. 206. *Mens animi* malebant interdum eleganti periphrasi dicere veteres, quam *mentem* vel *animum* simpliciter. Epid. IV, 1, 4; Bacch. III, 4, 11; Lucret. lib. III:

Denique cur animi mens nunquam consiliumque
Gignitur in capite aut pedibus manibusve.

Lib. V:

Tenuis enim natura Deûm longeque remota
Sensibus a nostris animi vix mente videtur.

Catull.

Nec potis est dulces Musarum exponere foetus
Mens animi.

Sic *ingenium animi* Cornific. ad Herenn. II, 26.

Vs. 212. *Maritimis moribus cum aliquo experiri*, est variis, incertis, fraudulentis, feris, inconstantibus, perfidiosis moribus agere cum aliquo; ea perfidia et inconstantia, qua mare est, quod mutatur in horas. Lucretius:

Nec poterat quenquam blandi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.

Petron. *Sed non solum mortalibus maria hanc fidem praestant, illum bellantem arma decipiunt.* Tertull. de Pall. *Sic et mari fides infamis, cum flabris aeque*

mutantibus de tranquillo probum, de flustris temperatum, et extemplo de decumnis inquietat. Festus: *Flustra dicuntur, quum in mari fluctus non moventur, quam Graeci μαλακίαν vocant.* Vbi duo notanda: prius, *flustra* dici apud Festum; alterum, per *decumanos* intelligi fluctus maximos, quod decimum fluctum omnium esse violentissimum observatum est. Hinc Ovid. I Trist. 2, 49, 50; et II Metam. 530; Sil. Ital. XIV, 122-124. Sen. Agam. ubi naufragium Graecorum describit: *Haec onere sidit, illa convulsum latus submittet undis, fluctus hanc decimus tegit.* Hinc *decumana* dixerunt omnia, quae maxima. Sic *ova decumana*, *scuta decumana*, *porta* quoque in castris ab hoste aversa *decumana*, et *limes decumanus* est apud agrimensores. Polit. Miscell. cap. 68.

Vs. 227. *Confregisse tesseram alicubi* aut *apud aliquem*, significat aditum sibi praeclusisse, ius hospitii perdidisse. Erant apud veteres hospitia privata, quae magna necessitudine colebantur, et ad posteros quoque transibant. Propterea moris fuit, dare hospites inter se tesseram dimidiatam: ut quicumque eam attulisset ad alterum, inde continuo agnosceretur, et tanquam amicus et hospes exciperetur. Vivum eius rei exemplum est Poen. V, 1, 25, ubi vs. 22 sic loquitur Hanno: *Sed hic mihi antehac hospes Antidamas fuit.* vs. 24: *Eius filium.... Agorastoclem.* vs. 25: — *Mecum fero.* Et sc. seq. ubi incidit in hunc Agorastoclem filium Antidamantis vel Antidamae, quicum olim hospitium iunxerat, vs. 86 seqq. *Hem quid ego.... hospitium tibi praebebitur.* Et V, 2, 88, 92.

Vs. 250. *Pedatu tertio*, id est repetita, accessa vice tertia, ut recte interpretatur Nonius. Cato:

Igitur tertio pedatu nobis bellum facere. Glossae veteres: *Tertio pedatu* τρίτῃ περιόδῳ ἐκ τρίτου.

Vs. 264. *Admoenire fabricas alicui*, est aggredi aliquem callide et per artem. Translatio ab obsidionibus urbium, quae admuniri dicuntur, quum operibus oppugnantur. Poen. I, 3, 150; Pseud. II, 2, 10. Eadem translatio apud Cic. II Agrar. 19: *Quum intelligam, hanc totam fere legem ad illius opes evertendas tanquam machinam comparari.* Quid autem sit *operibus oppugnare*, et quid *opera* κατ' ἐξοχὴν in hoc negotio significent, indicat Cic. XV ad Fam. 4: *Vallo et fossis circumdedi, sex castellis castrisque maximis sepsi, aggere, vineis, turribus oppugnavi, ususque tormentis multis, sagittariis, magno labore meo, septimo et quinquagesimo die rem confeci.*

Vs. 265. *In quaestione exsculpere*, est per tormenta exprimere. Nam *quaestio* interdum Latinis significat tormenta, quae reo convicto, ad scelerum confessionem et criminum proditionem exprimendam et extorquendam, adhibentur et applicantur. Eo sensu in D. tit. de quaestionibus. Cic. pro Milon. *De servis nulla lege est quaestio in dominum, nisi de incestu.* Pro Roscio: *In tali crimine innocenti saluti solet esse, ut servos in quaestionem polliceatur.* Pro Caelio ait: *manumissione servorum Clodii quaestionem sublatam.* Most. V, 1, 44: *Exsculpere* autem est instando et urgendo cogere fateri. Ter. Eun. IV, 4, 44.

Vs. 304. *Obsipare aquulam alicui*, est ex maximo metu aliquem levare, recreare, ut solet iis, qui animo linquuntur, ut ad se redeant, frigida adspergi. Amph. V, 1, 6: *Animo male est, aquam velim.* Curc. II, 3, 33; Bacch. II, 3, 13: id est animum mihi reddidisti. *Obsipare* dictum est ab antiquo verbo *sipare*, de quo ita Festus: *Sipat, iacit*, et inde esse

ait dissipat, disiicit, insipat, iniicit, obsipat, obiicit, in *Prosapia*: *Progenies a porro sparsis et quasi iactis liberis, quia supare, vel sipare, significat iacere ea, disiicere.*

Vs. 355. *Cuiam esse oportet te*, id est, quorum dominorum vel parentum. Nam in feminino genere loquitur, quia de puella sermo est. Veteres genitivum *cuius*, pro nominativo, generibus distinxerunt, ut *cuia cuium*, et declinaverunt; velut in accusativo femin. *cuiam*. Quum Virgilius scripsisset, *cuium pecus? an Meliboei?* stulti quidam reprehensores genus hoc loquendi deriserunt, tali parodia: *Dic mihi, Dameta, cuium pecus? anne Latinum? Non, verum Aegones nostri sic rure loquuntur.* Quae quidem censura scutica, vel ut alibi iocatur Plautus, censione bubula digna fuit; nisi etiam Plautus, Terentius, Cicero rustici. Atque ille quidem Rud. II, 3, 2; Bacch. IV, 9, 24: *Cuia causa*, id est cuius causa. Merc. IV, 3, 20; Rud. II, 5, 21; Trin. I, 2, 7; Terent. Andr. *Cuium puerum.* Cic. II, in Verr. *Ea caedes, si potissimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, non ei, cuius nihil interfuit.* Et pro Varena, citatum antiquis Grammaticis, Priscian. lib. XII: *Cuia de ea re iurisdictio.* Sic et *cuiatis* Plaut. Menaech. II, 2, 66. Id est quo patre, unde profecta sit. Poen. V, 2, 33.

Vs. 379. *Conquinescere*, est cernuum, hoc est, capite versus terram inclinato, se inflectere. Nonius cap. II, §. 118: *Conquinescere et ocquinescere, inclinari significat.* Pomponius Atellanis: *Interea ut cubabat nuda, ad eum ut conquexi, interim mulieres conspiciunt.* Pseud. III, 2, 75: *Si conquinescet isthic, caveto simul.* Aliud est *coinquere*, vel *coinquire* verbum antiquum, neque cum verbo *conquiniscere* con-

fundendum. *Coinquere* vel *coinquire* proprie quidem est violare, contaminare (nam ab eadem origine sunt *inquo*, et *coinquo*) sed usus obtinuit, ut inprimis diceretur de lucis seu arboribus sacris, quum fluentes supra modum rami, vel officientes lumini, recidebantur, quod etiam vocabant *conlucare*. Festus: *Conlucare dicebant, quum profanae sylvae rami deciderentur officientes lumini.* Idem: *Sublucare arbores, est ramos earum supputare, et veluti subtus lucem mittere: conlucare autem succisis arboribus, locum implere luce.* Vbi tamen contrarium est verum. Nempe *sublucare* est succidere sylvam, *conlucare* nihil aliud quam ramos eminentes deputare. Cato de Re Rust. cap. 139: *Lucum conlucare Romano more sic oportet.* Hoc quum in arbore et sacra fieret sylva, ea revera *coinquebatur*, et contaminabatur, quia sacra res erat, quam attingi ferro non licebat. Ea propter piaculum, id est sacrificium expiatorium, caedebatur, ut fas esset cum bona venia Dei illius Deaeve, cui sacra erat, eam *coinquere* et violare sine noxa. Precatio isti piaculo *adhibita* exstat apud Catonem de R. R. 139: *Porco piaculo facito*; *sic verba concipito: Si Deus, si Dea es, cuius illud sacrum est, uti tibi ius siet porco piaculo facere, illiusve sacri coërcendi causa. Harum rerum ergo, sive ego, sive quis iussu meo fecerit, ut id recte factum siet. Eius rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, domo familiaeque meae, liberisque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto.* Sacrificiumque exstat apud Plin. XVII, 28; ex Catone Festus: *Coinquere, coërcere. Coërcentur enim immodicę excrescentes rami.* Inscriptio vetus: *Earumque arborum adolefactarum et coinquendarum, et in eo luco*

aliae sunt repositae. Trebat. de Religionibus lib. VII apud Serv. *Luci, qui sunt in agris, qui consilio capti sunt, hos lucos eadem caeremonia coinquiri haberique oportet, ut caeteros lucos, qui in antiquo agro sunt.* Quia autem hac putatione, si rite fieret, et sacro facto permissa perageretur, purgabatur et lustrabatur sylva, hinc factum est, ut *coinquere* etiam sit lustrare apud Grammaticos veteres. Sosipater: *Quinquatrus dictae ab quinquendo seu coinquendo, id est lustrando, quod eo die arma Ancilia lustrari sint solita.* Denique hinc in genere *coinquere sylvam.* vel *arborem*, est ramos inde putare in libris Iuris. Alfenus leg. 29, D. Locat. Cond., in lege locationis scriptum erat: *redemptor sylvam ne caedito, neve coinquito, neve decutito*, (sic ibi leg. ut vere docuit Salmasius) *neve quem coinquere, caedere, urere sinito.* Restituenda est haec vox Paulo, pro *cingere.* Cuiacius emendavit IX Observ. 102 *Discingere.* Hottom. ad leg. XII. tab. legit *stringere.* Paulus lib. IX ad Sabinum leg. 9 D. Arborum furtim caesarum: *Caedere est non solum succidere, sed etiam ferire caedendi causa coinquere et deglabrare, subsecare est subsecuisse* (lege *subtus secuisse*); *non enim poterat cecidisse intelligi, qui sera secuisset.* Corruptissime legitur *cingere*, eleganter *deglabrare.* Glabri enim sunt, quibus pili evulsi aut erasi sunt. Sic *glabra* vel *deglabrata arbor*, cui rami, quos Poëtae *comas* dicunt, sunt erasi et detonsi. Recte autem *deglabrare* in Pandectis Florent. quod male mutat Budaeus in *deglubere*, et peius Turneb. Advers. XXIII, 19, *declavare*, quod sit undique ramos et clavos amputare. *Cernuus* Graecis est κατακρηνής, in caput pronus. *Cernuare* vel *Cernuari* κατακρηνίζειν in faciem ruere. Virg. lib. X:

Eiectoque incumbit cernuus armo.

Lucil. Sat.

Cernuus extemplo plantas convestit honestas.

Vbi inepte Festus et Isidorus *cernuum* genus calceamenti interpretantur. Dicit enim Lucilius hominem quendam *cernuum*, id est ad terram pronum, pedes calceare. Arnob. I, 7: *Pronos et cernuos ruere.* Prudent. Hymn. VII Καθημερ. *Irrigatum pulverem ore pressit cernuo.* Varro R. R. lib. 1: *Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibique cernuabant.* Senec. Epist. VIII: *Qui hoc faciunt, non evertit fortuna, sed cernuat et allidit.* Apul. lib. I: *Corpus exanimatum in flumen paene cernuat*, id est pronum cadit. Solinus de tigride, XVII: *Si quando latrones suos adsportatis catulis renavigantes vident in littore, irrita rabie cernuari.* Prudent. lib. I Advers. Symmach. *Cernuat ora senex barbatus.* Solinus de equo sternace: *De industria cernuatus pariter se et equitem adfligeret.* Serv. ad X Aeneid. *Cernuus dicitur equus, qui cadit in faciem, quasi in eam partem cadens, qua cernimus. Vnde et pueros in ludis videmus ea parte, quae cernuat, κυβιστῶντας, cernuos vocamus, ut etiam Varro in ludis theatralibus docet.* Glossarium: *cernuat*, κυβιστᾷ· Item *cernuus*, πεταυριστής. Nam petauristarum est κυβιστᾷν, hoc est de machina in caput se iacere. Lucil. *Modo sursum, modo deorsum, tamquam collus cernui*, id est funambuli, petauristae, ludionis ex illorum genere qui saltu ludos faciunt. *Petaurum*, πεταυρὸν, Graecis est tabella parieti adfixa, ad quam vespere gallinae se volatu recipiunt, ut pernoctent. Hoc modo, quia mechanici isti ludii ad rotam se subiiciebant, dicti *petauristae*, et ludus ipse *petauri.* Vide Scalig. ad Fest. Petauri autem ludus hic erat, rota in sublimi posita a duobus ver-

sabatur, qui nunc deiecti inde penderent, nunc erecti in eadem sederent: nonnunquam corpora contento saltu per eandem rotam traiiciebant. Manil. V Astr.

Corpora quae valido saliunt excussa Petauro
Alternosque cient motus, etc.

Martial. lib. XI, Ep. 22:

Quam rota transmisso toties intacta Petauro.

Seneca eleganter transtulit ad humanarum rerum inconstantiam et varietatem, vocando *petaurum*, quod alii dixere *rotam fortunae*. Epist. 98: *Oblitus huius petauri, quo humana iactantur, sibi uni fortuitorum constantiam spondet.* Lucill. *Sicuti mechanici, cum alto exiluere Petauro.* Vbi mechanici sunt ipsi ludii et petauristae. Nonius: *Petauristae a veteribus dicebantur, qui saltibus vel scenis levioribus moverentur, ἀπὸ τοῦ πετᾶσθαι.* Sed altera etymologia melior est; Varro enim vocat Ptolemaeum cinaedum, λακωνικὸν, *petauristam*, διονῦν, αὐλοποιόν. Idem, Vita Pop. Rom. II: *Nec minus alio in genere sunt ludii, veteres Galli, Germani petauristae* (Vide. Salm. Exerc. Plin. p. 87 D. E. et p. 583--585.)

Vs. 392. *Dedita opera*, id est studio, studiose, ex constituto, non fortuito. Poen. III, 1, 5; Trinum. I, 2, 29; Cic. ad Att. VIII, 14; X, 3; pro Caelio cap. 19; Terent. Eun. V, 2, 2; Liv. II, 51, III, 63. Cornif. ad Heren. II: *Ficta enim et dedita opera comparata oratio videbitur esse*, etc.

Vs. 394. *Animi miser*, Graecanica ellipsi τοῦ ἕνεκα, id est *causa* vel *gratia*, ut amant dicere Latini. Sic Terent. Eunuch. II, 2, 43: *Vt falsus animi est.* Sic *lassus animi* Cist. II 1, 8. Sic *aeger animi.* Liv. de Lucret. *Consolatur aegram animi.* Lib. II:

Aegro animi eadem illa insomnis observata species. Idem lib. I de Hercule: *Confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porro armentum occepit.* Virgil. *O praestans animi.* Item lib XI, 417: *Egregiusque animi. Furens animi* lib. V, 20; *Praeceps animi* lib. IX, 49: *Iuvenemque animi miserata repressit* lib. X. Apul. IV Metam. *Psyche aegra corporis, animi saucia.* Lib. V: *Et corporis et animi alioquin infirma.* Sic admodum poëtice *notus animi* Horat. de Proculeio: *Notus in fratres animi paterni.*

Vs. 422. *Prorsum* vel *prorsus ire*, est recta ire vel procedere. Pseud. IV, 1 ult. ubi *ex transverso cedere*, pro ire dicit. Casin. II, 8, 7: *Recessim cedere, imitari nepam*, id est, καρκίνον λοξοβὰ ᾗν. nam *nepa* est idem quod cancer. Epid. IV, 2, 12; Milit. IV, 4, 56; Pers. IV, 5, 5. Cato: *Quum Romam veniebant prorsus divertebantur pro hospitibus ad amicos suos.* Isid. Orig. cap. 37. Hinc *rursus prorsus* opponitur inter se, pro ante et retro. Ennius Andromach. *Rursus prorsus reciprocat fluctus ferum.* Dictum autem est *prorsus* quasi *proversus*, et *rursus* quasi *retroversus*. Terent. Hecyr. III, 1, 31: *Cursare rursum prorsum.* Nec adverbium *prorsus* est semper, sed aliquando adiectivum. Varro lib. V de R. R. *Flamen prorsus vinum legit*, id est ante se, et rectus, non cernuus. Festus: *Prorsi limites appellantur in agrorum mensuris, qui ab oriente directi sunt in occidentem. . . .* Quos et decumanos appellant, iisque opponuntur transversi cardines (vid. Plin. XVIII, 33) qui a meridie ad septentrionem currebant. Idem: *Prorsum ponebant pro recto.* Terent. *Vtinam quidem, quod cum salute eius fiat, ita se defatigarit quidem, ut triduo hoc prorsus e lecto nequeat surgere.* Donat. Eun. II, 3: *Prorsum recta, id est omnino, nam*

prorsum est porro versum, id est ante versum. Hinc et prorsa oratio, quam non inflexit cantilena. Isid. I Orig. 37. Hinc *Prorsa vel Prosa Dea*, quam colebant infantum gratia. Varro apud Gell. XVI, 16: *Huius periculi deprecandi gratia arae sunt statutae Romae ducibus Carmentibus: quarum una Postvorta nominata est, Prosa altera, a recti perversique partus et potestate et nomine.* Glossarium: *Prosa pexa tunica*, πέξον ἱμάτιον, puto esse secundum filum. Hinc denique *prorsa* vel *prosa* (nam literam caninam in multis fugiebant veteres, sic *rusus* et *susus* pro *rursus* et *sursus* dixerunt. Sic etiam *assum*, ut *caro assa* pro *arsa*; nam ab *ardeo* venit) *oratio*, εὐθὺς, recta, simplex, quae opponitur *versae*, seu versificatae. Auson. in Profess. Burdigal. *Nam tu Crispo coniuncte meo prosa solebas et versa loqui, impetu eodem.* Gell. XIX, 7: *Quae videbantur nimium poëtica, et prosae orationis usu alieniora. Prosaicam vocat orationem* Plin. V, 29; Isidorus lib. I, 37: *Prosa est producta oratio, et a lege metri soluta. Prorsum enim antiqui productum dicebant et rectum. Unde ait, inperflexa numero, sed recta, prosa oratio dicitur, in rectum producendo. Varro apud Plaut.* Prosis lectis, *significare rectis, ait.*

Vs. 427. *Actum rem agere*, id est in vanum laborare, et quasi factum velle infectum reddere. Donat. ad Terent. Adelph. III, 2: *Actum est. Verba sunt desperationis: nam actum est dicitur in ea re, de qua iam lata est sententia.* Pseud. I, 1, 103; et IV, 7, 123; Rud. III, 3, 21; Stich. V, 5, 10; Trin. II, 4, 149; Cicer. Att. IX, 4: *Sed acta ne agamus, reliqua paremus.* Idem Dial. de Amic. *Praeposteris enim utimur consiliis et acta agimus, quod vetamur veteri proverbio.*

Vs. 434. *Quaerere* valet idem quod acquirere,

adipisci, comparare sibi. Vt et supra I, 2, 23. Ennius: *Nautisque mari quaerentibus vitam*, id est sibi comparantibus. Sic in illo, *quaere liberos*.

Vs. 503. *Nihil moror hoc fieri.* Formula qua utimur, quum quid aspernari, aut certe non admodum desiderare nos significamus. Curc. IV, 2, 29; Epid. V, 2, 21; Poen. V, 4, 103; Rud. III, 6, 14; Stich. V, 4, 32.

Vs. 512. *Postrema comoedia*, est postrema pars eiusdem comoediae. Sic. Terent. Prol. Adelph. *primam fabulam* pro initio fabulae dixit. Sic *infimum forum*, pro parte infima fori, Curc. IV, 1, 14; *primum digitum*, quem alii primorem, pro extremitate digiti. Catullus de Lesbia cum passere ludente: *Cui primum digitum dare appetenti. Primam* et *summam Camoenam.* Horat. I, epist. 1: *Prima dicta mihi, summa dicende Camoena*: id est initio et fine Camoenae, sive operis. Et *primas palmas* Propert. Vide Notas ad Prolog. Adelph. Terent. Sic et *prima aestate, dimidio anno.*

CVRCVLIO

Fab.
vs. 5. *Status condictus cum hoste intercedit dies*, id est promisi me certo die praesto futurum in iudicio, vadimonium promisi. Certus dies convenit, qui litigantes inter se, vel aliquid controversiae habentes, apud iudicem vel arbitrum in ius irent. Ex XII Tabulis sumptum patet ex Cicerone in I Off. *Indicant duodecim tabb. aut status dies cum hoste.* A. Gell. XVI, 4: Inter iustas excusationes militis est *vis hostisve, status condictusve dies cum hoste.* Festus: *Status condictus dies vocatur, qui iudicii causa est cum hoste, hoc est cum adversario. Stati dies* sunt *certi, constituti, solemnes. Stata sacrificia* interpretatur Festus: *quae certis diebus fiebant.* Liv. V, 46. Lib. XXIII, 35: *Ipse pridie quam statum sacrificium esset Campanis, Cumas movet castra.* Sic *statum bellum*, quod certis temporibus redit. Liv. III, 15. *Status reditus* Plin. III, epist. 19; V, epist. 14; Pompon. Mel. I, 8: *Proximis nullae quidem urbes, stata tamen domicilia sunt, quae mapalia vocant.* Nempe in ἀντιθέσει populorum vagorum, pecora sequentium, certam sedem nullam habentium, quotidie tuguria sua, sive mapalia, promoventium. *Condictus* autem *dies*, ad quam negotii causa duo vel plures se congressuros mutuo promiserunt. Iust. XV, 2: *Per epistolas se invicem confirmantes, tempus, locum coëundi condicunt.* Idem III, 7: *Inducias quas proprio nomine condixerunt*,

ex sociorum persona rumpebant. Tacit. Germ. II, 2: *Coëunt certis diebus: nec dierum numerum sed noctium computant: sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur.* Seneca eleganter ad rem a tempore transfert de Tranq. Anim. XI: *Qui mortem timebit, nihil pro homine vivo unquam faciet; at qui scit, hoc sibi, quum conciperetur, statum condictum, vivet ad formulam,* id est moriendum esse quandoque fata volunt. Vid. Not. Gron. ad eundem Senecae locum, et plura de τῷ *condicere* in I Obs. 1.

Vs. 9. *Lucere alicui cereum,* praeferre alicui facem cercam, sive e cera. Sic Casin. I, 1, 30. *Praelucere* Suet. Aug. XXIX: *Fulgur servum praelucentem exanimasset.* Translate accipitur Pers. IV, 3, 46, pro monstrare viam, qua pervenias ad lucrum. Cic. Lael. *Quod bonam spem praelucet in posterum,* id est praefert, ostentat. Puerorum sive servulorum erat officium, dominis a coena vel balneo redeuntibus facem praeferre. At hic Phoedromus ipse nitidus, lautus et e balneo veniens facem portabat. Ideo ait servus: *Tute tibi puer es,* id est, ipse tibi ministras: te ipso ut servo vel puero uteris. Vt Merc. V, 2, 11. Martial. XIV, epig. 64:

Defuerit si forte puer, soleasque libebit
Sumere, pro puero pes erit ipse tibi.

Deinde coniungendum sine interiunctione *lautus luces cereum,* quod est lotus et e balneo egressus. praefers tibi facem, quod erat pueri sive servi munus.

Vs. 100. *Nauteam olere, nauteam esse,* pro teterrimi et intolerandi odoris esse. Asin. V, 2, 45: *an foetet anima?* id est halitus. Cas. ult. 7; duae videlicet res spurcissimi odoris. Nam et hircus pro se

foetet, et nihilo minus nautea. Scilicet nautea est aqua de sentina, secundum Nonium.

Vs. 143. *Occentare ostium*, clamorem et convitium alicui facere ante aedes. L. XII Tabb. *Si quis carmen occentasset, quod alteri flagitium faxit.* Festus: *Occentassit antiqui dicebant, quod nunc convitium fecerit, dicimus, quod id clare, et cum quodam canore fiat*, ut procul exaudire possit, quod turpe habetur, quia sine causa fieri non putatur. Merc. II, 3, 73; Pers. IV, 4, 20.

Vs. 199. *Auro contra dare, venire, esse carum*, est pro auro, vel auro contra appenso aut numerato dare, vendi, aestimari. Epid. III, 3, 30, id est aestimabilis est, aurum illo vilius est. Mil. IV, 2, 84, id est aliud ipsi aurum daret pro hac opera, Truc. II, 6, 57; Varro lib. I de R. R. cap. II, p. 8: *Vbi poma veneunt auro contra.* Sic *orichalco contra* hic vs. 46; Milit. III, 1, 64; Pseud. II, 3, 22; id est pretiosius fuit aurichalco. Vide Notas Scaligeri ad Varronem de R. R. pag. 195.

Vs. 225. *Tormento ferreo retineri*, id est catena ferrea. *Tormentum* idem quod funis tortus, nam quum fit funis, *torqueri* dicitur. Propert. *Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno.* Fingitur enim in fabulis Ocnus quidam stans incurvo corpore et funem faciens. Priap. *Tormento citharaque tensiorem* : id est magis tentum quam est funis aut fides citharae. Vnde machinis, quae tentis et contortis funibus moventur, emissa aut excussa, *tormentis missa*, aut *excussa* dicuntur. Liv. lib. XLIV: *Vbi propius ripam hostium subissent, tormentis missa etiam ad ultimos perveniebant.* Curt. lib. IV: *Quum tormento asseres promovissent.*

Vs. 229. *Homo cum collativo ventre*, quem alias

appellat *ventriosum*. Merc. III, 4, 54; Pseud. IV, 7, 120. *Collativum ventrem* explicat Festus, magnum et turgidum, quia in eum omnia edulia conferantur. Pers. Sat. 1 vocat *aqualiculum*: *Nugaris, quum tibi, calve, Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.*

Vs. 246. *Scire divinitus*, est callere artem divinandi, de futuris augurandi, conficiendi, ut infra sc. seq. vs. 3. Intelligitur autem verbum *fari*. Estque conceptum, ut apud Iuven. *Nescire Latine*, id est loqui Latine. Varro: *Sed ut equus qui ad vehendum est natus, tamen hic traditur Magistro, ut equiso doceat tolutim.* Lucill. *incipere velle tolutim*: quae verba significant, *hic semper incepturus videtur*, et in iis intelligitur verbum *incedere*. Est autem *tolutim* certus gradus equi edocti; atque idem quod volubiliter, et continuato gradu, molliter incedere, quod proprium est equi gradarii. Varro: *Haec postquam dixit, cedit cibus, tolutim.* Loquitur quasi de equite gradario insidente. Pomponius: *Et ubi insilui in coleatum equuleum* (integrum, non castratum) *ita tolutim pergo.* Lucill. *Si omne iter evadit, stadiumque acclive tolutim.* Naevius: *Edixi iturum hominem in Tuscos tolutim.* Hinc Plaut. Asin. III, 3, 116: *Demam hercle iam tibi de ordeo, tolutim ni badizas.* Haec verba proprie sunt equisonis, docentis equum vel minantis, ni tolutim incedat, minus pabulum habiturum. Quibus servus illudit Argyrippo herili filio, quum eius humeris et tergo tanquam equi insideret. Vtuntur viri docti hoc tanquam proverbio, increpantes aliquem nimis exerrantem. Vt Scaliger adversus Rob. Titium, II, 26: *Nisi tolutim badissas, demam tibi de ordeo, neque te calcitronem feremus.* Glossae: *tolutarius* βαδιστής. Senec. epist. 87: *Ita non omnibus obesis man-*

nis et asturconibus et tolutariis praeferres unicum illum agrum. Hinc *tolutiloquentia* pro sermone volubili. Naevius Gallinaria: *O pestifera Pontica fera, trux, tolutiloquentia.* Sarisb. Polycrat. lib. III: *Praeterea secretarii divitum, quasi quidam tolutarii et clitellarii sunt. Vt qui eorum delictis onerentur: quidquid ab eis delinquitur, in istorum infamiam cudatur.*

Vs. 264. *Incubare Iovi* aut *alicui Deo*, dicebantur qui aliquo malo adflicti, praecipue morbo, pernoctabant in templis, ut per quietem ab Diis monstrata remedia acciperent. Ex quo more Petron. *Medicinam somno petii, iussaque sum vos perquirere.* Supra I, 1, 61. Tangit eundem morem Virg. lib. VII Aeneid. *Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus, In dubiis responsa petunt.* Vbi Servius: *Incubare dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa. Vnde est: Ille incubat Iovi, id est dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere.* Strabo XVII, 55 pr. de Canopo: Εχουσα τὸ τοῦ Σεράπιδος ἱερὸν πολλῇ ἁγιστείᾳ τιμώμενον καὶ θεραπείας ἐκφέρον, ὥστε καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἄνδρας πιστεύειν καὶ ἐγκοιμᾶσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν ἢ ἑτέρων. Συγγράφουσι δέ τινες καὶ τὰς θεραπείας. Cic. I de Divinat. Insigne exemplum est apud Aristoph. in Pluto act. II, Sc. 2; ubi Chremylus Plutum caecum repertum in Aesculapii templum educit, ut is oculis Pluti medeatur.

Vs. 294. *Datatim ludere*, ponitur pro pila ludere, quia datur de manu in manum. Translate eleganter Ennius de muliere impudica: *Quasi in choro pila ludens datatim dat se et communem facit. Alium tenet: alii mutat: alibi manus est occupata.* Pompon. Adelph. *Quum datatim in lecto tecum lusi.* Hinc *datores* in lusu qui dabant pila, alii autem *factores*,

qui faciebant, id est qui feriebant. Modi ludendi videntur fuisse *datatim*, *raptim*, *expulsim*.

Vs. 296. *Vitare infortunio*, eleganter dicebant veteres mutata syntaxi pro vitare infortunium. Sic Casin. II, 2, 35: *Vitare verbo*, pro operam dare, ne hoc verbum audias. Poen. prol. 25: *Vitent ancipiti infortunio*; dictum perinde ut *malo cavere*. Bacch. I, 2, 39, id est cave, ne tibi damnum vel malum detur. Casin. II, 6, 59; Menaech. I, 2, 13; et II, 1, 24; Pers. III, 1, 41. Petron. *Ponere iussit arma, et malo cavere.*

Vs. 407. *Ceras quatuor explere*, est quod vulgo dicimus, quatuor paginas. *Ceras* dicebant veteres tabulas ceratas, sive cera illitas atque inductas, in quibus stilo literas fodiebant. Asin. IV, 1, 22: *Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.* Pers. IV, 3, 59: *Postquam recitasti, quod erat cerae traditum*, sive quod erat scriptum in cera. Iustin. II, 10. Hinc *primam ceram* dicebant pro prima pagina tabularum ceratarum, seu libelli ex pluribus tabellis ceratis compositi. Horat. II, Sat. V, 53: *Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo Cera velit versu*: id est obliquis oculis raptim videas, quid in primae paginae secunda linea, ut vulgus loquitur, sit notatum. Et *extremam ceram* pro ultima pagina seu tabella Cic. I in Verr. 36: *Ait in codicis extrema cera nomen infimum in litura fecisse*, id est in postrema parte tabularum. Et Suet. de testam. Iul. Caes. cap. 83: Eum *in ima cera Caium Octavium in nomen familiamque adoptasse.*

Vs. 411. *Summanus* dicitur proprie Manium Deus summus, qui et Pluto. Plin. V, 52: *Diurna flumina attribuentes Iovi, nocturna Summano.* Meminit et aedis Summani XXIX, 4. Eiusdem mentio apud

Cicer. I de Divinat. 10; Arnob. lib. V, p. 183. Id nomen quum sibi indidisset fraudator apud Plaut. Curc. III, 46, finxit inde verbum *summanare* pro furari, avide rapere, quasi sub manum condere, ὑποχείριον ποιεῖν. Videtur inde suam significationem hausisse, quod Summanus omnia avide rapiat in suum thesaurum.

Vs. 421. *Dissicere* pro dissecare probum et antiquum verbum est, sed quod passim in libris corruptum et mutatum in *disiicere*, quod est dissipare, quum illud sit secando dividere. Virg. XII Aen. 306: *Ille securi Adversi frontem mediam mentumque reducta Dissicit.* Lactant. lib. II, cap. 8, narrans notam de Tarquinio Prisco, et Attio Navio augure historiam: *Cape igitur hanc cotem, eamque novacula dissice.* Dictum autem *dissico*, ut *prosecare* in Poenulo, et *exsicare* Rudente. Item *insicia* genus edulii apud Varr. IV de L. L. 22: et *prosiciae* in sacris. Denique etiam *sica*, gladiolus latrunculorum, non aliunde quam a secando dicitur.

Vs. 428. *Hamum vorare*, esse in eo ut decipiaris. Traductum a captura piscium, qui quum hamum esca vel illecebra obtectum deglutiunt, capiuntur et alligant sese harundini. Simili sensu, sed aliunde petita metaphora, Capt. II, 2, 16: *Nunc senex est in tonstrina; nunc iam cultros attinet.* Proinde est quasi diceret; nunc quum maxime decipitur. Nam et *attondere* pro fallere, et *emungere* aliquem exstat Bacch. V, 1, 9, 15: id est pecunia fraudavit per dolum. Eodem sensu Bacch. IV, 6, 22: *Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit.* Est enim transenna funiculus extentus, vel seta equina, aut ex iis apta machinula ad turdos capiendos. Sed ut primo loco, Trucul. I, 1, 21: *Adduntur noctes: interim ille*

hamum vorat: id est irretitur, se illaqueatum capiendum praebet. Eadem translatione Horat. I, ep. 7: *Hic ubi saepe Occultum visus decurrere piscis ad hamum*. Lib. II, Sat. V, vs. 25: *Neu si vafer unus et alter insidiatorem praeroso fugerit hamo*. Allusum ad vulpem marinam, de qua Plin. IX, 43: *Scolopendrae terrestribus similes*.

Vs. 429. *Orare cum aliquo*. Notanda phrasis ob syntaxin. Amat enim Plautus sic loqui, pro vulgari orare aliquem. Asin. III, 3, 72: *Hanc, cui daturus hanc, iube petere atque orare mecum*, pro *me*, casu accusandi. Rud. III, 4, 68; Pers. I, 3, 37; Casin. II, 5, 16, et III, 4, 5.

Vs. 472. *Propter canalem agitantes*. Dicebantur homines otiosi, sui ostentatores, propterea quod circiter canalem (erat autem locus in foro Romano) huiusmodi homines versarentur, et conspiciendos se praeberent. Hinc Plautus *in medio* sc. foro, *propter canalem*. Ideo iidem dicti *canalicolae*. Festus: *Canalicolae forenses homines dicti, quod circa canalem fori consisterent*. Qui quales fuerint describit Plautus Curc. IV, 1, 15. A. Gell. IV, 20: *qui iurabat, cavillator quidam et canalicola, et nimis ridicularius fuit*.

Vs. 485. *Liberali causa aliquem manu asserere*, in iudicio hominem liberum, qui in servitute est, defendere, vindicare aliquem ex servitute in libertatem, seu manu alicui, qui in servitute est, iniecta apud praetorem haec verba pronuntiare: *Hunc ego ex iure Quiritium liberum esse aio*, id est liberali iudicio natalibus restituo. Nam his fere verbis utebantur, qui liberali iudicio natalibus aliquem restituebant. Anceps autem adserere, perinde est ac vindicare, etsi κατ' ἐξοχὴν potius in libertatem quam in servitutem intelligimus: tamen proprie utrumque

ambiguum est, ideoque adiicitur, *liberali causa.* Infra V, 2, 68, et V, 3, 31; Terent. Adelph. II, 1: *Nam ego illum liberali adseram causa manu.* Poen. IV, 2, 84, et V, 2, 4, et 142. Donatus, vetus scholiastes ad Terent. *Ordo est*: *Ego liberali causa manu adsero. Et sunt iuris verba, a quibus etiam adsertores dicuntur vindices alienae libertatis. Nam et causa ipsa liberalis dicitur, quae actionem in se continet libertatis.* Inde Claudianus, *Assertoremque Camillum*, quoniam Romanos a Gallis in Capitolio obsessos, et tantum non captos liberavit.

Vs. 489. *Mancipio dare et accipere rem emtam*, est ita tradere et auferre adhibita libra et aere, et quinque testibus civibus Romanis praesentibus, ut evictionis periculum praestetur a venditore. Dicitur autem *evinci* res emta ICtis, quum res alterius ab aliquo, cuius non erat, tertio data vel vendita, a vero domino iudicio repetita per sententiam iudicis ad eam restituendam possessorem condemnantis, vero domino redditur, et per eum aufertur vel abducitur. Et *evictio* est rei emptae, aliave causa acceptae, interposito iudicis decreto, ablatio. Quae vero non emuntur vel venduntur mancipio, in iis periculum evictionis emtor suscipit veteri iure Romano. Hoc clarum est ex Pers. IV, 3, 55, et 63; Ibid. IV, 4, 40, et 113. Sic loquitur venditor ad emptorem, quum venderetur puella pro ancilla, nec mancipio daretur: ideo periculum evictionis erat penes emptorem. At in illis, quae vendita mancipio dabantur, in se suscipit periculum venditor. Cicer. pro Muraen. 2: *Quod si in iis rebus repetendis, quae mancipii sunt, is periculum praestare debet, qui se nexu alligavit, profecto etiam rectius in iudicio Consulis designati, is potissimum Consul, qui Consulem declaravit, auctor*

beneficii populi Romani defensorque periculi esse debebit. Nam mancipio dationem sequebatur traditio nexu, qua tradens se dominum profitebatur, faciebatque se nexum vel obligatum ad evictionem praestandam. Vnde Cicer. in Top. cap. 5: *Abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu aut in iure cessio, inter quos ea iure civili fieri possunt.* Hinc nexum mancipiumque saepe coniunguntur. In lege XII Tabul. *Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita ius esto.* Lib. 7 Famil. ad Curionem: *Attici quoniam proprium te esse dicis mancipio et nexu, meum autem usu et fructu, contentus isto sum.* Et Boëth. in Top. Cic. mancipii res dicit appellatas, quae ita abalienabantur, ut exabalienatio per quandam nexus fieret solemnitatem. Nec frustra Cicero, Consulem comparans cum eo qui mancipio tradit, vocat eum auctorem beneficii P. R. nam idem mancipio dabat; et venditor, quum evictionis periculum in se recipiebat, dicebatur fieri *auctor.* Plaut. Curc. IV, 2, 12. Quod si non satis fidebat ei emtor, et interponeretur fideiussor a venditore, is appellabatur *auctor secundus.* Id quod docetur L. 4 D. de evictionibus: *An is, qui mancipio rem vendidit, debeat fideiussorem ob evictionem dare, quem vulgo auctorem secundum vocant.* Inde *auctoritas* accipitur pro professione dominii, atque exinde rem ut suam vindicandi. Vnde in lege XII Tabul. de Vsu Cap. *Vsus auctoritas fundi biennium esto: caeterarum omnium rerum usus auctoritas annuum esto.* Hoc est: Fundi usus biennium, si quis bona fide possideat alienum fundum, per biennium sine interpellatione domini eo fuerit usus, hoc sit auctoritas, hoc ei sit pro auctoritate et iure dominii in illo fundo; aliarum caeterarum rerum usus annuum, si caeteris

rebus alieni, item quis bona possidens per annum tacente domino fuerit usus, esto auctoritas, valet ei pro dominii titulo. Nam ita explicat Iustinian. in tit. de Vsucapion. is eam rem, si mobilis erit, anno ubique uno, si immobilis, biennio tale usucapiebat. In lege Vatinia apud Gell. *Quod subreptum erit, cuius rei aeterna auctoritas esto*, hoc est titulus dominii ad vindicandum, professio dominii vero domino in perpetuum esto, neque ea potest unquam usucapi. Et iterum in XII tabl. *Cum hoste aeterna auctoritas esto*, id est cum peregrino. Vult enim peregrinum rem sibi traditam ab eo qui dominus non esset, usucapere non posse: sed semper evictioni esse locum. Nam ius illud proprium erat Romanorum civium. Quod si mancipio non dabat venditor, solebat emptor sui periculi causa a venditore duplum aut simplum stipulari: seu cavere ab eo, ut pretium vel simplex vel duplicatum sibi redderetur, si res evicta esset. Varro II de R. R. cap. 10 ait inter alia legitimum praecipue dominum fieri, *si, ut debuit, mancipio accepit ab eo, a quo iure civili potuit.* Deinde addit idem Varro: *Aut si mancipio non datur, solet dupla promitti*; *aut si ita pacti, simpla.* Huiusmodi stipulationis de simpla exemplum est hic vs. 5; Salmas. de Vsur. pag. 208: *Mancipio poscere* Most. V, 1, 43; *Accipere* Menaech. II, 3, 112; Trinumm. II, 4, 19; Cic. I Att. 1: *Agere coepit cum Caninio Satyro de iis rebus, quas eum dolo magno mancipio accepisse de Vario diceret.* Eleganter ille Philosophus: *Vita mancipio nulli datur, sed omnibus usu.* Id est non possidemus vitam, tanquam perpetuam possessionem, sed quam solum utendam accepimus. Et Seneca: *Fortuna nihil dat mancipio.*

Vs. 501. *Eodem ponere et parare*, eodem loco et

ordine habere ac censere, nullo discrimine agere, quae utraque phrasis est Virgiliana II Aeneid. Senec. epist. 108; Virgil. *Semper una ponere morbos et senectutem.* Plautus aliter effert Trinum. I, 2, 166: *Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho*: id est, non me meliorem duco quam illos. Et II, 4, 10. Val. Max. Lib. III, cap. ult. ext. 5: *Metu violentae mortis amicos inimicosque iuxta ponere. Iuxta cum aliquo curare* Trinum. I, 2, 160. Senec. epist. 124: *Nullo modo prodesse tibi possum magis, quam si tibi bonum tuum ostendo, si te a mutis animalibus separo: si cum Deo pono.*

Vs. 513. *Educere liberos*, pro educare, nutrire, alere, frequens Plauto Epid. IV, 1, 34; Mil. III, 1, 55; Mostell. I, 3, 29; Rud. I, 3, ult. Truc. V, 1, 16. Vtitur et Terentius Andria et Adelphis.

Vs. 534. *Facere se ferocem*, significát iactare, venditare se apud aliquem: fingere, simulare, exhibere iracundum, temerarium, et pugnarum cupidum. Mostell. IV, 2, 9: *Facere se fastidiis plenum.* Mil. IV, 2, 42; Pseud. II, 3, 8. Nec minus eleganter Arrius Menander, ICtus lib. 4, §. 18 de R. Mil. *Qui eo animo militiae se dedit, ut sub obtenta militia pretiosiorem se adversario faceret*, id est graviorem ob privilegia militantium.

Vs. 548. *Rem solvere* aiunt eleganti pleonasmo pro solvere simpliciter. Asin. I, 3, 66, infra V, 2, 20; Poen. V, 6, 17; Rud. II, 6, ult.

Vs. 551. *Vmbraticus*, homo urbanus, in umbra agens, opponitur militari, qui plurimum in castris et sub dio versatur. Iuven. *Genus ignavum, quod tecto gaudet et umbra.* Id est urbani, umbratici, qui laborem militiae refugiunt. Columell. I de R. R. *Eos qui sub umbra civitatis intra moenia desides cun-*

clarentur. Sic Trucul. II, 7, 49. Miles vituperans urbanum amatorem, vocat eum moechum, malacum, cincinnatum, *umbraticolam.* Trin. II, 7, 48. Petron. cap. 2: *Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat,* id est Scholasticus. Tacit. IV Ann. *Studia in umbra educata.* Gell. III, 1: *Vmbratica negotia.*

Vs. 557. *Vocata res*, est formula excusandi se apud invitantem, quod iam alii promiseris. Stich. III, 2, 18: *Coenabis apud me, quoniam salvus advenis.* Ep. *vocata est opera nunc quidem: tamen gratia est.*

Vs. 573. *Linteum extersui*, quod habetur in promptu ad extergendum, seu quo ad extergendum utimur. Eleganti ellipsi verb: substant. simili brevitate et syntaxi, Senec. II de Ira 24: *Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui, aut turbatus torus, aut mensa neglegentius posita*: id est aqua destinata ad bibendum. Vide Not. Gron. ad h. l. Tacit. de Mor. Germ. *Potui humor ex ordeo, aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus.* Perinde est ac si diceret, bibunt humorem, vel potus illis est humor. Ibid. *Victui herba, vestitui pelles, cubili humus*: id est vescuntur herbis, vestiuntur pellibus. Apul. I Metam. *Ac simul e promptuario oleum unctui, lintea tersui, et caetera profer. Signum receptui*, quod datur in proelio militibus, ut a pugna se recipiant. Senec. I de Ira cap. 10; Cic. XIII Philip. 7. *Argentum foenori* Most. III, 1, 1; *Navigium commeatui* Horat. Art. vs. 333; *Semen satui* Cato de R. R. cap. 5; *Oleae esui* Varro de R. R. I, 60; *Centones pueris* Cato de R. R. cap. 10. Et ibidem cap. 5: *Vinum familiae.* Et 105: *Opercula doliis.* Liv. lib. II, cap. 37: *Sumtus funeri defuit ei.*

Vs. 580. *Centuriatum esse expuncto in manipulo,*

per allegoriam est mirifice deceptum, et spe sua fraudatum esse. *Centuriare militem* est conscribere, vel in centurias describere, aut distribuere. Mil. III, 2, 3: *Si bene centuriati sunt manipulares mei.* Liv. X, 21; id. XXV, 15. Apud eundem *convenire ad centuriatum* dicuntur milites, quum convocantur ut centurientur, seu in centurias describantur. Lib. XXII, 38: *Milites tunc ..... coniurabant.* Cic. post Redit. ad Quirit. V. Cornutus in Satyr. I Pers. ad illud, *Proximus impello*: *Metaphora a bello, in quo cadente, qui primus est, succenturiatur, id est subrogatur alius, cui mortuo secundus succedit.* At *expungere manipulum*, vel *militem*, est exauctorare, a militia dimittere: quod tum nomina eorum e catalogo, vel laterculo, vel matricola, vel breviculo (tot enim vocabulis appellabant) eradebantur aut delebantur, quod est *expungere.* Schol. Vet. Pers. ad Sat. II, 13: *Proximus expungam.* Proprie foras mittam, inquit: *Tractum a militibus qui expuncti dicuntur, quum a militia dimittuntur.* Et Prop. item et Suet. Claud. XV. Vide ibi Torrent. Dicit Claudium recognovisse decurias equitum, et delevisse eorum nomina, iudicandique onere liberasse eos, qui iustas excusationes haberent. Simpliciter igitur est sensus: nomen alicuius, quasi militaturi, relatum esse inter eos, qui sunt deleti et exauctorati. Perinde ac si dicam, invitatum esse aliquem ad coenam, quae iam sit consumpta.

Vs. 616. *Licetne antestari?* Formula iuris antiqui, qua qui in ius vocatum et ire detrectantem vi tracturus erat, obvii cuiusque civis aurem tangens utebatur, in quibus erant haec verba ex Lege XII Tab. *In ius vocatus ni eat, antestatus im* (id est eum) *capito*: *Si calvitur pedemve struit, manum endo-iacito,*

Persa IV, 9, 10: *Illic apud praetorem dicam: sed ego in ius voco. P. Nonne antestaris? S.A. Tuan' ego causa, carnufex, cuiquam mortali libero aureis atteram?* Eandem formulam et morem egregie exprimit Horat. I, Sat. 9, vs. 76: *Casu venit obvius illi Adversarius, et, quo tu turpissime? magna Exclamat voce: et, licet antestari? ego vero Oppono auriculam: rapit in ius: clamor utrimque* etc. Vbi Acro vetus Scholiastes: *Antestari, id est teste uti, quod iudicii causa volo manum iniicere. Nam haec erat consuetudo: Si quis vadato non paruisset, ei adversarius aliquem de praesentibus antestabatur, id est, tangebat eius aurem, et dicebat, licetne antestari? Si respondisset ille, licet: tunc iniicebat vadatus manum in eum, qui non paruisset, et ducebat in iudicium. Aliter si iniecisset manum, iniuriarum poterat accusari.* Pers. IV, 9; Poen. V, 4, 59. Aurem autem tangebant, quia in illa erat memoriae sedes. Plin. IX, 45: *Est in aure ima memoriae locus, quem tangentes antestamur.* Hinc aurem vellere et admonere, Virgil. ecl. VI, 4: *Quum canerem reges et proelia, Cynthius aures Vellit et admonuit.*

Vs. 640. *Spectacula* dicitur interdum pro structura theatri vel subselliis, in quibus sedentes ludos spectant, quum alias ipsi spectacula audiant, ut hic: *Exoritur ventus turbo, spectacula ibi ruunt.* Liv. I, 33: *Loca divisa patribus equitibusque, ubi spectacula* (id est sedes ad spectandum) *sibi quisque facerent: fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes.* Suet. Calig. XXXI et XXXV: *Ingressum spectacula*, id est theatrum. Festus in *forum: Fori significant Circensia spectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus.*

Vs. 675. *Ad praetorem solvere*, significat ita sol-

vere, ut nihilo ditior sit creditor, sive id fiat per cessionem bonorum, et bonam copiam eierando, sive per periurium, diffitendo aut inficiando debitum, quod dicebant *abiurare debitum*, de quo et inferius. Vtrumque autem fiebat apud Praetorem. Supra V, 3, 5: *Clamore hominem posco; ille in ius me vocat.* (Scilicet ex lege: *si quis carmen occentassit*, de quo supra) *Pessime metui ne hodie apud praetorem solveret*, id est aut pauperiem iuraret, aut debitum abiuraret. Hac ipsa scena vs. 44, et act. III, vs. 6.

Vs. 682. *Cum catello accubare*, ponitur pro iacere vinctum cane aut catenis. *Catella* vel *catellum* diminutivum a *catena*. Festus: *Catulus, genus quoddam vinculi; qui interdum canis appellatur.* Casin. II, 6, 37: *Taceo, deosque quaeso. CH. Tu ut quidem hodie canem et furcam feras.* Lucill. *Cum* manicis, *catulo, collarique, ut fugitivum deportem.*

Vs. 683. *Robustus carcer*; genus areae factae de robore, vel durissimo ligno, cui per membra quaedam inclusi attinebantur in carcere noxii, et quo praecipitabantur perituri. Cic. pro Milon. XXII: *Subito arrepti in quaestionem, tamen separantur a caeteris, et in arcas coniiciuntur, ne quis cum his colloqui possit.* Festus: *Robur in carcere dicitur locus is, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robustis includebatur, ut in robore ac tenebris exspiret.* Liv. XXXVIII, 59: *Vt in carcerem etc.* ubi vide Sigonium. Tacit. IV Annal. 29: *Simul vulgi rumore territus, robur et saxum, aut parricidarum poenas minitantium.* ubi omnino videatur Lipsius. Apul. Apolog. *O mirum commentum! o subtilitas digna carcere et robore!* Plautus vocat *robustum codicem* Poen. V, 3, 34. (Nam *Robustum* proprie factum est ex robore. Vnde apud Varronem *robusta*

materia, apud Catonem, *robustos stipites*). Propert. lib. IV, el. 7: *Codicis immundi vincula sensit anus.* *Tabulam* Colum. VII, 8. At de supplicio, cuius etiam meminit Festus, Val. Max. VI, 3: *Familiares Gracchorum de robore praecipitati sunt.* Lucan. II: *Saeva tribunitio maduerunt robora tabo.*

EPIDICVS

Fab. vs. 6. *Adventoria*, vel adventitia (*viatica* Bacch. I, 1, 61) dicebatur proprie coena vel convivium, quo amicos aut hospites peregre redeuntes solebant excipere, gaudium suum contestantes, ex more, quem innuit auctor hic; I, 1, 5; Most. IV, 3, 12; Bacch. II, 2, 8. Eodem alluditur iterum Bacch. III, 6, 8; Stich. III, 2, 17; Curcul. IV, 4, 6. Nam *adventores* iidem qui hospites. Trucul. I, 2, 2, et II, 7, 56. Hinc eleganter munus, quod advenienti offertur, dicitur *adventoria*. Mart. lib. XII Praefat. *Vt familiarissimas mihi aures tuas exciperem adventoria.* Suam intelligit hanc ipsam dedicationem, vel librum, quem inscribit Paulo, ut ante dixerat, ab urbe advenienti. Petron. introducit Eumolpum, quum in porticu publico versibus recitatis a spatiantibus lapidatus esset, dicentem: *Quoties theatrum, ut recitem aliquid, intravi, hac me adventitia excipere frequentia solet. Frequentia* hic significat coetum hominum frequentium. Sic *viaticam coenam* dicebant, quam dabant discedentibus. Bacch. I, 1, 62. Sic *aditiales coenas* dicebant, quae dabantur in aditu et auspicio sacerdotiorum et honorum. Senec. ep. 95: *Et toties tamen sestertio aditiales coenae frugalissimis viris constiterunt.* Plin. lib. XXIX: *Catulinam aditialibus quidem celebrem epulis fuisse, Plauti Fabulae indicio sunt.* Qui tamen locus Plauti hodie non exstat. Varro III de R. R. 6: *Primus Q.*

Hortensius pavones augurali aditiali coena posuisse dicitur. Id est in convivio, quod praebuit auguribus, quum ipse recens augur creatus esset. Sic Faber, Lipsius, Gruterus. At Scaliger mavult *adiiciales*, nam utroque modo in vett. libris scribitur, quod inaugurandi alicuius gratia, et propter aliud quid, caeterae festivitati et laetitiae publicae coena adiiciebatur. Vt apud Tacitum: *Rescuporis sanciendo, ut dictitabat, foederi convivium adiicit.*

Vs. 13. *Adipisci aliquem*, significat adsequi, vel attingere aliquem praegredientem, vel praecurrentem. Liv. XXVII, 2: *Marcellus, ubi lux hostium fugam aperuit, sauciis cum praesidio modico Numistrone relictis praepositoque his Tribuno militum, vestigiis institit sequi. Ad Venusiam adeptus eum est.* lib. XXXVII, 43: *Toto passim campo sequuntur hostem, et postremos, ut quosque adepti sunt, caedunt.* Lib. XXXI, 43: *Regius praefectus Dardanos recipientes se in fines adeptus, postremum agmen primum turbavit.*

Vs. 18. *Pugilice atque athletice valere*, et Bacch. II, 3, 14: *Pancratice atque athletice valere*, significat optima valetudine esse. Etenim ad certamina athletarum sana inprimis et robusta corpora requirebantur, ipsaque illa exercitatione saniora et validiora reddebantur. Strabo lib. VIII, 6 de Crotone: *Videtur urbs ea et bellicis rebus studuisse et athleticae, una enim Olympiade septem viri, qui stadio vicere, omnes Crotoniatae fuerunt, ut non iniuria dictum esse videatur,* διότι Κροτωνιατῶν ὁ ἔσχατος πρῶτος ἦν τῶν ἄλλων Ἑλλήνων. id est *Crotoniatarum postremum, caeterorum Graecorum esse primum.* Inde quoque dictum aiunt, proverb. Κρότωνος ὑγιέστερος, id est *Crotone sanior.* Quod ex athletarum multitudine colligeretur, locum istum ad sanitatem ac fir-

mam corporis constitutionem habere aliquid conducibile. Plin. II, 96: *Crotone pestilentiam nunquam fuisse, nec ullo terrae motu laborasse notatum est.* Quint. Lib. XII: *Athletarum corpora validiora fieri exercitatione et lege quadam ciborum.* Nam et ea de causa delecto, robustiore, et demenso victu utebantur, quam ἀναγκοφαγίαν appellat Aristoteles in Politicis. Iterum Quintil. *Sicut Athletae remissa quibusdam temporibus ciborum atque exercitationum certa necessitate, otio et iucundioribus epulis reficiuntur.* Hinc *athleticum victum* pro valido dixit Corn. Cels. lib. IV: *Si malum inveteravit, athletico victu corpus firmandum est.*

Vs. 20. *In vidulo* aut *melina adferre.* Vidulus significat sacculum vel bulgam scorteam, in quam peregrinantes res suas condebant. Menaechm. II, 2, 12, et V, 7, 47. Et in Rudente plus decies. De altera voce, quid sit dubitatur. Turnebus *mellinam* scribit, et explicat lagenam mellinae, vel oenophorum, ex illo Persii: *Iam pueris pellem succinctus et aenophorum aptas*, id est iam accingis te ad navigandum, et accommodas sarcinas pueris, veluti vidulum, scorteum, et oenophorum. Est autem *mellina* potio confecta ex melle. Pseud. II, 4, 51: *Habet murrhinam, tum passum, defrutum, melinam, mel cuiusmodi.* Huius deminutivum *mellilla* in Cas. I, 1, 47 exstat. Scaligeri in Varron. de R. R. pag. 229. μηλωτὴ, pellis ovilla est. Hinc *melinum*, et ab illo omne scorteum vocabant *melinum.* Vnde apud Plaut. *melina*, est scortea mantica vel coactilis e corio. Sic ille. Sed forte optimum est *melinam* dici *a meles* ut a *feles*, *felinus*. *Meles* est catus silvestris. Varro lib. III R. R. cap. 12, *praecipit* septi leporarii macerias tectorio induci, *ne feles aut meles, aliave quae bestia introire possit.* Martial. X, 37: *Ve-*

nator capta mele superbus adest. Nam et hoc animal venabantur. Vnde est apud Nemesian.

Felemque minorem
Arboris in trunco longis praefigere telis,
Implicitumque sinu spinosi corporis erem.

Vtitur et Plinius et Solinus.

Vs. 23. *Ius dicere* non accipitur ut vulgo, scilicet quum de praetore vel magistratu loquimur, sed pro eo quod est vulgatum, dicis quod aequum et iustum est, quod rationem habet. Sic *ius orare* Trin. V, 2, 37; Sic et *ius est*, pro aequum vel iustum, Cist. I, 1, 22; Pers. I, 3, 26.

Vs. 56. *Ab legione*, dictum est pro ab exercitu, e castris, e bello, et infr. act. II, sc. 2, 23; Most. I, 2, 48: *Ad legionem quum itant*, id est ad exercitum, vel ad bellum. Et ratio est, quia exercitus romani antiquitus constabant ex singulis legionibus. Legio autem erat prius trium millium, deinde quatuor, deinde sex. Amph. Prol. 133.

Vs. 80. *Montes mali*, pro maximis calamitatibus et malis; Most. II, 1, 5; Mercat. III, 4, 32. Sic *montes frumenti*, pro maximis acervis, Pseud. I, 2, 55; *Argenti* Mil. IV, 2, 73; Terent. Phorm. *montes auri pollicens.* Et Sallust. *Maria et montes polliceri*, id est ingentia commoda et praemia. Sic apud Lucill. *Montes tempestatis*; et *mons aquae*, apud Virgil. Ovidiumque: *Quanti montes volvuntur aquarum.* Trist. lib. I, eleg, II, vs. 19.

Vs. 110. *Differri clamore, maledictis, fama*, est idem quod discerpi, lacerari, vexari: sic Aulul. III, 2, 32; Pseud. I, 3, 125; Trin. I, 2, 149; Cist. II, 1, 5; Mil. IV, 4, 27. Id est cruciari. Terent. Andr. II, 3, 5. Et alibi *differri doloribus.*

Vs. 131. *Desipere mentis*, ponitur pro desipere simpliciter, vel non sapere mente. Elegans pleonasmus. Symmach. *Num vobis videor multa luxuria ebrius mentis desipere, atque adeo in Poëtas nomen dedisse.* Et oppositum *consipere mente*, pro constare; suae potestatis et mentis esse, apud Liv. lib. VI, 42: *Romani ex arce plenam hostium urbem cernentes, quum alia atque alia parte nova clades oriretur, mentibus solum consipere, sed ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant.* Gellius, adferens fragmentum ex oratione Catonis, VII, 3: *Vereri se ostendit, ne patres gaudio atque laetitia rerum gestarum prospere de statu mentis suae deturbati non satis consiperent.* Syntaxis autem eadem est, quae infra II, 2, 55: *Nec sermonis fallebar tamen.* Et III, 1, 6: *Absurde facies, qui te urges animi.* Et III, 3, 8: *Excruciare se animi*

Vs. 132. *Piacularem fieri ob stultitiam alterius*, significat luere, quod alius peccavit. *Piaculum* est dirum et abominandum scelus, verbo Iuvenalis, *grande nefas et morte piandum.* Truc. II, 1, 13; vel expiationem, seu piaculare sacrificium, quod fit expiandi eius causa, qui facinus in se admisit; qui facinore se impiavit, ut loquuntur veteres, in quo victima patitur, quod commeruerat ille, qui eam, ut statim loquitur Plautus, *sibi subdit succedaneam.* Videatur, vel Scaliger potius ad illum, Plin. III, ep. 9: *Ne potentissimi, vilissimo quoque quasi piaculari dato, elaberentur.* Liv. XXXVII, 45. Id. XLV, 18: *Grata eorum oratio fuit, qui Decimio in auctoribus ad piaculum noxae obiiciendis adsensi sunt.* Idem IX, 39: *Expiandum id bellum magna mercede, luendumque esse.* Senec. Praefat. V Controv. Liv. lib. I: *Quaeque piacula irae Deûm essent, ipsos Deos*

consulendos esse. Plin. XXVIII, 1. Cato CXL: *Porco piaculo facto, sic verba concipito: Si Deus, si Dea es, cuius illud sacrum est, uti tibi ius siet, porco piaculo facere, illiusve sacri coërcendi ergo.* Hoc facto proprie dicebatur ille, qui admiserat facinus aut ipsum etiam facinus piari vel expiari, hoc est, piaculo solvi, poena liberari. Liv. XXXI, 12: *Ac piacularia, si videretur, sicut ante pontifices censuissent, fieri causa expiationis eius templi.* Apud Petron. qui anserem Priapo sacrum occiderat: *Expiare manus pretio licet, si vos provocassem.* Denuo Liv. lib. XXIX: *Ad collegium pontificum relatum de expiandis, quae hoc in templo Proserpinae violata elataque inde essent.* Quia autem in locum peccantis succedebat hostia vel sacrum, ideo etiam *subiici* dicebant. Lex Numae: *Si quis hominem sciens dolo morti duit, parricida esto, si imprudens sine dolo malo occidit, pro capite occisi agnatis eius in concione arietem subiicito.* Quo volebant, si quis imprudens hominem occidisset, ut pro capite occisi agnatis eius in concione arietem offerret: qui caesus in locum imprudenter occidentis, quasi luiturus, substituebatur. Vide Fulv. Vrsin. ad Caesar lib. IV, p. m. 232. Festus: *Subiicere arietem esse, ait Antistius, dare arietem, qui pro se agatur, ut caedatur: quod fit, ut ait Cincius in libro de officio Iurisconsulti, exemplo Atheniensium, apud quos expiandi gratia aries exigitur ab eo, qui scelus admisit, poenae pendendae loco.* Huc allusit Cicer. in Top. cap. XVII: *Ex quo ille aries subiicitur in vestris actionibus: Si telum manu fugit magis, quam iecit.* Quod sic interpretatur Boëthius: *Vnde etiam machinamentum quoddam defensio in ICtorum responsionibus invenitur hoc modo: si telum manu fugit, magis quam iecit: nam si quis caedis accusatur,*

optima solet esse defensio, si alia non suppetit, fugisse telum, manu magis quam iacere voluisse, ac non voluntati, quae condemnatur in culpis, sed ignorantiae factum tribuitur. Ergo ille aries subiicitur: haec defensio paratur: haec depulsio accusationis et homicidii et quasi expiatio: sic evadit, fortuna et casu in sui locum substitutis, qua accusatur. Eodemque modo et caeterae phrases huc pertinentes transferuntur, ut hic apud Plaut. *piacularem fieri*, quod propriè de victima dicitur; sed translate de quovis, qui alterius culpam luit. Plin. III, ep. 9. Liv. lib. XXIX: *Si nunc et saepe alias Dea suam sedem suumque templum aut tutata est, aut a violatoribus gravia piacula exegit*, id est poenas supplicii. Liv. XLIII, 10: *Vt auctores dederentur ad caeteros noxa liberandos et expiandos.* Sic ipsum verbum *piare* et *expiare*, quamquam prius poëticum est. Virg. II Aen. 14: *Culpas miserorum morte piabunt*, id est luent. Propert. III, eleg. 3: *Crassos cladesque piate*, id est ulciscimini. Nam et qui patitur et qui exigit, dicitur *piare*. Plaut. Menaech. II, 2, 17: *Iube te piare de mea pecunia.* Et quia piando delicta, placabantur Dii, ideo *piare* Plautus adhibet pro placare. Asin. III, 1, 3: *Vbi piem pietatem, si isto more moratam tibi postulem placere.* At *expiare* frequentissimum est apud antiquos, eleganter translato usu. Liv. XXXVII, 45, habet legatorum Antiochi verba ad Romanos: *Non tam, quid ipsi dicamus, habemus, quam quod a vobis quaeramus, Romani, quo piaculo expiare errorem Regis, pacem veniamque impetrare a victoribus possimus;* id est, quomodo satisfacere pro errore regis possimus. Senec. III de Ira cap. 2: *Quid est, quare ego servi mei clarius responsum, et contumaciorem vultum, et non pervenientem usque ad me murmurationem, fla-*

gellis et compedibus expiem? Id est, propter responsum clarius, aut vultum non submissum coram domino, flagellis caedam meum servum, et compedibus vinciam. Plin. lib. XXXII, quum narrasset luxum quendam R. lectos et triclinia argentea, etc. *Quae omnia expiarit bellum civile Sullanum.* (Sic apud Liv. *irae inexpiabiles*, id est implacabiles, quae non possunt sine alterius exitio componi, *bellum inexpiabile*, lib. XXXI, 12) Luxum populi Romani *expiare* solent bella, id est, punire.

Vs. 137. *Sol occasus*, est qui occidit, seu ante solis occasum, ut vulgo loquimur. Sic in leg. XII Tab. *Sol occasus suprema tempestas esto*, quo indicatur, post occasum solis cessare iudicia, nec causis cognoscendis operam ultra dari. Plebiscitum Praetorium: *Praetor urbanus, qui nunc est, quique posthac fuat, duos lictores apud se habeto: isque supremum ad Solem occasum ius inter cives dicito.* Menaech. V, 7, 33. A. Gell. II, 3: *Athenienses autem aliter observare, idem Varro eodem libro scripsit, eosque a sole occaso ad solem iterum occidentem omne id medium tempus unum diem esse dicere.* Idem XVII, 2, quum ex Claud. Quadrigarii Annalibus citasset: *Sole occaso: non insuavi*, subiicit, *venustate est, si quis aurem habeat non sordidam ac proculcatam.* Apud Eund. est *Sol meridies* pro meridianus II, 3: *Magistratus, quando una die eis auspicandum est, et id, super quo auspicaverunt, agendum, post medium noctem auspicantur, et post meridiem solem agunt.*

Vs. 168. *Efferre*, κατ' ἐξοχὴν, sepelire, ferre ad funus faciendum. Sic Asin. III, 3, 25, duo amantes se invicem complexi dicunt: *Vtinam sic efferamur.* Aul. III, 6, 31; Most. IV, 3, 8. Formula antiqua, qua

praeco indicebat funus: *L. Titius vixit. L. Titio exequias ire cui commodum est, hem tempus est, ollus ecfertur*, pro, ille effertur. Vide Weytz. ad Terent. p. 31.

Vs. 176. *Avi sinistra exire*, aliquid ordiri secundis auspiciis, bonis ominibus. Cic. lib. III de Legib. loquens de Dictatore creando: *Isque ave sinistra dictus populi Magister esto.* Idem II Divinat. *Quamquam non ignoro, quae bona sunt, sinistra nos dicere.* Varro VI de L. L. *Ea dicta ab scaeva id est, sinistra: quod quae sinistra sunt, bona auspicia existimantur. A quo dicuntur comitia, aliudve quid fieri ave sinistra.* Alludit Plin. Paneg. cap. V: *Nam caeteros principes aut largus cruor. . . . nunciavit.* Hippocrates de Diaete: Οτι οἱ μάντεις τὸν ἀυτὸν ὄρνιθα, εἰ μὲν ἀριστερὸς ἔιη, ἀγαθὸν νομίζουσιν εἶναι, ἐι δὲ δεξιός, κακὸν. Id est, *avem eamdem vates, si sinistra est, bonam existimant esse, si vero dextra, malam.* De ratione dissentiunt veteres. Festus eam ex ipsius vocabuli sono petit: *Sinistrae aves, sinistrumque et sinistimum auspicium, quod sinat fieri.* Varro lib. V epist. quaest. ait: A *Deorum sede, quum meridiem spectes, ad sinistram sunt partes exorientes, ad dextram occidentes; factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia quam dextra existimentur.* Servius ad II Aen. LXV: *Intonuit laevum, sinistrum, prosperum, quia coeleste est, sinistrum autem a sinendo, quantum ad auguria pertinet, quod nos agere aliquid sinant: unde alibi: Si quem numina laeva sinant: Sinistras autem septentrionales partes esse augurum disciplina consentit, et ideo ex ista parte significantiora esse fulmina; quoniam altiora et viciniora domicilio Iovis.* Idem ad lib. IX, 46: *Vbi item coeli Genitor de parte serena intonuit laevum, prosperum: ut enim supra diximus, quae sinistra nobis videntur intuenti-*

bus coelum, *illis dextra sunt: non quod sinistra bona sunt*, *sed quod dextra coeli nobis sinistra sunt.* Plura Meurs. Misc. X, 151.

Vs. 189. *Medicinae*, adiective, τὰ ἰατρεῖα, Medicorum tabernae, Amph. IV, 1, 5; Menaechm. V, 7, 3; Donat. in Adelph. IV, 2: *Veteres absolute dicebant pistrinam*, *sutrinam*, *et Medicinam*, *ad Tabernam referentes. Medicinae* vero nomen adiectivum est, et subintelligitur substantivum, quod vel artem significat, vel locum. Artem, quum subintelligitur *scientia*; locum, quum subintelligitur *officina* vel *taberna*. Plin. *Hippocrates clarissimus scientia medicina.* Hygin. fab. CXLVII: *ne quis servus artem medicinam disceret.* Dict. Cret. lib. I, cap. 14 de Bello Troi. *Podalirius et Machaon Thracenses Aesculapio geniti*, *acciti ad hoc bellum ob solertiam medicinae artis.* Est enim a *medico medicus medicinus*; ut a *pistor*, *pistorius*, *pistrinus*; a *sutor*, *sutorius*, *sutrinus*; *textor*, *textorius*, *textrinus*: quae omnia natura sua adiectiva sunt, licet vulgus Grammaticorum voces medicina, pistrinum, tonstrina, textrinum, quae saepe apud probos auctores inveniuntur, pro substantivis accipiat. (Sciopp. Parad. Liter. ep. V).

Vs. 268. *Argento praestinare* et *destinare*, est idem quod emere. Capt. IV, 2, 68; Pseud. I, 2, 36. Festus: *Praestinare apud Plautum est emere*, *et emendo tenere.* Apul. I Metam. *Comperto admodum commodo pretio distrahi*, *festivus adcucurri*, *omne praestinaturus.* Sic etiam *destinare* Most. III, 1, 112; IV, 2, 58; Pers. IV, 3, 72; Rud. Prol. 45; Lucil. *Ad lenonem venio*, *tribus in libertatem millibus destinor.* Quod *emere in libertatem* hac scena dicit Plautus vs. 92.

Vs. 274. *Vive sapere*, significat excellenter, aut

admodum sapere. Sic *vivus*, pro eo quod alias *vividus* dicunt, positum est, estque acris, vegetus, vehemens. Virg. I Aeneid. 721: *Et vivo, tentat praevertere amore iampridem resides animos.* Vbi Servius: *Vivi hominis, aut certe vehementis.* Lucret. lib. VI:

Nimirum quia sunt in aqua permulta vaporis
Semina, de terraque necesse est funditus ipsa
Ignis corpora per totum consurgere fontem:
Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri fons:

Non tam viva ignis corpora, id est, non tam ardentia, non tantam vim habentia, ut totum fontem calefacere possent.

Vs. 286. *Emere rem quanti potest minimo*, Syntaxis notabilis, pro quanti quum emta sit, minimo pretio emta censeatur. Sic Vlpian. L. 11 D. de act. emt. et vendit. idem ait *non tradentem, quanti intersit condemnari; scitis autem non dantem, quanti plurimo auctorem periclitati oportet*, id est, quanti periclitari oportet eum, quum plurimo periclitetur damno, ut interpretatur Budaeus

Vs. 289. *Occupare argentum*, opponitur τῷ in arca clausum servare et cumulare: estque aut foenori locare, aut mercibus, agris, aedibus emundis impendere. Plin. VIII, ep. 2; Pomponius Pictoribus: *Quae tuleram mecum millia decem victoriatum, illico curavi ut occuparem.* Cic. lib. II in Verr. 36: *Malleolus in provinciam sic copiose profectus erat, ut domi prorsus nihil relinqueret. Praeterea pecunias occuparat apud populos et Syngraphas fecerat.* Id est foenori collocaverat acceptis syngraphis. Idem pro Flacc. XXI: *Adduxisti Temno Apollonidem, pecuniam adolescentuli grandi foenore, fiducia tamen accepta, occupavisti.* ubi *fiducia* significat pignus, seu hypothecam, de

qua ad Cic. in eadem Orat. *Quum ipsi gravi foenore istam pecuniam multos annos occupavissent.* Colum. I R. R. 8, p. 178: *Neve negotietur sibi, pecuniamque Domini aut animalibus aut rebus aliis occupet.* Ibid. pag. 418 fin. *Pecuniam Domini neque in pecore, neque in aliis rebus promercalibus occupet.* E contrario *otiosa pecunia* est, quae domi in arca conclusa sterilis iacet. Plin. X, ep. 62: *Pecuniae publicae et iam exactae sunt, et exiguntur, quae vereor ne otiose iaceant*, id est non exercitae.

Vs. 348. *Auctorem dare alicui ad aliquam rem*, adiungere alicui alium, qui auctoritatem suam negotio accommodet, caveatque, ac provideat, ut recte geratur: sive cuius auctoritate res geratur. Sic tutores, curatoresque, sic patres dicuntur fieri auctores. Cic. pro Flacc. cap. XIII: *Praeclarus iste auctor suae civitatis.* Loquitur de eo, qui erat legatus a civitate. Et iterum cap. XXIII: *Si hunc habent auctorem doloris sui, si hunc custodem literarum, si hunc testem iniuriae, si hunc auctorem querelarum*, quas scilicet ille explicet populo Romano, et auctoritate sua confirmet. Sic in rebus, quae a pupillis aut minoribus geruntur, leges et ICti requirunt auctoritatem tutorum et curatorum: atque hi illis *auctores fieri* dicuntur. Sic *defugere auctoritatem*, est negare aliquid factum se approbante, suadente, ratum habente factum. Poen. I, 1, 19: *Si auctoritatem postea defugeris*: id est, si negaveris te auctorem fuisse et permisisse. Terent. Eun. II, 3, ult. *Iubeo, cogo, atque impero: nunquam defugiam auctoritatem*, id est, nunquam inficiabor, me auctore atque impulsore hoc a te factum. Cic. pro Sull. *Attende iam, Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem consulatus mei*, id est, quam ego et nunc

probare audeam, quam me non poeniteat illorum, quae tum Consul gessi. Vulgo male utuntur, quasi esset *defugere auctoritatem alicuius*, non obsequi, aut non facere, quorum quis nobis auctor fuerit.

Vs. 388. *Suppetere*, interdum est idem quod succedere, evenire, expetere. Asin. I, 1, 41; id est, non succedunt. Pseud. I, 1, 106; id est, utinam res sequatur facta.

Vs. 394. *Divertere* ponitur pro differre, diversum esse.

Vs. 398. *Praemercari aliquid alicui*, est antevertere aliquem volentem emere, eamdem rem mercando. Vtitur eodem verbo, eodemque sensu in Arg. II Mercat. *praemercatur ancillam senex.*

Vs. 413. *Advocati* tempore Plauti et Ciceronis non tam dicebantur causidici et patroni causarum, quam qui amicis iudicio periclitantibus, consilio, gratia, supplicando, aut quavis alia opera, aderant: tum qui in alia re privata testes consiliariique essent, eique praesentiam commodarent. Ascon. in Divin. p. 20: *Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico; aut procurator, si negotium suscipit* (absentis sc.) *aut cognitor, si praesentis causam novit, et sic tuetur ut suam.* (Ante Neronis saeculum nunquam factum, ut *advocati* nomen pro patrono sumeretur. Seneca tamen manifestissime distinguit. Et quia in Declamat. Quintil. hoc non observatur, plane negant docti esse Quintiliani. Vide Nic. Fabr. ad X Controv. p. 547). Sic accipitur ea vox Casin. III, 3, 5: *Dum asto advocatus cuidam cognato meo.* Hinc *advocatio*, coetus amicorum coactorum ad opem favoremque praestandum amico periclitanti in iudicio. Cic. pro Quinct.

Nihil hic tanto negotio, nihil tam invidioso iudicio, nihil tam copiosa advocatione uterer, si petendum esset: extorquendum est ab invito et ingratiis, qui non debet. Liv. III, 47: *Sordidatus filiam se cum obsoleta veste, comitantibus aliquot matronis, cum ingenti advocatione in forum deducit.* Quippe hominum vel peritorum iuris vel auctoritate, opibusque pollentium comitatus et studium reum vel actorem favorabilem faciebant. Immo et *advocati* extra iudicium, quos negotio, velut testes et arbitros, auctoresque adhibemus. Amph. IV, 3, 3; Men. V, 2, 47; Mil. V, 17; Poen. III, 1, 3, et 28, et saepius; Stich. III, 1, 12; Rud. III, 6, 52. Terent. Eun. IV, 6, 6: *Volo ego hic adesse advocatos nobis in turba hac.* Hoc proprie dicebatur *adesse* et *superesse.* Vide Gell. I, 22; Terent. prolog. Andr. *Favete, adeste aequo animo*: ubi Donatus: *Adeste, animis scilicet, auxilia praebete.* Et *advocatus* reo dicitur adesse. Suet. Aug. cap. 56: *Adfuit et clientibus, sicut scutario cuidam, advocato quondam suo, qui postulabatur iniuriarum*; pro quo alii *superesse*, *assistere*. Horat. Serm. II: *Ante secundam Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras*, id est, advocatus esses causam dicturo ad Puteal Scribonis, quae ara erat in comitio, ubi iudices iurabant, se ex lege iudicaturos et caste iudicia exercituros. De quo et egregiam narrat historiam, quae et ad hunc ritum, et ad hoc loquendi genus pertinet, Macrob. II Sat. 4: *Veteranus, quum die sibi dicto periclitaretur, accessit in publico ad Caesarem, rogavitque ut sibi adesset. Ille advocatum, quem ex comitatu suo elegerat, sine mora dedit, commendavitque ei litigatorem. Exclamavit ingenti voce veteranus: At non ego, Caesar, te periclitante Actiaco bello, vicarium quaesivi; sed pro te ipse pugnavi: detexit-*

que impressas cicatrices. Erubuit Caesar, venitque in advocationem.

Vs. 422. *Vndare*, dicitur eleganti translatione, quisquis undarum instar intumescit, movetur, et fluctuat. Sic Virg. *undantes habenas*, pro quassatas et quasi undatim crispantes, dum ab auriga moventur. Et *undantem cytharo buxum. Et undantem ruptis foraminibus fumum.* Senec. Troad. *Nec coelum patet undante fumo.* Salvian. *Exundantes ignium globos.* Porro ut Plautus chlamydem quassando undantem facere desuper incessu militis dicit, sic *fluctuatim ire* eodem sensu est apud Afranium; in Pompa: *Tene tu, in medio nemo est, magnifice volo fluctuatim ire ad illum*, quod Nonius explicat, iactanter et solute.

Vs. 441. *Centones sarcire*, proprie est vestis ruptae atque detritae frusta consuere. Nam *centones*, quod alias *panni*: quum *pannis obsitum* et *pannosum* pro male vestito et mendico d cimus. (Naevius Tabellaria: *Qui uxorem habet sine dote, pannum positum in purpura est.* Pannuceata, comoedia Pomponiii, Nonius in Trudus cap. I, sect. 68). Terent. Eunuch. II, 2, 5: *pannis annisque obsitum.* Senec. Ep. XX, ad eum qui paupertatem laudat: *Magnificentior sermo tuus in grabato videbitur et in panno: non enim dicentur tantum illa, sed probabuntur.* Vtrumque enim, grabatus et pannus, pauperiorum. Titinnius .Velterna: *Tunica et togula obuncula adimetur, pannos possidebit foetidos.* Asin. I, 2; Apul. III, 13: *Anus alia pannis horridis obsita.* Et lib. IV: *Pannosus alioquin et sordidus*, ibidemq. *paupertinas pannosasque resculas.* Eodem sensu *pannucea*, mendici videlicet vestimentum. Petron. *Pannuceam ne centonibus quidem bonis dignam.* Sic *pannicularia bona* apud Vlpian. tit. XX, l. 6, de Bon. Damn. *Pannicularia sunt ea, quae in cu-*

stodiam receptus secum attulit spolia, quibus indutus est, quum quis ad supplicium ducitur. Interdum, *cento* est paupercula vestis, integra ex centonibus consuta. Vt apud Petron. *Centonem anus urbana reiecit.* M. Cato: *Domi quum auspicamur, honorem me Deûm immortalium habuisse velim. Servi, ancillae, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit.* Vbi significat stragulam vestem, seu stratum vile, in lecto servorum. Sisenn. IV Histor. *Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classe suspensa cilicia obtenduntur.* Translate *suere centones*, et *sarcire centones* dicuntur, qui dicta vel scripta abhorrentia inter se ac male cohaerentia, undique petita, et vel mendacio ficta, vel furto aliis subrepta, componunt et consuunt. Ita hic apud Plautum de milite aliorum facinora bellica sibi aptante et enarrare solito. Posset hac tralatione accipi illud Lucil. XXVIII Salii: *Sarcinatorem esse, suere centonem optime.* Hinc etiam *centones* apud Grammaticos vocari solent, qui de carminibus Virgilii vel Homeri ad opera alia, more centonario, ex multis hinc inde compositis, unum sarciunt corpus ad facultatem cuiusque materiae. Sic Proba Falconia Centonem ex Virgilio de Fabrica mundi, et quatuor Evangeliis plenissime expressit, materia composita secundum versus, et versibus secundum materiam concinnatis. Et sic quidam Pomponius ex eodem poëmate, inter caetera styli sui otia, Tityrum in Christi honorem composuit, teste Isidor. lib. I Orig. cap. 38, pag. 854, lin. 13.

Vs. 579. *Plaustrum perculisse*, proprie est currum rusticum evertisse: tralate vero, rem turbasse, iacturam ingentem fecisse. Donat. ad Terent. Eun. ad

illa verba: *Perculeris tu iam me*, ait esse rusticum proverbium: *Paene plaustrum perculit.* Festus: *Plaustrum perculi dicebant antiqui ab eo, qui pede onusta plaustra perculit*, id est, evertit, quod postea abiit in proverbium. Alii alia adferunt. Sed existimo originem proverbio dedisse, quosdam male sedulos, et, ut ait Horat. *opera vehemente ministros*, qui plaustrum inaequale, et altera rotarum in altiorem orbitam depressa inclinatum, ac tenaciore limo mersum vehentes, ne in eam partem caderet, subeundo, tam fortiter imprudenterque nitebantur, ut ibidem plaustrum in alterum latus everterent. Neque enim Periphanes simpliciter queritur se, ut ille ait Persa V, 2, 5: *vehiculum argenti eiecisse*: sed se, dum sustentare ac suffulcire rem domumque cupit, eamdem adflixisse. Liv. XXXII, 17.

Caperare frontem, est, ut inquit Nonius, rugis contrahere et asperare; tractum a caprorum frontibus crispis. Varro Eumenidibus: *Quin mihi caperatam frontem tuam Strobile omittis.* Festus: *Caperatum, rugosum, a cornuum caprinorum similitudine dicitur.* Caelius Aurelian. II Acut. 3: *Vultus ipse conductus et concurrentibus superciliis caperatus, non aliter quam moestitudine sive luctu videmus oppressos.* Eodem sensu *contracta frons* dicitur Rud. II, 2, 12; Amph. Prol. 52. M. Senec. Prooem. lib. V Controv. *Musa Rhetor, quem interdum audire soletis, licet Mela meus contrahat frontem, multum habuit ingenii*, scilicet ostendat sibi displicere quae dico. Cic. pro Sext. VIII: *Tanta erat gravitas in oculis, tanta contractio frontis.* L. Senec. IV de Benef. 31: *Quum Pollionis attractiorem vidisset frontem.* Et lib. VI, 7: *Vultus tuus colligit rugas et attrahit frontem.* Idem I de Benef. 1: *Quum aliquid a se peti suspicatus est, frontem*

adduxit, *vultum avertit.* Quinctil. X, 3: *Quum tristem forte vidisset*, *interrogavit*: *Quae causa frontis tam adductae.* Prop. II, el. 10:

Nunc volo subducto gravior procedere vultu.

Petronius:

Quid me spectatis constricta fronte Catones?

Senec. epist. CVI: *Vide an vultum nobis mutent*, *frontem adstringant.* *Ducere vultum* Ovid. IV Pont. 8; Apul X Metam. *Senili tristitie striatam gerens frontem.* Nam *stria* est idem quod ruga, plica. Varro I de R. R. 29: *Qua aratrum vomere striam fecit*, *sulcus vocatur.* Apul. lib. II: *aspis squamea*, *cervicis striato tumore sublimis.* Idem in Apol. *Conchulam striatam.*

Vs. 603. *Defloccati senes*, aut sunt quasi detriti, calvi, absumpti aevo et senio, ut in Asin. V, 2, 13. Epid. V, 2, 1. *Decrepitus*, sive quod morti sit propior, *crepera*, id est dubia iam vita: ut et *crepusculum* lux dubia, et extremum diei tempus: sive quod propter senectutem vix amplius movere se, motuve possint facere crepitum, ut Festus, Nonius, Isidorus interpretantur. An potius est translatio a lucerna vel candela, quae ultimum exspirans crepitum edere solet, ut vult Scaliger ad Festum. At Donat. in Terent. Eunuch. II, 1; seu denique *decrepiti* sunt dicti, quorum crepitu et plangore familiae fuerant iam conclamata funera. Aut etiam *defloccati* sunt despoliati, detonsi, depexi, quippe quos argento emunxerat servus. Translatio a vestitu laneo, et quidem pexo sive villoso, in quo *flocci* dicuntur crassiores et exstantiores villi, iique in novis vestibus crebri sunt, in veteribus usu detriti: atque ita proprie *defloccatae* togae, quas *de-*

cotes, ex aliquo sine dubio antiquo comico, appellat Festus dicens: *Decotes togae, detritae*. Nonius: *Defloccare est atterere: tractum a vestibus sine flocco*. Plaut. Casin. *Perii, flocco habebit iam illic homo lumbos meos*. Quod videtur idem esse cum eo, quod Pers. V, 2, 66, *Pervellere nates*. Ab eadem metaph. *depexum*. Terent. Heaut. *Adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut dum vivat, meminerit semper mei*.

Vs. 610. *Vsque ab unguiculo ad capillum summum*. Locutio proverbialis, qua significatur corpus totum ab extremis eius minutissimisque partibus. Petron. *Hoc remedio mutemus colores a capillis usque ad ungues*, hoc est per universum corpus. Cic. pro Rosc. *Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis, totus constare videtur?* Horat. *Talos a vertice pulcher ad imos*. Ammian. lib. XXV de Iuliano: *Ab ipso capite usque ad unguium summitatem lineamentorum recta compage*. Stich. V, 5, 20: *Vt perpruriscamus usque ex unguiculis*: id est, tote corpore sentiamus pruritum et voluptatem. Cic. V de Fin. 27: *Valetudinem, vires, staturam, formam, integritatem unguiculorum omnium*.

Vs. 614. *Pedibus pulmoneis esse, incedere*, significat tardissimo incessu promoveri, sive propter mollitiem pulmonis, quum duri pedes ad currendum sint aptissimi; unde *equi aeripedes* Graecis χαλκόποδες, στερεόποδες, et sic *pedes pulmonei* essent mollissimi, et ad laborem itineris corpusque sustinendum inepti: sive quod motus pulmonis perpetuus sit sine promotione: unde est et proverbium: *Pulmo prius venisset*, in lentos ac cessatores, qui et propterea Καλλιπίδαι dicuntur. Cic. ad. Att. XIII, 12: *Biennium praeteriit, quum ille Καλλιπίδης assiduo cursu cubitum nullum processerit*. Suet. Tib. cap. 38, de illo semper

minitante iter in provincias, neque tamen pedem porta efferente: *Ad extremum vota pro itu et reditu suo suscipi passus, ut vulgo iam per iocum callipides vocaretur: quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, proverbio graeco notatum est.* Vel denique *pulmonei pedes* idem quod tumidi, inflati, atque ideo ad tolerandum iter non sufficientes, sicuti Plinius *pulmonea* quaedam *poma* vocata ait, hoc est, ut ipse interpretatur, stolide tumentia; lib. XV, 14.

Vs. 656. *Tantum currere aut itare, ut invadant genibus flemina.* Proprie *flemina* dicuntur, ut ait Festus, quum ex labore viae sanguis defluit circa talos. Caper de Orthographia: *Flemina sunt, ubi abundant crura sanguine: plemina, quum in manibus aut pedibus callosi sunt sulci.* Ita etiam volunt legi in Poen. III, 1, 67: *Quin etiam .... velim*; ubi iam libri editi habent *flemina.* Eum tamen morbum et *boam tumamque* vocabant veteres. Festus: *Boa, crurum tumor viae labore collectus, appellatur.* Idem: *Tuma, quum labore viae sanguis in crura descendit et tumorem facit.* Ideo in Glossario, *qui boam lavat*, dicitur: ὁ τοὺς πόδας φλεγμαίνων. Festus explicat verba Lucilii: *Inguen ne existat papulae, tumave boa noxit.* Vt tamen dicam, quod sentio, vereor ne insanierint Grammatici cum suis *fleminibus* et *pleminibus* corrupto codice decepti, et fuerit phrasis veterum: *femina* vel *femora* descendere in genua vel talos, per synecdochen tot. pro part.: femina videlicet pro sanguine ex feminibus vel femoribus. Nam posteriore loco omnes scripti codices habent *femina* non *flemina.* Verba Plauti: *Lassitudine invaserunt misero in genua femina*, vel *flemina.* Vbi notandum *invadere* interdum dici cum dativo casu. Varro lib. IV, de vita P. R. *Tanta invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel*

coelum ruere, dummodo magistratum adipiscantur, adoptent. Cicer. ad Tiron. XVI, ep. 12: *Sed mirus invaserat furor, non solum improbis, sed etiam his, qui boni habentur.* Gel. XIX, 4: *Vt quibus invasit repentinus rei magnae timor, plerumque alvo statim cita fiant.* Vbi *alvo cita fieri* est necessitatem accipere ventris exonerandi. Lucret. lib. VI, 1210: *Vsque adeo mortis metus hic invaserat illis.* Alii legunt *incesserat.*

Vs. 660. *Amburentes, calidas, pientas manus habere*, id est furaces, rapaces. Macrob. VII Saturn. 3: *Quintius Praetor de provincia nuper reverterat, observata (quod mireris Domitiani temporibus) praeturae castitate. Is quum aeger adsidenti amico diceret, frigidas se habere manus, renidens ille ait: atqui eas de provincia calidas paulo ante retulisti. Risit Quintius, delectatusque est, quippe alienissimus a suspicione furtorum. Contra, si hoc diceretur male sibi conscio, et sua furta recolenti, exacerbasset auditum.* Martial. VIII, ep. 59: *Ne contemne caput, nihil est furacius illo: Non fuit Autolyco tam piperata manus*, id est tam prompta ad furandum. Nimirum calorem et acrimoniam piperis ad acutos et celeres ad furandum ungues transtulit. Celebratur autem in fabulis Autolycus maximus furum.

Vs. 690. *Tangere aliquem aliqua re*, ponitur pro fraudare, circumvenire aliquo. Pseud. I, 1, 118; IV, 8, 1; Poen. Prol. 161, et V, 5, 7; Truc. Arg. III, Turpilius: *Patrem talento argenti tetigi.* Cicer. ex veteri Poëta; *Sentin' senem tactum esse triginta minis.* (vide Parei Lexic. Plaut.)

Vs. 696. *Inclamitare et inclamare aliquem*, id est, convitiis et maledictis insectari. Explicat Festus. Asin. III, 2, 36; Stich. II, 3, 4. Sed et dandi casum hoc sensu admittit. Ovid. I Amor. 7:

Nonne satis fuerat timidae inclamasse puellae?

Vs. 709. *Supplicium dare, ferre*, est interdum mulctam dare vel donum, supplicandi causa. Quemadmodum et sacrificia supplicandi causa Diis oblata, *suppliciorum* nomine censebantur. Subiicit auctor: *Nunquam hercle hodie nisi supplicium mihi das, me solvi sinam*. Facturum se respondet Periphanes, et quid? non poenas, non preces, aut bona verba, ut volunt interpretes, sed munera, nempe soccos, tunicam, pallium, libertatem, victum. Truc. V, 1, 1; et Ibid. vs. 8; Rud. Prol. 25. Sic *supplicia* pro supplicationibus aut sacris, quibus Dii placantur. Sallust. *In suppliciis Deorum magnifici, domo pares, in amicos fideles erant*. Idem Catilin. IV: *Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo, prospera omnia cedunt*. Liv. XXVII, 52: *Matronae, quia nihil in ipsis opis erat, in preces obtestationesque versae, per omnia delubra vagae suppliciis votisque fatigare Deos*. Tacit. III Annal. *Sed tum supplicia diis, ludique magni a senatu decernuntur*. Ideo etiam *supplicare* non modo verborum aut precum est, sed etiam rerum, quae placandi causa diis offeruntur. Aulul. Prol. vs. 24: *Ea mihi vino, aut aliqui*, id est aliqua re, *semper supplicat*. Sallust. de Metello: *Tum venienti thure, quasi Deo supplicabatur*. Inscriptio vetus Narbone: *Ad supplicandum numini eius thus et vinum de suo ea die praestent*. Senec. III de Ira 18: *M. Mario, cui vicatim populus aras posuerat, cui thure et vino Romana plebs supplicabat*. Plin. in Praefat. *Verum et Diis lacte rustici multaeque gentes supplicant, et mola tantum salsa litant, qui non habent thura*.

MENAECHMI

Prol. vs. 15. *Non modio neque trimodio, verum ipso horreo admetiri*, vel *demensum dare, argumentum, narrationem, conuitia*, vel *rem quamcunque*, est abundantissime, copiosissime vobis admetiar, (translatio sumta a mensuris aridorum) sic, ut ordinarius modus admetiendi, qui est per modios, superetur, et per horrea computandum sit, quod instar frumenti demensum datur. Xerxes, et eius exemplo post Darius, qui cum Alexandro bellum gessit, ad recensendam infinitam multitudinem exercituum suorum circumvallato loco, qui decem millia armatorum caperet (τεῖχος μυρίανδρον vocat Aristides Rhetor) numerum copiarum iniere, teste Curt. lib. III; Herod. lib. VII, Plin IV, 11. Sic et is, qui admodum dives est, per hyperbolen Horatio dicitur *nummos metiri*, lib. I, Sat. 1: *Vt metiretur nummos.* Et apud Petron. *Vxor, inquit, Trimalcionis Fortunata appellatur, quae nummos modio metitur.* Et apud eundem: *Ni tabellarius in terram venisset, decem vehiculis dives.* Et nummi et homines numerantur: non mensurae eorum quantitas aestimatur. Quemadmodum mensura frumenti modiis fit, aut trimodiis, non horreis. Cic. VI ad Att. 1 ait: *se publicanis in provinciam dare pleno modio verborum honorem, invitationem crebram.*

Fab. vs. 80. *Vmbilicus diei*, id est meridies, sive medium diei. Quia umbilicus in medio corporis hu-

mani est, ideo varie eam vocem transtulerunt ad aliarum rerum medium significandum. Cic. VI Verrina: *Nemus Euyae adiacens, quod in media Sicilia situm sit, umbilicum Siciliae* nominari ait. Liv. XXXV, cap. 18, *Aetolos* ait *umbilicum Graeciae incolere*. Plin. III, 12: *Italiae umbilicum* testatur esse *agrum Cutiliae in agro Reatino*. Sic Delphos *terrae umbilicum* vocabant antiqui. Plutarch. Defect. Oracul. Pindarus Pyth. od. 11. Πυθῶνά τε καὶ ὀρθοδίκαν γαῖς ὀμφαλὸν κελάδητε. Scholiastes Germanici de equis Solis pag. 141: *Erythraeus Graece ruber dicitur, quod a matutino tempore rubicundus exurgat. Athon lucidus dicitur, quod tertia hora instante lucidior fulgeat. Lampros vero lucens vel ardens dicitur, quod fit dum ad umbilicum diei contra Arcticum conscendit circulum. Philogaeus Graece amans terram dicitur, quod hora nona proclivior vergens, occasui pronus incumbat.* Et Plauti imitator Fulgentius de Sole: *Quum ad umbilicum diei centratum conscenderit circulum*. At quum de libris loquerentur, aut scripto aliquo grandiore loquentes, utuntur phrasi: *Ad umbilicum adducere, venire*, non medium significat, sed finem. Perfectis enim libris scriptis ex osse, ligno, cornu, ebore, aliave materia apponebant exterius clausuram aliquam ad continendum volumen, quam *umbilicum* vocabant. Catullus XXII: *Chartae regiae, novi libri, novi umbilici.* Martial. *Liber umbilicis cultus atque membranis.* Qui quia non addebantur nisi absolutis, ideo Horat. Epod. XIV: *Promissum carmen, iambos Ad umbilicum adducere*, id est perficere, finire. M. Senec. Suasor. VI: *Ergo ut librum velitis usque ad umbilicum evolvere, adiiciam suasoriae proximae similem.* Martial. IV, 91: *Iam pervenimus usque ad umbilicum.* (vide Dempster. ad Rosin. pag. 40)

Vs. 83. *Agitator*, vulgo auriga, aut mulio. Virg. I Georg. *Oleo tardi costas agitator aselli Vitibus aut onerat pomis.* (ut et *agitare* illorum est proprium. Asin. III, 3, 118.) Iterum Virg. II Aen. *spumantemque agitabat equum.* Horat. II Sat. 7: *Clunibus aut agitavit equum*; sed κατ' ἐξοχὴν ita appellabantur ii, qui in Circensi ludo currus, aut equos agitabant singulares. Virgil. de hisce: *Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.* Cic. IV Acad. *Ego, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo.* Inscript. T. CLAVDIO. AVG. L. EPAPHRODITO. AGITATORI. FACTION. PRASINAE. ANICETVS. AGITATOR. FACTIONIS. EIVSDEM. MAGISTRO. SVO. Item: C. AVRELIO. POLYPHEMO. AGITATORI. FACTIONIS. RVSSATAE. SVI. TEMPORIS. PRIMO. ET. SOLO. FACTIONARIO. Item: L. RAPIDIO. L. F. LEM. MVLIONI. ET. MORATORI. LVDI. CIRCENS. (post appellatur *procurator dromi*) ET. AGITATOR. FACTIONIS. VENETAE. VIXIT ANNOS. IX. RAPIDIA. MARITO PIISSIMO. B. M. F.

Vs. 87. *Capere collegium augurum*, est idem quod adhibere, consulere. Sic *capere iudicem*, *arbitrum.* Mostell. III, 1, 30. Argum. Amph. 7. Pro adsumere, consentire in aliquem, eligere. Sic *capi* dicebantur propria signataque phrasi, virgines Vestales, Flamines, Pontifices, Augures, id est adsumi, cooptari in collegium. Fabius Pictor formulam recitat Vestalis eligendae: *SACERDOTEM. VESTALEM. QVAE. SACRA. FACIAT. QVAE. IOVS. SIET. SACERDOTEM. FACERE. VESTALEM. PRO. P. R. L. VTRIQVAE. OPTIMA. LEGE. FOVAT. ITA. TE. AMATA. CAPIO.* Suet. Aug. 31. Tac. II Annal. 86: *Postquam retulit Caesar capiendam*

virginem in locum Occiae, quae septem et quinquaginta per annos summa sanctimonia Vestalibus sacris praefuerat. Lib. IV, 16: *Decretum Corneliae virgini, quae in locum Scantiae capiebatur, HS. vicies.* lib. XV: *Defunctaque virgo Vestalis Laelia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est.* L. Sylla II Rer. Gestarum: *P. Cornelii, cui primo cognomen Syllae impositum est, flamen Dialis captus.* M. Cato: *Ego nunc volo ius pontificum optime scire, iamne ea causa pontifex capiar? Si volo augurium optime tenere, ecquis me ob eam rem augurem capiet?* Vsus etiam huius verbi est in rebus aliis, ut *capere locum castris*, Sallust. Sic et *captus locus*, inquit Festus, ad sacrificandum legitime constitutus. Caesar, Liv. Virg. in Cul. *locum capit, hunc et in orbem destinat*, id est eligit, et limite ducto designat.

Vs. 126. *Scitamenta* sunt cupediae, deliciae ciborum. Glossar. *Scitamenta* ἡδύσματα. Apul. IX Met. *Crustula, hamos, laterculos et complura scitamenta mellita.* Symmach. I, 23: *Quod si ego coenas dapales et Saliare convivium, tum viscerationes atque epulum postulassem, tu mihi mensas secundas et scitamenta eximiae lancis apponeres.* Paull. ep. XXXI: *Apposuisti mihi divites escas, quae me esurientem facile in omnia verborum tuorum, quasi in varia electarum gustu et adspectu dapum scitamenta rapuerunt.*

Vs. 129. *Milvinam suggerere*, est ingens desiderium et appetitum stimulare, cupiditatem alicuius flagrantissimam in quacunque re excitare: magis proprie in cibis, famem et appetentiam milvi (voracissimae et hiantis semper volucris) addere. Vnde et *Miluus*, et *milvinus* pro raptore. Poen. V, 5, 13: *Et milvinae ungulae* pro rapacissimis manibus. Pseud. III, 2, 63. Cic. ad Q. Frat. *Renuntiatus mihi Lici-*

nium plagiarium cum suo pullo milvino hiatu exigere. Ovid. II Met. *Vt volucris visis rapidissima miluüs extis.* Ita enim per diaeresin, quum alias duarum syllabarum *milvus*, ut scribendum esse semperque scriptum et pronunciatum (nisi quando trisyllabum *milvius* faciunt) apud veteres ex antiquis codicibus bene observarunt viri eruditi, non *milvius. Milvinus* igitur est adiectivum, sub quo hoc loco intelligitur *fames, cupiditas*, quod Plauto familiare est. *Milvinam suggerere*, id est *rubidam facere orexin.* Iuven. Sat. VI.

Vs. 172. *Aestive viaticatus*, id est levi, tenui, parvo viatico instructus. Viatores, praesertim tenuiores, aestate minus sibi provident de viatico, quam hyeme: nam et paucioribus diebus, quo volunt, perveniunt, non tempestatibus hibernis, non glaciali mari detinentur; et inter eundum frugibus, quos capiunt ex agris, prope vitam tolerare possunt, et sub dio sine iniuria corporis cubare, minusque in vestem impendunt. *Aestivum* etiam dicitur, quo per aestatem utimur. Sic Plin. *Vestes sericae dicuntur aestiva levitate.* Et *aestivum aurum* vocat Iuvenalis annulos non solidos, sed cassos interius, quibus homines lauti et molles utebantur, ne, quum singulos digitos numero annulorum fere contegerent, pondere nimis gravarentur: *Ventilat aestivum digitis sudantibus aurum.* Propert. IV, 8, 37:

Lygdamus ad Cyathos, vitrique aestiva suppellex,
Et Methymnaei graeca saliva meri.

Vs. 204—227. *Porco sacro sincero piandum esse*, est male sanum esse, insanire. Horat. II, Sat. III, 165: *Non est periurus neque sordidus, immolet aequis Hic porcum Laribus: verum ambitiosus et audax; Na-*

viget Anticyram. Opponuntur enim haec duo: *Immolare porcum aequis Laribus,* et *navigare Anticyram* debere. Estque posterius pro insanire, quia multum hellebori nascebatur in Anticyra, quo cerebrum purgaretur. Illud prius est sanum esse: qui enim propter id, quod sanus est, diis gratias agit, immolat aequis diis porcum. Intelligi etiam potest cerritus (de quo Amph. II, 2, 145). Nam Cereri praecipue immolabatur porcus, quod infestus frugibus esset, et, ut ait Ovid. in Fast. semina pando rostro eruit. Insignis est locus Varronis II de R. R. 4: *Ab suillo genere pecoris immolandi initium sumtum videtur, cuius vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, et quod initiis pacis foedus quum feritur, porcus occiditur, et quod nuptiarum initio antiqui Reges et sublimes viri in Hetruria, in coniunctione nuptiali, novae nuptae et novis maritis primum porcum immolant. Prisci quoque Latini, ut et Graeci in Italia, idem factitasse videntur. Nam et nostrae mulieres, maxime nutrices, naturam, qua feminae sunt, in virginibus appellant porcum, et Graeci* χοῖρον, *significantes esse dignum insigni nuptiarum. Sacres* autem dicebant veteres tertia declinatione, pro quo nos sec. declinat. *sacros,* ut apparet ex Rud. IV, 6, 4, et Varrone. Mysticos appellat Propert. I, el. 10. Aristoph. in Acharn. vs. 764: Τί δαὶ φέρεις; ME. Χοίρους ἐγώνγα μυστικάς; qui et ibidem monuerat χοιρίων μυστηρικῶν. *Sinceri* autem nihil aliud sunt quam puri et sine labe corporis integri: nam hoc requirebatur in victimis, eaque de causa, priusquam mactaretur, inspiciebatur a sacerdotibus, quod proprio verbo dicebant victimas *probari.* Varro loco citato. Tertull. Apolog. XXX: *Vt mirer, quae hostiae probantur penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cur praecordia potius victimarum,*

quam ipsorum sacrificantium examinentur. Ovid. de hac integritate: *Rursus sine vulnere corpus Sincerumque fuit.* Omnia optime illustrat Varro lib. II, 1, pag. 63: *Porci vero ad duo menses a mamma non diiunguntur; e queis quoniam puri sunt ad sacrificium, ut immolentur, olim appellati sacres, quos appellat Plautus, quum ait: Quanti sunt porci sacres? Sic boves altiles, ad sacrificia publica saginati, dicuntur opimi.* Et cap. IV: *Qui a partu decimo die habentur puri, et ab eo appellantur ab antiquis Sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum; itaque apud Plautum in Menaechm. quum insanum quem putat, ut pietur in oppido Epidamno, interrogat: Quanti hic porci sunt sacres?*

Vs. 213. *Pro sano loqui, facere,* est instar hominis sani, tanquam sanum. Caesar V de B. Civ. *Nihil hunc se absente pro sano facturum arbitratus, qui praesentis imperium neglexisset.* Men. V, 5, 28, 42. Liv. 29: *Primum adeo incredibilis visa res, ut non pro vano modo, sed vix pro sano nuntius audiretur.* Capt. III, 4, 10. Propert. I, el. 10:

Non tibi pro vano verba benigna cadant.

Liv. XXXV, 46: *Id primum eos pro amicis facturos, si rusculo excedant atque abeant.*

Vs. 230. *Homo multus, nimius,* est qui multum negotii facessit, tanquam ipse non solus, sed multi cum eo. Pro homine tetrico morosoque et importuno, quem Graeci φορτικὸν dicunt. Afran. apud Nonium: *Multa es, et molesta multum.* Catullus:

Multus homo es, Naso: nam tecum multus homo est qui
Descendit: Naso multus es et pathicus.

Flav. Vopisc. in Epist. Valeriani de Aureliano scri-

pta: *Nimius*, *multus est*, *gravis est*, *ad nostra non facit tempora.* Graeci πολλὸν dicunt hominem gravem et serium, et quantivis pretii, at Latinis *multus* semper in malam partem pro ardelione usurpatur et satageo. Tac. Hist. lib. III, 52: *Erant inter duces qui necterent moras: quippe nimius iam Antonius*, *et certiora ex Mutiano sperabantur*, id est, non ferendus, intolerabilis. Lib. IV: *Rebus secundis nimii.* Idem in vita Agric. VII de vicesim. legione seditiosa et tumultuante: *Seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat.* Servius ad illud Virg. *Nunc acris Oronti: Nunc fortis, alias velocis: quidam acrem unamquamque rem vegetam ac nimiam tradunt.* Tacit. Ann. II, 34, 6: *Vrgulaniae potentia adeo nimia civitati erat*, *ut testis in causa quadam*, *quae apud senatum tractabatur*, *venire dedignaretur.* Sallust. Iugurth. LXXXII.

Vs. 290. *Delicias facere*, significat ludere, iocari, irridere aliquem. Poen. I, 2, 68 et 82; Casin. III, 1, 14. Sic *delicatum esse* Most. IV, 2, 32.

Vs. 304. *Cantherino ritu astantes somniare* dicuntur qui torpent et marcent, nec praesenti ac vigenti sunt animo, qui nihil agunt pro vigilantibus aut excitatis. *Somnia* vana sunt, illusoria, habentia, ut ille ait, *Vera simul falsis*, *permixtaque flumina flammis.* Inde *somniare* pro errare, delirare, nugari. Curc. IV, 3, 14; Most. IV, 2, 38, et 3, 21. *Cantherii* sunt equi castrati, qui cum mascula parte spiritus animosque feroces amiserunt, et stantes placide quasi conniventes oculis, somniculosique et dormitantes conspiciuntur, ut credi possit eos somniare.

Vs. 342. *Adversum ire vel venire alicui*, non tantum est obviam ire, sed etiam ire quaesitum aliquem

loco designato: et dicitur praecipue de servis, qui veniunt ut dominos aliunde deducant. Most. I, 1, 19; IV, 2, 16, Phaniscus appellatur *adventor*, servus nempe talis, qui dominum advocatum ab amicis, aut si qua prodierit, constituto tempore et loco requirit et opperitur, domumque deducit. Men. V, 6, 29; Stich. IV, 2, 27; Men. II, 3, 82 et 90; III, 1, 17; pro venire ex constituto. Terent. Adelph. I, 1, 2: *Non rediit hac nocte a coena Aeschinus? neque servulorum quisquam qui advorsum ierant.* Sic *obviam venire* est venire aliquo, ut ibi expectes alterum, aut venire ex constituto, Rud. III, 6, 18. Sic etiam *occurrere* Poen. Prol. 43; Pseud. IV, 7, 101; Cic. III Verr. 27: *Nolle se negotii quidquam habere dicebat, sed accepta pecunia quamprimum aliam civitatem occurrere.* Liv. XXXI, 29: *Concilium Aetolorum statuta die futurum erat. Huic ut occurrerent legati regis iter accelerarunt. Atheniensium quoque legati ad concilium occurrerunt.*

Vs. 425. *Amare aliquem, ut faciat*, dicitur pro orare amanter. Cistell. I, 1, 106; Men. II, 3, 71; Pers. II, 5, 2; ubi *amare multum* non significat amore consequi, aut diligere, sed refertur ad praecedens *habere animum bonum*, et significat, me hoc amare, ut habeat animum bonum, ut sit hilaris. Sic et *amabo* hac Scena, 17. Et Martial. *Dic verum mihi, Marce, dic amabo.*

Vs. 487. *In iure rem habeo*, id est apud praetorem, ad tribunal praetoris. Distinguit enim inter eos, quibus res est ad populum, quod fit in iudiciis publicis, et comitiis populi, et inter eos, quibus res est ad iudicem, nempe vel ab alio praetore ex albo datum, vel a litigantibus captum, et denique inter illos, quibus res est in iure, nempe apud praetorem

ipsum. Vnde Paulus ICtus ait: *Ius dici locum in quo ius redditur.* Vnde phrases illae *ambula in ius* Curc. V, 2, 23; *in ius voco te* Rud. III, 6, 21. *In ius eamus. In ius adire* post Redit. in Sen. IX: *Quum L. Caecilius omnibus direptoribus meorum bonorum in ius adeundi potestatem novam fecerit.* Caeterum ut Paulus, sic et notabili hoc Latinismo et distinctione utitur Cic. I de Orat. *Nam si quis statuet, hunc esse oratorem, qui tantummodo in iure aut iudiciis possit aut ad populum, aut in Senatu copiose loqui.* A. Gell. VII, 1: *Scipio quodam die ius in castris sedens dicebat: tum e militibus, qui in iure apud eum stabant.* Sic formulae ICt. apud Cic. pro Muren. *Quando te in iure conspicio: et inde ego te ex iure manu consertum voco.*

Vs. 491. *Ferre conditiones*, est proponere formulam transactionis, qua controversia aut res litigiosa componatur. Antonius apud Cicer. Phil. XIII, 17: *Qui me praecipitem egerit aequissimas conditiones ferentem, et tamen ex his aliquid remittere cogitantem.* Caelius VIII, ep. 16: *Si existimas eandem rationem fore Caesaris in dimittendis adversariis et conditionibus ferendis, erras*, id est, tam bonum fore in salute victis tribuenda, quam fuit in conditionibus pacis proponendis. Liv. XXVII, 30: *Enimvero indignatus Philippus victos victori sibi ultro conditiones ferre.* Lib. XXXVII, 1: *Duae conditiones eis latae sunt, vel senatui liberum arbitrium de se permitterent, vel mille talentum darent, eosdemque amicos atque inimicos haberent.* *Confragosae* autem sunt perplexae, asperae, translatione ducta a regionibus locorum. Cist. II, 3, 70; Liv. XXXIX, 43.

Vs. 528. *Responsare*, significat ferociter et irreverenter respondere, obloqui. Sic Truc. II, 7, 45;

Horat. II, Sat. 7: *Responsare cupidinibus, contemnere honores Fortis.* Ibid. *Ingens virtus atque animus coenis respondet opimis.* Lib. I, ep. 1: *Fortunae te responsare superbae Liberum et erectum.*

Vs. 588. *Phrygiones*, dicuntur qui subtiliora opera in sindone aut serico, acu aut nendo, conficiunt, et inprimis aureo filo, quod vocant *acu pingere.* Ovid. VI Metam. *Sive levi teretem versabat pollice fusum, Seu pingebat acu, scires a Pallade doctam.* Quod quia Phrygium inventum, artifices dicuntur *Phrygiones.* Et *lanae Phrygiae* laudantur, et artifices in iis auri subtemine pingentes. De illis Martial. lib. XIV, 156: *Nos Lacedaemoniae pastor donavit amicae: Deterior Ledae purpura matris erat!* de his Plin. VIII, 48: *Accipio pictas vestes iam apud Homerum fuisse: unde triumphales natae. Acu facere id Phryges invenerunt; ideoque Phrygiones appellati, qui acu pingunt.* Serv. ad illud III Aeneid. 46: *Et Phrygiam Ascanio chlamydem*, explicat *acu pictam. Huius enim artis peritos Phrygiones dicimus secundum Plautum: in Phrygia enim inventa est haec ars.* Titinn. Barbato, apud Non: *Phrygio fui primo, beneque id opus scivi, reliqui acus aciasque hero atque herae nostrae.* Varro: *Phrygio, qui pulvinar pollet pingere, solias depingebat.* Aulul. III, 5, 34. Apud Senec. et Plin. haec *vestis Phrygiana* appellatur. Ille quidem lib. I de Benef. 3: *Inveniam alium Poëtam, apud quem praecingantur Gratiae, et spissis aut phrygianis prodeant.* Plin. VIII, 48: *Togas rasas Phrygianasque Divi Augusti novissimis temporibus coepisse scribit Fenestella.* Apud quos tamen docti quidam legere malunt *Phryxianas*, a similitudine Phryxei velleris, quia villosa fuerit talis vestis, de

quo tamen ego vehementer dubito. Et retineri putant vocabulum a Celtis et Belgis, qui *Frise* vocent.

Vs. 701. *Promittere ad coenam*, significat promittere te alicui convivam fore, in coena adfuturum. Most. IV, 3, 12; Stich. IV, 2, 16. M. Senec. II Suas. *Sabinus Asinius venustissimus inter Rhetoras scurra, quum hanc sententiam Leonidae retulisset, ait: ego illi ad prandium promisissem, ad coenam renuntiassem. Alludebat:* οὕτως ἀρίσταϑ' ὡς ἐν ἅδη δειπνήσοντες. Petron. *Hodie quia tanquam Scholastici ad coenam promisimus, non perdamus noctes.* Plin. I, epist. 15: *Heus tu, promittis ad coenam, nec venis; dicetur ius ad assem; impendium reddes, nec id modicum.* Sic *promittere ad aliquem.* Stich. IV, 1, 9. Cic. II Orat. 7: *Nisi prius a vobis impetraro. Quidnam? inquit Catullus. Vt hic sitis hodie. Tum, quum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat, Ego, inquit Iul. pro utroque respondeo: sic faciemus.*

Vs. 703. *Dare pensum*, est phrasis ab antiquis adiudicata lanificio, sic ut pensum esset certum pondus, vel quantitas lanae, a matre familias ancillis appensa et attributa, ut intra certum tempus paretur: hac conditione, ut si factum non fuerit, aut demenso careant, aut male mulcentur. Mercat. II, 3, 63 et 87. Propert. III, el. 4: *Tristis erat domina, et tristes sua pensa ministrae Carpebant, medio nebat et ipsa loco.* Ovid. epist. Deian. *Crassaque robusto deducis pollice filo Aequaque formosae pensa rependis herae.* Iust. I, 3: *Invenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, et muliebri habitu pensa inter virgines partientem.* Titinn. vocat *pensam lanam*, Fullonibus: *Da pensam lanam: qui non reddet tempori putatam recte, facito ut mulcetur male.* Inde transfertur ad quaevis alia negotia. Bacchid. V, 2, 33; Pers.

II, 4, 1. Varro II de R. R. cap. 2: *Sed quoniam nos nostrum pensum absolvimus et limitata est pecuaria quaestio.* Cic. III Verr. 46: *Meae diligentiae pensum magis in Leontino agro est exigendum, propter hanc causam, quod ipsi Leontini publice non sane me multum adiuverint.*

Vs. 704. *Lanam carere*, significat purgare trahendo per pectinem, seu instrumentum stylis ferreis horrens, quod inde *carmen* dicitur. Varro VI L. L. *Carere a carendo, quod eam tum purgant ac deducunt, ut careat spurcitia. Ex quo carminari dicitur tum lana, quum caret eo, quod in ea est nequam.* In etymo fallitur, est enim sine dubio παρὰ τὸ κείρειν, id est *tondere*, quod in Aorist. II facit ἔκαρον. A *caro*, quod est idem quod carpo, dixerunt *carino*, pro mordeo, et dictis dicteriisque lacesso. Ennius: *Sed neque me decet carinantibus laedere chartis*, id est mordacibus et carpentibus. Idem apud Serv. ad Virg. Aen. VII, vs. 361: Et *contra carinans verba atque obscoena profatus.* Ab *carere*, ξαίνειν, *carmen*, instrumentum ferreum, per quod ducitur lana. Lucret. IV: *Semper enim nova sic radiorum lumina fundunt, Primaque dispereunt, quasi carmine lana trahatur.* Idem sic describit Iuvenal. *Qui docet obliquo lanam deducere ferro.* Ab hoc eodem sensu dixerunt, *carminare*. Plin. lib. IX: *Lana carminata mergitur.*

Vs. 787. *Formicinus gradus*, dicitur minutissimus, et per hoc lentissimus, etiam quum acceleratur. Sic *crusculum formicae* pro tenuissimo crure dixit Martial. III, 93: *Pectus cicadae, crusculumque formicae.* Et proverb. apud Graecos: Μυρμήκων ἀτραποὺς, *formicarum vias*, pro angustis et incurvis. Quod ita explicat Suidas: Περὶ Ἀγαθῶνός φησι τοῦ ποιητοῦ, ὡς λεπτὰ καὶ ἀγκύλα ἀνακρουομένου μέλη.

Vs 812. *Ellebori iugere vix curari posse, opus habere*, est insanam molem insaniae contraxisse, horrendum in modum insanire. Elleboro, quod in Anticyra, insula Locridis (Liv. XXVI, 26) nascitur abundanter, sumpto, et alios morbos et inprimis insaniam curari credebant: unde, quem insanum volebant dicere, *elleboro* aut Anticyra illi opus esse dicebant. Ovid. *Imbibe, dixissem, purgantes pectora succos, Quicquid et in tota nascitur Anticyra.* Suet. Calig. XXIX; Horat. II, Sat. 3; Petron. *Chrysippus ut ad inventionem sufficeret, elleboro animum detersit.* Gell. XVII, 15; Plin. XXV, 5. Dicebant veteres *iuger* vel *iugus*, ut *later* et *latus*, unde in singulari remansit *iugere*, et plur. *iugera*, *iugerum*, *iugeribus*, et *iugera*. Tibull. *Vt multo innumeratam iugere pascat ovem. Iugerum* rei rusticae scriptoribus est modus agri, ut nonnulli tradunt, habens quaquaversum ducenteuos pedes, ut alii, ducentenum quadragenum pedum in longitudinem, dimidii in latitudinem. *Iugere ellebori*, est tanta copia ellebori quanta in iugere obseri potest.

Vs. 883. *Ex saltu damni elicere aliquem salvum*, id est ex loco periculoso. *Saltus* sylvaeque loca sunt impedita, et fere insidiis apta. Liv. VIII de loco cladis Caudinae: *Saltus duo alti, angusti, sylvosique sunt, montibus circa perpetuis inter se iuncti.* Lib. IX. De *illa* altera clade Romanorum ad lacum Thrasymenum, XXII: *Equites ad ipsas fauces saltus, tumulis apte tegentibus, locat, ut, ubi intrassent Romani, obiecto equitatu, clausa omnia lacu et montibus essent.* Propterea hic noster, lupanar significans esse locum insidiosum, *Saltum damni* vocat.

Vs. 917. *Absque te esset*, formula elegans et compendiosa per intellectum τοῦ *si*, idem significat, quod

nisi tu fuisses, nisi tu intervenisses, in utramque partem bonam et malam. Terent. Phorm. *Nam absque te esset, ego recte vidissem mihi.* Capt. III, 5, 96; Pers. V, 2, 55: *Nam hercle absque me foret et meo praesidio, hic faceret....*

Vs. 1046. *Praeconium dare alicui*, est praeconis munus et operam alicui delegare. Est enim vox *praeconium* sua natura adiectiva, ut a *caupo*, *cauponius*, et significationem habet pro intellecto substantivo, *praeconium* scilicet *munus dare, deferre.* Cic. lib. XIII ad Att. 12: *Ligarianam praeclare vendidisti, posthac quidquid scripsero, tibi praeconium deferam.* Sic et *praeconium* significat mercedem publicae proclamationis apud Caton. CXLVI: *Praeconium praesens sestertii quinquaginta.* In quo usu intelligitur *aes*, ut quum dicitur *salarium*, *viaticum.* Cic. pro Quinct. XXXI: *Ab eo, cuius vox praeconio quaestu prostitit.*

MERCATOR

Arg.
vs. 7. *Obducere aliquem alicui*, est adducere aliquem, qui alteri adversetur, qui velut aemulus et rivalis eum male urat, qui ei dolor sit oculorum, qui contendat, et locum alterius occupet. infra IV, 4, 46: *Non pol ego patiar sic me nuptam tam male, measque in aedes sic scorta obductarier.* Cic. Att. I, 1: *Thermus cum Silano contendere existimatur: qui sic inopes et ab amicis et existimatione sunt, ut mihi videatur non esse ἀδύνατον Curium obducere.* Vide Ausonium Popmam ad hunc locum. Plaut. Pseud. *Meum exercitum protinus obducam.* Attius Aeneadis: *Vim Gallicam obduci contra in acie exercitum.*

Vs. 12. *Protelare aliquem*, longe propellere explicat Festus; ex Graeco videlicet τῆλε quod significat longe. Terent. Phorm. *Ne te iratus suis saevidicis dictis protelet.* Turpil. Lemniis: *Propter peccatum pauxillulum indignissime patria protelatum esse saevitia patris.* Sisenna III Histor. *Romanos impetu suo protelant, protelatos persequuntur*; lib. IV: *Duae cohortes de sussidio procedunt, atque equites protelant.* Dictum a *protelo*, quod Gloss. explicat ζεύγλαμπρον, vel ἔξαμπρον quasi ζεύγλη ἀμπόρευμα vel ἀμπρὸν: et significat lorum vel funem per iuga tentum, quo boves religantur ad onera trahenda: aut est lignum, quod eorum cervicibus imponitur. Sic explicant Glossaria: sed existimant potius docti, *protelum* nihil aliud esse,

quam tenorem inducendo quendam tractumque longum et continuatum. Inde phrasis *protelo ducere*, Lucilius: *Quam neque Lucanis oriundi in montibus tauri Ducere protelo validis cervicibus possent.* Hoc volunt esse, uno tenore et continuo tractu ducere. Etenim quae difficulter trahuntur, non continenter, et uno tenore trahuntur, sed saltuatim, et crebris intermissionibus, repetito velut impetu. Cui contrarium *protelo ducere.* Cato in Origin. *Sed protelo trini boves unum aratrum ducent*, id est tres boves iuncti facile et continuo tractu unum aratrum ducent. Iterum Lucill. *Hunc iuga mulorum protelo ducere centum Non possent*, id est continuatim et uno tenore. Lucret. lib. II: *Vndique protelo plagarum continuato*; quod Donatus explicat tenore. Et hactenus quidem vidimus usurpatum de iugalibus animalibus: sed sine ullo respectu eorum canit Idem lib. IV: *Suppeditatur enim confestim lumine lumen, Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.* Quo versu posterior emendatio fulcitur. Pro priori tamen sensu *protela boum* pro iugis boum dixit lib. IX, cap. 15, de Siluro pisce: *Protelis boum et in Danubio extrahitur, porculo maximo simillimus.* Quod paulo ante dixit *iugis boum* de Attilio Padi pisce: *Catenato captus hamo, nec nisi iugis boum extractus.* Idem lib XVIII, 18: *Protelis binis ternisque sic arant.*

Fab. vs. 23. *Elegantia* et hic, et alibi interdum, in vitio ponitur, pro nimia cura sumptuque in cultu et victu superfluo. Cato: *Avaritiam omnia vitia habere putabat: sumptuosus, cupidus, elegans, vitiosus, irritus, qui habebatur, is laudabatur.* Nost. Trin. II, 1, 14. Cic in Clod. *Tu elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui levare vultum, mollire vocem posset.* Aul. Gell. II, 2; Phaedr. II, 3.

Vs. 52. *Tenere*, cavere, compescere se, aut verba: *Omnes tenerent mutua tanti credere*, id est continere :- a credendo. Locus singularis. Affine est, quod Nonius in *Tenet*, explicat *prohibet*. Vt cum Virg. II Georg. vs. 371: *Texenda sepes etiam, et pecus omne tenendum*. Et *compescit* ex illo eiusdem, Georg. IV, vs. 483: *tenuitque inhians sua Cerberus ora.*

Vs. 67. *Spectare peplum*, dicebant spectare pompam in Panathenaicis festo Atheniensium, quod celebratur Pridie Non. Augusti. Erat autem peplum, ut ait Suidas, carbasus, seu velum, Panathenaicae navis quam Athenienses parabant Palladi post singula quadriennia, cuius et pompam per Ceramicum ducebant usque ad Eleusinium templum. *Peplum* autem vocabant, quia laneum erat. In eo acu pingebatur Titanomachia, et victoria Minervae de Encelado gigante, quaeque alia Minerva praeclare gesserat. Eo et propitiare se Deam in rebus tristibus, et laudes gratesque ei agere in laetis credebant. Hinc et eidem gesta suorum ducum, velut eius Divae auspiciis evenissent, intexebant. Lact. ad Stat. X Theb. 56; Serv. I, Aen. 484. Sed admodum eleganter rem illam describit Auctor carminis, quod inscribitur Ciris ad Messalam vs. 29:

Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae.
Magna giganteis ornantur pepla tropaeis,
Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco.
Additur aurata deiectus cuspide Typho,
Qui prius actaeis consternens aethera saxis
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.
Tale Deae velum solenni in tempore portant:
Tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu
Purpureos inter soles et candida Lunae

Sidera caeruleis orbem pulsantia bigis,
Naturae rerum magnis intexere chartis.

Nimirum respexit eo, quod et strenuorum ducum Athenis gesta peplo intexta in templo Minervae reponebantur. Vnde Aristoph. Εὐλογῆσαι βουλόμεθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι Ἄνδρες ἦσαν τῆς δὲ γῆς ἄξιοι καὶ τοῦ πέπλου. Id est, *celebrare volumus patres nostros, quia viri erant terra digni et peplo*, seu quorum nomina Minervae peplo inscribebantur. Testatur et Plutarch. in Demetrio, inter alios immodicos honores ei regi habitos plebiscito eum una cum Iove et Minerva peplo fuisse intextum; prodigiumque factum: nam dum per Ceramicum fertur, irruente procella medium laceratum esse. Hinc Aristophanes librum suum, quem de heroum tumulis conscripserat, peplum vocavit, cui videlicet eandem laurum inseruisset. Meminit etiam pepli, quod Argolides matres Iunoni consecrarunt, Stat. Theb. X, 56:

Peplum etiam dono, cuius mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito.
Versarat calathis, castae velamina divae
Haud spernenda ferunt. Variis ubi plurima floret
Purpura picta modis, mixtoque incenditur auro.

Egregie ibi interpretatur antiquus Statii interpres: *Peplum est vestis candida aureis clavis picta, sine manicis, quod simulacris fiebat. Sed hoc primum est Atheniensibus institutum, quod matronae suis manibus faciebant, et per triennium* (alii hic legunt *quadriennium*, et explicant quarto quoque anno completo, et quinto incipiente) *numinibus offerebant.* Apud Athenienses depingebantur ex more in peplo, qui strenue se in bello gessissent. Fiebant quarto quoque anno completo, quinto incipiente. Virg. I Aeneid. vs. 479:

Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes et tonsae pectora palmis.

Vbi Servius: *Peplum est proprie palla picta feminea Minervae consecrata.* Homer. Iliad. II. Theocrit. Idyll. I, vs. 33: Εντοσθεν δὲ, γυνὰ, τὶ θεῶν δαίδαλμα, τέτυκται, Ασκητὰ πέπλῳ τε καὶ ἄμπυκι. Gloss. πέπλος, palla. Auctor Ciris ad Messalam, vs. 21:

Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erichtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castae solvuntur vota Minervae,
Tardave confecto redeunt quinquennia lustro.

(Vide et Rubenium de R. V. lib. I, cap. 20.)

Vs. 136. *Ramices rupisse* dicuntur herniosi seu enterocelici, quibus scilicet ilium, sive intestinum longius, in scrotum descendit, qui morbus et ipse *ramex* dicitur, atque eundem dixerunt *Herniam* ab ρνος *planta* vel *ramus*, ita et *ramicem*, quod quum intestinum incipit in scrotum descendere, videtur ramum facere. Iuv. Sat. 10:

Iacet exiguus cum ramice nervus.

Lucillius:

Quod deformis senex arthriticus ac podagrosus
Est, quod mancus miserque exilis ramice magno.

Plin. XX, 13: *Silvestri ruta cum axungia veteri illitos ramices sanari prodant.* Hoc accidere potest nimis contendendo spiritum, sive per clamorem, sive per cursum, sive dum inflantur tubae aut tibiae Vide Plaut. Casin. IV, 3, 10; Capt. Prol. 14, Poen. III, 1, 37. Varro: *Priusquam in orchestra Pithaules inflet tibias, domi suae ramices rupit.* Sic ergo per hyper-

bolen, *rupisse ramices* potest dici, qui vehementer cucurrit aut clamavit, ut videlicet parum abfuerit, quin tanta contentione morbum illum contraheret. At sunt docti viri, qui *ramicem* quidem concedunt esse morbum, *ramices* vero volunt esse aut pulmones, aut venas pectoris latas: idque maxime, quia apud Plautum sequitur: *Iamdudum sputo sanguinem.* Constat autem inter Medicos sputum sanguinis non sequi scrotum diruptum: quam tamen rem in medio relinquimus.

Vs. 271. *Partes alicuius ferre*, id est referre, repraesentare aliquem, facere, quae ille acturus esset. Translatio desumpta ab actoribus scenicis, quorum sunt partes, quas quisque sub alterius persona recitat. Sic Petron. *Ridendas partes.* Cic. I de Off. *Quocirca poëtae in magna varietate personarum, etiam vitiosis quid conveniat, et quid deceat, videbunt: nobis autem quum a natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae partes datae sint, etc.* Eodem respexit Horat. I, Sat. 1: *Hinc vos, Vos hinc mutatis discedite partibus.* Sic et Pers. III, 72: *Et humana qua parte locatus es in re*, id est qua persona, quo munere. Horat. de Art. Poët. *Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae partes in bellum missi ducis.* Suet. Iul. cap. 80. Liv. XXIV, 7: *Vni ex iis partes datae sunt, ut quum appropinquaret ianuae Rex, per causam aliquam in angustiis sustineret ab tergo agmen.* Senec. Ep. LXXX.

Vs. 332. *Proprium evenire* vel *esse alicui*, est constans duraturum, neque ut omnia sunt *hominum*, secundum poëtam, *tenui pendentia filo.* Noster Most. I, 3, 68; id est constantem, perpetuum, qui te nunquam deserat. Terent. Andr. V, 5, 4: *Ego deorum vitam propterea sempiternam arbitror, Quod voluptates*

eorum propriae sunt. Sisenn. III Histor. *Tum subito tacuit, at in metu et suspicione propriam capere non potuit quietem.* Afran. Vopisc. *Di tibi dent propria quaecunque exoptas bona.* Virg. VI Aeneid. *Propria haec si dona fuissent.*

Vs. 347. *Venum asportare;* id est abducere venale, ut venum ire, pro vendi; venum dare, pro vendere. Sic *exercere vena* est negotiari, emere, quae vendas. Apud eundem *Ponere veno* idem est, quod venale proponere. Tacit. XIII, 51: *Militibus immunitas servaretur, nisi in iis, qui veno exercerent.* Lib. XIV: *Exstructa conventicula et cauponae, et posita veno irritamenta luxus.* Lucan. *Postquam ceu tradita venum Castra videt.* lib. IV; id est quasi vendita. Claud. I in Eutrop. 36: *Omnes poenituit pretii, venumque redibat, Dum vendi potuit.* Apul. VIII Metam. *Haberentne venui lac.* Et lib. IX: *Altero dic productum me rursus voce praeconis venui subiiciunt.*

Vs. 401. *Implere fores elogiorum carbonibus*, est implere fores dicteriis vel carminibus probrosis, carbone aut titione notatis. *Elogium* vox est graecae originis, ipsis Graecis non usurpata, qualia inter Latinos sunt *aretalogus*, *copreae*, *catasta*, *trechedipna*, apud Iuvenalem, composita ex praepositione Latina et voce Graeca, perinde, ut *propola*, cuius prima syllaba, quia longa est, Latinam praepositionem indicat, nam πρὸ in προπώλης primam corripit. Longam esse apud Latinos primam in *propola* liquet ex versu Lucilii: *Sicuti quum primas propola recentes Attulit, et pretio ingenti dat primitias paucas.* Hoc autem notandum, quod viri docti nostra aetate mire in scriptione huius vocis laborarunt: alii *ellogium*, alii *eclogium*, alii vero *eulogium* scribendum esse voluere, quae omnia vitiosa sunt. *Logium* est

scriptura gravis, sententia una, cuiusmodi fere sunt oraculorum, vel ἀναθημάτων. Hinc *elogium* tam in bonam quam in malam partem accipitur. πιττάκιον, *notoria*, titulus statuae, vel inscriptio, carmen, seu brevis conceptio verborum, et testatio de virtutibus alicuius vel vitiis, de recte factis aut flagitiis sceleribusque. Suet. Calig. XXVII: *Custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, stans tantummodo inter porticum mediam, a calvo ad calvum duci imperavit.* Vbi *elogium* nihil aliud est quam relatio, qua iudici breviter exponebatur, quidquid de reo esset compertum. Sic. L. 6 D. Cust. et extraord. *Quia non omnes fide bona scribere elogia compertum est.* Mox: *Igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi sunt.* Tertull. in Apolog. *Vestros contestamur actus, qui cottidie iudicandis elogiis praesidetis, qui sententiis elogia dispungitis.* L. 3 ff. de re mil. *Desertorem auditum ad suum ducem cum elogio praeses mittet.* Alias *notoriam* appellant L. 7, de Accusat. *Verum si falsis necne notoriis insimulatus sit, perpenso iudicio dispici debet.* Apul. lib. VII: *Ille qui commodum falsam de me notoriam pertulerat.* Isidorus I, *Notorium* interpretatur textum sive elogium malorum dictorum. Ita etiam ICti *elogium* breviter perscripta causa, ob quam pater ait filium se exhaeredare. L. 14, §. 2, de lib. et posth. hor. inst. exhaer. *Non enim videri filium exhaeredatum esse, quum elogium pater, cur filium exhaeredarct, proposuisset, et adiecisset propter eam causam exhaeredare, probeturque patrem circa causam exheredationis errasse.* L. 1, §. 19, De Carboniano edicto: *Si sine elogio exhaeres scriptus esset*, solebant veteres, quos diffamare vellent, eorum, inprimis lenonum et meretricum, aedium fores huiusmodi *elogiis*, hoc est

dicteriis probrosis, pingere, et quidem carbone aut semiusto stipite literis ductis. Catull. *Atqui putate, namque totius vobis Frontem tabernae scipionibus scribam.* intellige praeustis scipionibus. Sic igitur dicit Plautus, futurum ut propter ancillam tam venusta forma carbonibus fores Demiphonis impleantur elogiorum. Vbi notanda haec quoque syntaxis: *Implere fores elogiorum*, pro elogiis. Sic. Aul. III, 6, 16; Maen. V, 5, 3. Liv. lib. XXVIII: *Impleverat ea res superstitionum animos.* (Virg. Aen. I, 215: *Implentur veteris Bacchi*).

Vs. 428. *Commodum argentum dare*, id est iusti ponderis, laxe sufficiens, ut potius plus sit quam minus. Contrarium est malignae dationi, quae fit in non optima moneta, et male ambulante. Asin. III, 3, 135; Pseud. IV, 7, 130; Rud. V, 2, 31. Vetus auctor de Re militari, qui adiici solet Notitiae Imperii: *Commodae auctoritatis variae priscorum monetae.* Id est integrae, integro margine, vel ut Procopius III de Bell. Goth. Κύκλῳ οὐκ ἀποτεμνομένῳ, Wower. ad Minuc. Fel. p. 211.

Vs. 476. *Auro expendere aliquid*, est rei aut mercis pondus auri pondere aequare. Bacchid. IV, 4, 1: *Hunc hominem decet auro expendi, huic decet statuam statui ex auro.* Dicitur proverbialiter de re pretiosissima, etiam lingua vernacula, *tegen goud opwegen.*

Vs. 495. *Pro copia et sapientia facere*, id est facere quantum possis et scias. *Copia* enim idem est quod facultas, ut in illo *copiam facere alicuius rei.* Vis autem particulae *Pro* par est in illo Amph. I, 1, 133: *Meus pater nunc pro huius verbis recte et sapienter facit*, id est quantum ad huius verba, vel ut huius verba sonant. Aul. III, 6, 5: *Pro re ni-*

torem, et gloriam pro copia qui habent, id est qui tam nitidi et sumtuosi sunt quam patitur res familiaris, et qui tantum gloriantur, quantum licet. Et Rud. IV, 4, 74: *Pol tu pro oratione nec vir nec mulier mihi es*, id est quantum ex tuis verbis aut tua oratione colligere licet. Cato de R. R. cap. 144.

Vs. 632. *Pansae* dictae sunt a pandendo, ob aliquam notam corporis in pedibus, ut putatur, dicti. Quinct. I, 7: *Scrutabitur praeceptor acer atque subtilis origines nominum, ut quae ex habitu corporis Cicerones, Rufos, Longosque fecerunt: ubi erit aliquid secretius, Sullae, Buritii, Galbae, Planci, Pansae, Scauri.* Plin. XI, 45: *Pedes homini maximi, etc. Vola homini tantum, exceptis quibusdam. Namque et hinc cognomina inventa Planci, Plauti, Scauri, Pansae: sicut a cruribus Vari, Vatiae, Vatinii, quae vitia et in quadrupedibus.*

Vs. 727. *Sequestro dari*, vel *poni*, dicuntur res quae, quoniam de earum possessione inter duos est controversia, apud tertium interea deponuntur, dum iudicis sententia alterutri adiudicantur. Rud. IV, 3, 79. Gell. XX, 11: *Sed quod apud sequestrum depositum erat, sequestro positum per adverbium dicebant.* Errat Gellius, quod *sequestro* adverbium facit, est enim dativus a *sequester*. Cato de Ptolemaeo contra Thettimum: *Per Deos immortales, nolite vos sequestro ponere.* Vide Vales. ad Ammian. Marcell. p. 37.

Vs. 744. *Scitum filum mulieris*, est mulier scito et pulchro oris et corporis habitu, et quasi textura. *Filum* veteres dicunt oras extremas corporum, quod alias *circumcaesuram* et *circumtexturam* et *speciem* appellant. Lucret. lib. V: *Forma quoque hinc solis debet filumque videri.* Gell. I, 9, explicans quid sit φυσιογνωμεῖν, *mores*, ait, *naturasque hominum con-*

iectatione quadam de oris et vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu sciscitari. Apul. de Deo Socratis: *Fila corporum possident rara et splendida et tenuia, usque adeo, ut radios omnes nostri hominis raritate transmittant.*

. Vs. 817. *Esse istarum operarum, istarum rerum,* significat istiusmodi operas edere, in istis rebus esse. Liv. III, 36: *Pater indignitate rerum cesserat in agros, suarumque rerum erat, amissa publica.* Liv. XXIII, 28: *Eodem ex Dictatoris legionibus reiici militem minimi quemque roboris, nullo praestituto militiae tempore, nisi quis stipendiorum legitimorum esset.*

Vs. 862. *Capere versoriam*, pro aliud iter consiliorum ingredi, aliam viam capessere. Translatio est e re nautica. Epid. I, 1, 47: *Vtcunque in alto ventus est, exin velum vortitur.* Solinus cap. X: *Nunc in Thraciam locus pergere, et ad validissimas Europae gentes vela vertere.* Rud. IV, 3, 75: *At ego hinc obflectam navem.* Funis ille nauticus, quo ad captandum a latere ventum in obliqua velificatione vertitur velum, dicitur proprie *vorsoria*, vel *versoria.* Trin. IV, 3, 19. Intelligitur autem vocabulum *rudentem*, quod funem nauticum significat, et foeminini generis esse patet ex Rud. IV, 3, 1.

Vs. 868. *Obiicere religionem alicui*, est quod vulgo dicitur, conscientiae metum alicui incutere, ni hoc faciat, vel si hoc faciat. Curc. II, 3, 71: *Vocat ad coenam, religio fuit, denegare nolui*, id est deorum iram metuebam, si denegarem; verebar ne conscientiae meae vim facerem: *Religio est dicere*, idem est quod non audeo dicere, ob metum Deorum. Apud Terent. Liv. XXVI: *In religionem ea res apud Poenos versa est*, id est interpretati sunt Poeni Diis hoc non placere. Idem lib. XXXVIII, 25: *Oratores*

iidem redeunt, *excusantes religione obiecta*, *reges venire non posse.* Et quia religio sive Deorum metus inhibet saepe facere quae velis, ponitur ipsa vox pro impedimento, pro scrupulo. Terent. Andr. *At mihi unus scrupulus restat*, *qui me male habet.* P. *Dignus es cum tua religione odio.* At superiore significatione est apud Caesarem V de B. Gall. 6: *Ille omnibus precibus petere contendit*, *ut in Gallia relinqueretur*, *quod religionibus sese diceret impediri.* Cic. lib. X Fam. Ep. 12: *Oblata religio Cornuto est*, hoc est, religione, auspiciis, impeditus fuit, ne in senatu quidquam ageretur. Vide I. G. Graevium ad H. L. Caesar lib. III de B. Civ. 72, et ibi Notas Ciacconii, pag. 326. Vide etiam Scalig. Coniect. Varr. p. 139.

Vs. 946. *In fermento iacere*, significat ira turgidum esse atque intumescere. Fermentum non potest contineri in massa, quin det significationem sui, fervefaciendo eam (unde et nomen habet; nam fermentum quasi *fervimentum* dicitur) id est inflando atque attollendo. Vt autem fermento simila aut farina macerata intumescit, sic excandescentibus, et est apud Cicer. III Tusc. Quaest. ex Homero versus: *Cor penitus turgescit tristibus iris.* Iuven. III, 188: *Accipe, et istud fermentum tibi habe:* iracundiae irritamentum.

Vs. 977. *Habete eam cum porcis*, *cum fiscina*, hoc est, totam quanta quanta est, cum suo bono atque malo. Proverbium rusticum desumptum ab iis, qui scrofam vendunt una cum porcellis, et nido, ut videtur. *Fiscina* et *fiscella*, a *fiscus*, est corbis ex iunco aut sparto textus. Colum. XII, 50, de oliva: *Tum diligenter mundatam protinus in torcular deferri*, *et integram in fiscinis novis includi.* lib. II, 2: *Sive regia palmae sportivae foecunda est*, *fiscinae*,

sportaeve: seu virgultorum corbes ex vimine fieri debent. Calpurn. Bucol.

Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, iunco
Texitur, et raucis resonant tua rura cicadis.

Vs. 1006. *Lege agere cum aliquo* vel *in aliquem*, duo significat: vel enim est supplicium sumere de aliquo, ex verbis legitimis, quibus utebatur ad lictorem praetor, vel quisquis magistratus supplicio praesidebat. Liv. XXVI, 15: *Fulvius praeconi imperavit, ut lictorem lege agere iuberet.* cap. 16: *Iussu Procos. praeconem pronuntiasse: Lictor, viro forti adde virgas, et in eum primum lege age.* Valer. Max. III, 8, 1: *Literas in sinistra manu, sicut erant traditae, retinuit, ac iusso lictore iure agere, tum demum aperuit.* Deinde etiam *lege agere*, est iudicio cum aliquo experiri, ut Mil. II, 5, 43. Terent. Phorm. V, 8: *Vna iniuria est tecum.* CH. *Lege agito ergo.* Vbi Donatus: *Lege agito, dicebatur ei, cuius intentio contemtibilis adversario videbatur.* Cicero pro Muraen. II: *Posset agi lege nec ne: pauci quondam scribebant, fastos enim vulgo non habebant, erant in magna potentia, qui consulebantur.*

MILES GLORIOSVS

Fab. vs. 34. *Dentire*, est crepare dentibus proprie. Varro apud Non. in Algu: *Ne iacentem sub dio Ambessct algus et dentientem frigore.* Vbi *algus* antique pro *algor*. Famelici et esurientes homines gestiunt aliquid cibi molere et comminuere dentibus: id quum non datur, prae lubidine tamen mandendi eos fingit solos dentes canum aut luporum more inter se committere, illisque crepitare. Vnde Virg. in Catal. *Cinaede Luci, ante reliquerunt opes, fameque genuini crepant*, nam *genuini* sunt dentes. Vnde Pers. I: *Secuit Lucilius Vrbem, Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit inultus.* Hinc igitur Plaut. *ne dentes dentiant*, id est, ne dentes mei soli, nullo interveniente cibo, fame percrepent.

Vs. 67. *Quasi pompam praeterduci* potest competere dictum in eos, qui tarde et adfectato incessu praetereant: quemadmodum Circensium ludorum diebus thensae cum Diis (quam κατ' ἐξοχὴν *pompam* Romani appellabant) traducebantur. *Pompa* est igitur solemnis transvectio aut transitio, in qua aliqua spectatu digna ab agmine aliquo aut euntium aut vehentium praeter oculos hominum ferantur, ducuntur, aut eunt, a Graeco πόμπειν. Ea celebritas plerumque fiebat lento et gravi incessu. Suet. Calig. XV: *Instituit matri Circenses Carpentumque, quo in pompa traduceretur.* Terent. *Transeundum nunc mihi*

ad Menedemum est, et tua pompa traducenda. Alludit ad eundem tardum sacrorum incessum Horat. I, Sat. 3, *Nil aequale homini fuit*, etc.

Saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret.

Lib. II, 8:

Vt Attica virgo
Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes
Caecuba vina ferens.

Cic. I de Off. 1: *Cavendum est autem, ne aut tarditatibus utamur ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates.*

Vs. 94. *Valgis suaviis esse*, significat distortis labris, aut depravato ore esse. Vt *osculum*, quod proprie est *parvum os*, sumitur pro suavio seu basio, sic contra *suavium*, quod proprie est basium, sumitur vicissim pro ore, seu labris. Anon. apud Gell. *Dum semihiulco suavio meum puellum suavior*, id est, ore semiaperto, quae deliciae et ineptiae amantium. *Valgum* quid sit, docet Festus: *Valgos Opilius, Aurelius aliique complures aiunt dici, qui diversas suras habent: sicut e contrario vari dicuntur incurva crura habentes.* Quibus *diversae*, vel in diversum apertae, *surae*, iis pedes introrsus flexi, et genua quoque introrsus curva, hique *valgi*: at alii homines pedes extra versos et apertos habentes, suras et calces introrsum actas, genua in diversum patentia, hi *vari*, his curvantur in interiorem partem crura, pedes interius. Inde tam *varum* quam *valgum* de obtorta et obliqua re sumitur, et quidquid recto

contrarium est. Non: *Valgum est proprie intortum.* Naev. (vetus poëta) Militibus Prometinentibus: *Valgus, veternosus, genibus magnis, talis turgidis.* Sic ergo *suavium valgum* est detortum, ac depravatum. Fulgentius citat ex Petron. *Obtorto valgiter labello. Ductare labiis, et ductare valgo suavio,* est genus posticae sannae, sive derisionis post tergum, verso in aliquem et contorto ore.

Vs. 148. *Glaucoma obiicere ob oculos alicuius,* est occaecare aliquem, oculos inutiles reddere, facere, ut ne quis videat. *Glaucus* color caeruleus est, id est, subviridis, albo mixtus, et quasi clarus, definiente Innio Philargyrio, vetusto commentatore Virgilii ad lib. III Georg. 82; ubi etiam Serv. *Glauci sunt felineis oculis.* Caeterum ne feles quidem, qui caetera glaucos habent oculos, pupulam glaucam habent, sed nigram, ut omnia animalia. Quod si pupula praeter naturam glaucescat, impeditur visus et existit vitium in oculis, quod *glaucoma* appellant. Plin. XXVIII, 8: *Glaucomata iecinoris recentis inassati sanie, cum despumato melle inunctis.* Ibid. de Chamaeleonte: *Felle glaucomata et suffusiones corrigi prope creditur, tridui inunctione.* Hinc petita translatio, et *glaucoma obiicitur* ei qui decipitur, qui quod videt, efficit ut non videat. Dicit autem Plautus *glaucomam*, ut alibi *scemam.*

Vs. 164. *Fraudem facere legi,* est violare legem, committere in legem. Sic Liv. VII de Licinio Stolone: *Sua lege decem millium aeris est damnatus, quod mille iugerum agri quum filio possideret, emancipandoque filium, fraudem legi fecisset.* lib. X: *Quid attinere leges ferri, rogitans quibus per eosdem, qui tulissent, fraus fieret.* In Rescript. divi Antonini, quod refertur in institut. de his qui sui vel al. *Quod*

si meae constitutioni fraudem fecerit, sciat me hoc admissum severius executurum.

Vs. 204. *Digitis rationem computare*, est phrasis, quae alludit ad morem veterum, certo digitorum positu numeros exprimendi. Cuius rei saepe eleganter meminere veteres. Ovid. II de Pont 3:

At reditus iam quisque suos amet, et sibi quid sit
Vtile, compositis supputat articulis.

Senec. ep. 88: *Numerare me docet Arithmetica, et avaritiae commodare digitos.* Plin. II epist. *Agitat digitos, computat nihil.* Plin. XXXIV, 7: *Simulacrum Iani ait ita fuisse figuratis digitis, ut trecentorum sexaginta quinque dierum nota per significationem anni temporis et aevi Deum se indicaret.* Quintil. I instit. *Si actor, non dico, circa summas trepidat, sed si digitorum incerto solum aut indecoro gestu a computatione dissentit, iudicatur indoctus.* Hoc Herodotus: ἐπὶ δακτύλων συμβάλλεσθαι. Heliodor. Ψήφους ἐπὶ δακτύλων συντιθέναι. Artemidor. διὰ τῆς θέσεως δακτύλων σημαίνειν ἀριθμοὺς, dixere. Apul. Apol. *Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse: quos circulare debueris digitos aperuisse: quum vero quadraginta, quae facilius caeteris porrecta palma significantur, ea XL tu dimidio auges, non potes digitorum gestu errasse.* Eleganter Plutarch. in Praecept. Connub. Δεῖ δὲ μὴ τοῖς ὄμμασι γαμεῖν, μηδὲ τοῖς δακτύλοις, ὥσπερ ἔνιοι ψηφίσαντες πόσα φέρουσαν λαμβάνουσιν, οὐ κρίναντες πῶς συμβιωσομένην. Porro omnes numeri, usque ad centesimum, in sinistra locabantur: in dextra centesimus incipiebat, inde rursum ducentesimus ad sinistram referebatur. Hinc intelligendum, quod apud Iuven. Sat. X: *Felix est nimirum, qui per tot saecula mortem Distulit, atque*

suos iam dextra computat annos: id est, iam centesimum aetatis annum superavit, aut plures quam centum annos natus est. Tale est Graecum Nicarchi de anu Anth. II, pag. 194: Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον χερὶ λαιῇ ἀρξαμένη; id est, *manu sinistra senium numerare alterum incipit*, videl. quae ducentis annis maior est. Hieron. adv. Iovian. *Centesimus numerus de sinistra transfertur ad dextram.* P. Chrysolog. Serm. 168: *Amisounius totum dissipaverat centenarium numerum, et totum de dextra redegerat ad sinistram, ut dispendio unius et sinistra clauderet omnes, et dextra. nihil haberet.*

Vs. 235. *Elephanti corio circumtectum esse*, id est bardum, stupidum esse, nihil sentire. Animalia, quo crassiorem habent pellem, eo minus sentiunt, quae accidunt corpori, veluti stimulos, ictus, aut quosvis graviores attactus. Sic Diogen. ab homine spurco percussus, galeatum se esse dicebat, id est, non sentisse ictum. Verba Diogenis Laërtii: Εντρίψαντος αὐτῷ κυνοῦλον τινος, Ηράκλεις, ἔφη, οἷόν με χρῆμα ἐλανθανε, τὸ μετὰ περικεφαλαίας περιπατεῖν. Significat idem quod M. Cato Vticensis, quem in balneo aliquis percussit imprudens: postea satisfacienti vel deprecanti, Cato, non memini, inquit, percussum me. Quia autem *Nihil sentire*, ambigue et de animo, et de corpore dicitur, quum utrique parti sint sui sensus, transtulit Plaut. ab animo ad corpus, et *elephanti corio circumtectum esse* pro nihil sentire, id est, nihil sapere, dixit. Nam saepe exteriores sensus hoc modo pro interioribns ponuntur. Catullus de quodam homine valde tardo: *Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit: Ipse quis sit, utrum siet, an non sit, quoque nescit.* Illud notandum, a corio elephanti

esse hanc desumptam phrasin, non ab ingenio, quo nulla bestiarum homini propior est.

Vs. 263. *Participare aliquem alicui rei*, est consocium et participem facere alicuius rei. Eadem syntaxi Lucret. III: *ut dentes quoque sensu participentur*, id est sensum habeant. *Sensu* dixit pro *sensui*, ut Virgil. *Venatu invigilant pueri.* sed et *participare alicuius rei*, Cist. I, 3, 17, id est conscium facere. Sic etiam accipitur *participare* Stich. I, 1, 34, ubi sine casu ponitur rei, sed eodem tamen sensu, pro nos certiores faciunt.

Vs. 266. *Vineas pluteosque ad aliquem agere*, est idem quod alibi dicit *admoenire fabricam alicui*, oppugnare aliquem, aggredi, summo opere contra aliquem niti. Translatio est a re militari. Etenim milites Romani in obsidione opera facere, aut muros subruere solebant tecti generibus quibusdam machinarum, quas *vineas* et *pluteos* appellabant: inter quae duo hoc intererat, quod *plutei* erant similes appendicibus aedificiorum, quae in unam tantum partem tectum habent, ut et *plutei*, in quibus scribimus: *Vineae* in utramque partem devexitatem tecti habebant. Vtriusque munimenti descriptio est apud Veget. lib. IV, cap. 15. Curt. V, 9: *Caesaque materia cratibus et pluteis faciendis, ut qui turres admoverent, extra teli iactum essent, urbem obsidere coepit.* Dicebantur propriis verbis: *agi*, *proferri*, *procaedere.* Caesar: *Castris munitis, vineas agere, quaeque ad oppugnandum usui essent, comparare statuit.* Idem: *Vineae cum ingenti periculo frustra agebantur: nam quum paululum modo processerant, igni aut lapidibus corrumpebantur.* Liv. V, 7: *Vineaeque tantum non iniunctae moenibus essent.* Fest. *Plutei, crates corio crudo intextae, quae solebant opponi militibus opus*

facientibus, *et appellabantur militares*, *nunc etiam tabulae*, *quibus quid praesepitur*, *eodem nomine dicuntur*. Tacit. II Hist. 21: *Vitelliani pluteos cratesque et vineas suffodiendis muris protegendisque oppugnatoribus*; *Othoniani sudes et immensas lapidum ac plumbi aerisque moles*, *perfringendis operibus obruendisque hostibus*, *expediunt*.

Vs. 321. *Lolio victitare* dicuntur παροιμιωδῶς, qui parum vident oculis, primo corporis, dein, duplicata tralatione, mentis: quod *lolium* propter vapores aëris, quos in cerebrum immittit, non tantum vertiginem, qualis ebriis contingit, inducat, sed et caliginem oculis obiiciat. Vnde et apud Ovid. I Fast.

Et careant loliis oculos vitiantibus aegris.

Fulgent. in exposit. I Sermonis Antiqui, pag. 173: *Luscitiosos dici voluerunt*, *interdiu parum videntes*, *quos Graeci μύωπας vocant*. Plaut. Mil. *Mirum est lolio victitare te*, *tam vili tritico*. *CO*. *Quid iam? SC. quia luscitiosus*; *dicunt enim quod lolium comedentibus oculi obscurentur*.

Vs. 373. *Sitos* dicebant veteres, boni ominis causa, pro mortuis, quod nempe cineres eorum, combustis cadaveribus, in urna conditi seponerentur, et collocarentur in monumentis. Ennius epitaphio in Africanum: *Hic est ille situs*, *quoi nemo civis*, *neque hostis quibit pro factis reddere operai pretium*. Cic. II de LL. *Redditur enim terrae corpus*, *et ita locatum cor situm*, *quasi operimento matris obducitur*. Et mox: *Declarat etenim Ennius de Africano*: *Non est ille situs vere*: *nam siti dicuntur ii qui conditi sunt*. A Gell. XX, 2, declarans quid *Siticines* sint apud Catonem: *Qui apud sitos canere soliti essent*, *hoc est vita functos et sepultos*. Senec. ep. LV de villa

Vatiae: *In hac ille praetorius dives, nulla alia re quam otio notus, consenuit, et ob hoc unum felix habebatur. Nam quoties aliquos amicitia Asinii Galli, quoties Seiani otium, deinde amor merserat, exclamabant homines: o Vatia solus scis vivere. At ille latere sciebat, non vivere: multum autem interest, utrum vita tua otiosa sit an ignava. Nunquam aliter hanc villam Vatia vivo praeteribam, quam ut dicerem: Vatia hic situs est.* Significat mortuum iam inter vivos esse.

Vs. 467. *Translinere*, verbum est inprimis elegans et rarum, pro trans aliquid pertinere, trans aliquid continuari, trans aliquid continua cohaerentia, et, ut ICti veteres loquuntur, *uno spiritu produci*; ut: *Commeatus translinet trans parietem*, id est, commeatus patet, fenestra est in pariete. Sic possum dicere: *pons flumen translinet*, hoc est ad alteram ripam continuus est. Sic *continere* Stich. III, 4, 44, pro continuum esse. Vnde etiam *continens* eodem sensu. Sic *pertinere* Latini dicunt pro eo quod semibarbari *pertingere*, id est, eousque produci. Caes. I de Gall. *Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur: pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni.* Lib. II: *Neque longius quam quem ad finem porrecta ac loca aperta pertinebant, cedentes insequi auderent.* Lib. III de populis quibusdam: *Qui a finibus Allobrogum ac lacu Lemanno et flumine Rhodano ad summas Alpes pertinent.*

Vs. 489. *Tractare aliquem*, idem est, quod rapere, vexare, contumeliose habere. Gratius Cyneget. *Matres ausi tractare Deorum.* Pompon. ICtus lib. I ff. §. 43 de O. I. *Et velut contumelia tractatus Servius.* Claud. in VI Cons. Honorii: *Tunc Giganteis urbem tractare Deorum, Aggressos furiis.* Sic vs. 30 huius fab. *Tum quod tractavisti hospitam.* etc.

Vs. 525. *Infuscasse aliquid*, dicitur quod adversum et contra votum intervenit, quod turbavit ordinem et colorem rei gerendae. Nam eadem translatione et vox *color* pro conditione et statu dicitur. Vt Horat. II, Sat. I: *Dives, inops, Romae, seu fors ita iusserit, exul, Quisquis erit vitae, scribam, color.* Stat. praef. II Silv. *Vir optime, nec minus in iudicio literarum, quam in omni vitae colore tersissime.* Sic verbo *infuscare* utitur pro diluere, vitiare aquam, Cist. I, 1, 21.

Vs. 577. *Ex nassa escam petere*, significat summo cum periculo eam consectari; eodem sensu, quo supra Bacchid. IV, 6, 22: *ab transenna lucrum petere.* Nempe, quod iuvet summo cum periculo consectari. Translatio, ut hic e re aucupatoria, ita ibi est e piscatoria. Festus: *Nassa piscatorii vasis genus, quo quum introivit piscis, exire non potest.* Cicero lib. XV ad Attic. epist. 20: *Hac nassa exire constitui non ad fugam, sed ad spem mortis melioris.* Sil. Italic. lib. V:

Haud secus ac vitreas solers piscator ad undas,
Ore levem patulo texens de vimine nassam,
Cautius interiora ligat mediamque per alvum,
Sensim fastigans compressa cacumina nectit,
Ac fraude arctati remeare foraminis arcet,
Introitu facilem, quam traxit ab aequore piscem.

Vs. 628. *Amussitata indole esse*, id est perpolita, recta, ad amussim producta. Festus: *Amussitata ad amussim facta.* Pari translatione Amphitr. II, 2, 213; Menaech. Prol. vs. 50, proprie vero Most. I, 2, 19. Nonius cap. I: *Examussim dicitur examinate ad regulam vel coagmentum.* Est enim *amussis*

regula fabrorum, quam architecti, quum opus probant, rubrica illinunt.

Vs. 643. *In Vmbria natum esse*, dicitur de homine rustico, ineleganti, inconcinno, incomposito, impolito. Vt de stupido, tardo, Iuven. X, vs. 50: *Vervecum in patria crassoque sub aëre natus.* Plutarch. in lib. II, cap. 10 Symposiacon, ὄμβριχας δαῖλας dicit τὸ κυνοφαγεῖν, coenare solum, neminem convivam admittere. Significat enim catulorum seu canum prandium. Nam et Vmbri canes apud veteres Latinos laudantur, et ὀμβρίκια Aeschyli dicuntur catuli ferarum. Est enim singularis fere regionum et certus aliquis genius, quem a pueritia nascentes trahunt. Haec regio laudatorum antiquis ad venationem canum fertilis est.

(1) *Insigniti homines*, vitio aliquo, aut morbo, seu corporis seu animi notabiles; fere in malam partem. Curt. lib. IX: *Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt aluntque, sed eorum, quibus spectandi habitum infantium cura mandata est: si quos insignes aut aliqua membrorum parte inutiles notaverunt, necari iubent.* Suet. Calig. XXVI extr. *insignes debilitate aliqua corporis.* Id. Aug. XXXV: *Senio vel aliqua corporis labe insignibus.* Cic. III de LL. de tribunatu plebis loquens: *Cuius primum ortum si recordari volumus, inter arma civium et occupatis et obsessis urbis locis procreatum videmus: deinde quum esset cito enectus, tanquam ex XII tabb., insignis ad deformitatem puer, brevi tempore recreatus, multoque concretior ac foedior natus est.* Senec. ep. CXIV: *Non*

(1) Haec locutio pertinet ad illos duos versus, quos ex Scytha Liturgo laudat Festus voc. *Valgos*. Eos, post Taubmannum, recte ex sua editione Bothe exemit, quum denuo Gronovius Ernestiusque male immisissent. Leguntur autem in Ed. Vulg. inter versum 716 et 717. (*Ed. Taur.*)

tam insignita illius verba sunt, *quam cultus*, *quam comitatus*, *quam domus*, *quam uxor*. Sic *insignem diem*, pro infelicitate notatum. Liv. VI: *A posteriore die cladem Alliensem appellarunt: insignemque nulli rei publicae privatimque agendae fecerunt.* Lucilio: *aliquem rem insignem tulisse verrucam, naevum rectum, dentem eminulum unum.* Suet. Iul. Caes. LXI: *utebatur equo insigni.*

(1). *Compernes* vocabant Latini, qui genibus iunctis et συμβεβηκόσιν erant, Graecis γονύκροται, quibus contrarii *vari*, qui crura multum aperta et in diversum expansa habent, quos Graeci διαβεβηκότας nuncupant, ut illos συμβεβηκότας. Festus: *Compernes nominantur homines genibus plus iusto coniunctis.* Nonius male interpretatur, *qui longis sunt pedibus.* Lucil. Sat. XVII:

> *Num censet* καλλιπλόκαμον καλλίσφυρον *illam*,
> *Non licitum esse uterum*, *atque etiam inguina*
> *tangere mammis*,
> *Compernem aut varam fuisse Amphitryonis* ἄκοιτιν
> *Alcmenam*, *atque alias*, *Ledam ipsam denique nolo*
> *Dicere.*

Graeci Σακκόποδας et Αδιαβήνους nationem quandam Assyriam dixerunt, quod non possint διαβαίνειν, id est, crura aperire et varicare, dum incederent: haud secus ac si pedes in sacco conditos haberent, καὶ συμβεβηκότας; qualia ante Daedalum omnia simulacra fuisse veteres testantur, indiscretis cruribus ac pedibus: primus ea Daedalus fecisse dicitur διαβεβηκότα, id est, disiunctis cruribus pedibusque distinctis. Sic et *suppernati* dicuntur, quibus succisi sunt poplites vel nervi sub genibus, aut post genua. Festus: *Sup-*

(1) Vid. Annot. praecedentem.

pernati dicuntur, *quibus femina sunt succisa in morem suillarum pernarum*. Ennius in Annalibus: *His pernas succidit iniqua superbia Poeni.* Catull. ad Coloniam: *Sed velut alnus in fossa Liguri iacet suppernata securi*, id est succisa. Ab homine ad arborem transtulit. Graeci vocant ἀγκυλοκοπεῖν et ἐκνευρίζειν. Latini, quod est in glossario, *suffraginare et subnervare.* Vetus interpres Bibl. Ies. II: *Equos eorum subnervabis*, *et currus igne combures*, id est, suffragines illosque incides, ut aut prorsus mutili, aut claudi sint. Apul. Apol. *Calumnias eorum*, *ne corroborentur*, *tempore praecipitasti*, *et nulla imperita mora subnervasti.*

Vs. 724. *Lepide ingeniatus* dicitur honesta indole ingenioque praeditus. Quod a Plauto mutuati A. Gell. lib. XII, cap. 1, Apul. in Florid. de *Evathio*: *versatus alioquin et ingeniatus ad astutiam*, id est, natura factus. Chalcidius in Platonis Timaeum: *Quosdam homines ita ingeniatos*, *ut cito discant.*

Vs. 728. *Esse cuius* vel *cui viliorem annonam.* Vilis annona dicitur, cuius obvia copia, atque abundantia est; quod facile paratur. Sic Horat. II, Epist. 12: *Vilis amicorum est annona*, id est multi sunt amici.

Vs. 849. *Bacchanal facere*, est tumultuari, omnia turbare et miscere, ut solent bacchantes Lyaeo operati, utque solet fieri in lucis locisque Baccho sacris. Vtrumque enim dicitur *bacchanal* et sacrum Bacchi, et locus in quo sacrum peragitur. Aulul. III, 1, 3 et 9; Bacchid. I, 1, 19. Eodem sensu *mera mapalia facere*, apud Senec. in Ludo de morte Claudii: *Ego P. C. interrogavi et vobis promiseram: vos mera mapalia fecistis*, id est, obturbatis invicem

et obloquimini, tumultuamini, ut in conventu ebriorum rusticorum.

Vs. 910. *Materiarius*, lignarius, qui materiam, id est ligna ad fabricandum, comparat. Etenim κατ' ἐξοχὴν Latinis *materia* pro ligno ad aedificandum. Gloss. ξύλα, *materia*, Poen. IV, 2, 93. Caes. II Civ. 37; idem lib. IV: *Quae naves gravissime adflictae erant, earum materia atque aere ad reliquas reficiendas utebatur.* Tacit. IV hist. c. 23: *Perfugae captivique docebant struere materias in modum pontis.* Lib. V, 20: *Egressum militem in caedendis materiis operatum turbavere.* Quod uno verbo Caesar dicit *materiare.* Lib. VII de Gall. *Erat eo tempore et materiari et frumentari et munitiones fieri necesse.*

Vs. 950. *Festuca facta e serva libera*, est, vindicta apud praetorem manumissa. Tres modi erant iustae seu legitimae manumissionis: vindicta, censu, testamento. Vindicta, quum apud Praetorem, vel Consulem in urbe, vel apud Praesidem aut Proconsulem in provincia, dominus servi sui caput, aut aliud membrum tenens, pronunciaret haec verba: *Hunc hominem liberum esse volo*, manuque sublata, aut ablata, eum dimittebat, unde dictum *manu mittere.* Praetor virga vel festuca, quae *vindicta* hoc ab usu dicebatur (a *vindicando* homine servo in libertatem) eiusdem servi capiti imposita, dicebat: *Aio te liberum more Quiritium.* Lictor autem prehensa virga caput vel tergum eadem percutiebat servo, alapamque ei infligebat, deinde imposita manu eum circumagebat; atque ita erat liber. Hinc apud Horat. II, Sat. 7: *Quem ter vindicta quaterque Imposita haud unquam misera formidine solvet.* Pers. Sat. V, vs. 88: *Vindicta postquam meus a praetore recessi;* idem ibid. 175: *Non in festuca, lictor quam*

iactat ineptus. Plutarchus κάῤῥος vindictam dicit. De *alapa* Phaedr. lib. II, fab. 6: *Multo maioris alapae mecum veneunt*; id est, libertas data per ῥαπίσματα seu alapas. Iuvenal. Sat. V extr. *Pulsandum vertice raso Praebebis quandoque caput, nec dura timebis Flagra pati.* De circumactione iterum Pers. V, 76: *Quibus una Quiritem Vertigo facit.* Huius autem manumissionis originem manasse a Vindicio Servo tradit et exponit Livius lib. II, cap. 5: *Praemium indici pecunia ex aerario, libertas et civitas data. Ille primum dicitur vindicta liberatus. Quidam vindictae quoque nomen tractum ab illo putant; Vindicio ipsi nomen fuisse. Post illum observatum, ut, qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur.* Sed rectius puto *vindictam* dici a vindicando. Nam *vindex* qui servum in libertatem asserit, est a vindicando, unde et vindicta dicitur, quod sit instrumentum, quo servus in libertatem vindicatur. *Censu* manumittebantur, inquit Vlpianus instit. I, tit. 1, §. 2: *Qui lustrali censu Romae iussu dominorum inter cives Romanos censum profitebantur.* Theophil. lib. I Institut. tit. 2, 5: *Census significat tabulam aut chartam, in qua Romani facultates suas conscribebant, ut belli tempore pro modo patrimonii sui unusquisque conferret. In hoc igitur censu cum iussu domini servus se liberum scribebat, liberabatur a servitute.* Nimirum singulis lustris, seu quinquenniis, censores Romae agebant census; hoc est, omnes et singulos cives nomina sua et bona apud se profiteri cogebant, eaque in tabulas referebant. Quod si qui antehac servitutem servierat, consensu domini apud hos nomen suum et bona (quae propterea et ipsa *census* dicuntur) professus esset, liber erat, et pro cive habebatur. De hoc manumissionis genere intelligen-

dus est Cicero pro Caecinna, cap. XXXIV: *Quum autem in censum venit, hoc iudicat; quum is qui in servitute iusta fuerit, censu liberetur, eum, qui quum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiudicasse.* Idem I de Oratore: *Quid de libertate, quo iudicium nullum gravius esse potest; nonne ex iure civili potest esse contentio, quum quaeritur, is, qui domini voluntate census sit, si lustrum non sit conditum, sitne liber?* Denique *testamento*, quum quis moriens testamento servis dat libertatem. Hi *Orcini* sunt appellati, in Instit. tit. de sing. rebus per fideicommissum relictis, quasi interveniente Orco, id est inferis vel morte, acceperint libertatem: neque enim ex testamento quidquam cuiquam competere potest, nisi testator sit defunctus. Et *Charonitae* Vlpian. tit. II: *Is qui directo liber esse iussus est, orcinus fit libertus.* Glossae Basilicae: *Orcinus libertus*, Χαρωνιανὸς ἀπελεύθερος. ὅρκος γὰρ ὁ Χάρων. Hinc etiam senatores, Romae post necem Caesaris per gratiam et praemium allecti, *Orcini* dicti sunt, quos Plutarchus Χαρωνίτας dixit.

Vs. 958. *Demori aliquem*, est perdite amare. Sic inf. IV, 2, 48: *Heram meam, quae te demoritur.*

Vs. 977. *Pithecium et Spinturnicium* proverbii vice de muliere turpissimae formae dicitur. *Pithecium* est simiola, diminutivum a πιθηκός *Spinturnicium* diminutivum a *Spinturnix*, quod dicitur a σφίγξ eodem modo, quo ὄρτυξ Latini dixerunt *coturnix*. Est autem *Sphinx* quoque ridiculi animalis inter simias genus. Agatarchides: Αἱ σφίγγες καὶ κυνοκέφαλοι παρακέμπονται εἰς τὴν Ἀλεξανδρίαν ἐκ τῆς Τρογλοδυτικῆς, καὶ τῆς Αἰθιοπίας. εἰσὶ δὲ αἱ μὲν σφίγγες ταῖς γραφομέναις παρόμοιαι, πλὴν ὅτι πᾶσαι δασεῖαι καὶ ταῖς ψυχαῖς ἥμεροι καὶ πρᾷοι. Id est, *Sphinges et cynocephali portantur Alexandriam ex*

Trogloditica et Aethiopia. Sunt autem Sphinges ea forma, qua vulgo pinguntur, nisi quod sint omnes hirsutae et animis mansuetae ac lenes. Plin. de iisdem: *Lyncas vulgo frequentes et Sphingas fusco pilo, mammis in pectore geminis, Aethiopia generat, multaque alia monstra similia.* Solin. cap. 27: *Inter simias habentur et Sphinges, villosae comis, mammis prominulis, ac rotundis, dociles ad feritatis oblivionem.* Ammian. lib. XXII de Aegypto: *Et in aridis quidem capreoli vescuntur et bubuli, et Spinturnicia omni deformitate ridicula.* Male vero esse credunt, solo inducti nominis sono, quasi σπίνθαρις esset spinturnix, quod et Plinius refutat: *Incendiariam avem alii spinturnicem vocant, sed haec ipsa quae esset inter aves, qui diceret se scire, non inveni.* Videtur hoc quoque eos decepisse, quod Graeci alatas Sphinges ex fabula pingebant, quas Aegyptii sine alis, ut erant revera. (Vide Salmas. Ex. Plin. pag. 267 b. A. etc.)

Vs. 983. *De vespere suo vivere*, dicitur ille qui sua quadra vivit, ut loquitur Iuven. V, 2, qui domi habet, unde se sustineat. Talem aliquem veretur persona Plautina, ne aucupetur suas actiones. Isti enim homines, quibus domi est, quo alantur, nec id foris quaerere cum labore necesse habent, tanquam facile viventes videntur homines qui otiosi, et curiosi. Sic recte Lambinus, Rud. I, 2, 92; Trucul. I, 2, 34, 35. Hieronym. ad Eustoch. *Inter hos saepe sunt iurgia, quia suo viventes cibo, non patiuntur se alicui esse subiectos.* Alii *de vespere suo viventes* interpretantur, quod non diurno tempore vivant, sed intempestiva, vespertina ac nocturna opera; quod tempus amicum Lavernae ac furibus: nam, ut ait Horat. I, ep. 2, 32: *Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.* Ex eo genere forum rerum

venalium, quod deficiente iam die maxime celebrabatur, quod res furtivae aut interpolatae, quarum fidem male ambulantem obscuritas temporis tegere debebat, vendendae exhibebantur. Hor. I, Sat. 6, 113, 114. Petron. *Notavit me miles, sive ille planus fuit, sive nocturnus grassator.* Calpurnius in Bucol. de fure: *Et male nocturni religavit brachia Mopsi.* (Durant. Casell. I Var. 5).

Vs. 988. *Sermones haud cinerem quaeritantes*, sunt tersi, nitidi, splendidique et elegantes. Metaphora inde traducta, quod cinere etiamnum utuntur in tergendis vasis ex stanno et orichalco. Arnob. lib. VII, pag. 237 fin. *Lavatio, inquit, Deum matris est hodie. Sordescunt enim Divi, et ad sordes eluendas lavantibus aquis opus, atque adiuncta cineris frictione.* Vel ex eo, quod olim cinere capillum ornabant. Scholiast. Horat. ad illud I, Sat. 2, vs. 98: *Custodes, lectica, ciniflones, parasitae. Ciniflones, et cinerarii eadem ratione apud veteres dicebantur, ab officio calamistrorum, qui acus et veruta flando in cinere calfaciebant, quibus matronae crineis crispabant.* Gloss. Cinifio, ἐμπλεκτὴς, γυναικῶς χροσμητὴς. Catull. Epithal. Iuliae et Mall. *Iam tuum cinerarius Tondet os.* Cato apud Sosipat. *Matronae nostrae capillum cinere ut rutilus esset; tinxerunt.* Val. Max. II, 1, 5: *Et quo formam suam concinniorem efficeret, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt.*

Vs. 1003. *Signum dare te esse harum Baccharum*, significare obscure aliis, sic tamen ut appareat sodalibus te esse conscium et participem secreti. In omnibus sacris, inprimis Bacchi, erant certa quaedam symbola et notae, per quas initiati se invicem, tanquam per tesseras, cognoscebant. Eo alludit Plautus. Sic et Apul. Apol. *Si qui forte adest eorundem*

solennium mihi particeps, signum dato. Ex hoc ritu apud Minuc. Felic. Caecil. ait de Christo: *Occultis se notis et insignibus noscunt, et amant mutuo, paene antequam noverunt.*

Vs. 1099. *Qua, qua*, ponitur haec particula duplicata eleganter pro eo, quod alias dicimus *cum, tum*, vel *tam, quam*, vel duplicata copula *et.* Sic *qua mares, qua feminas*, perinde est ac si dixisset, et mares et feminas; cum mares, tum feminas; vel tam mares, quam feminas. Sic Cic. ad Att. XV, 18: *Quoniam intelligo te districtissimum esse, qua de Buthrotiis, qua de Bruto.* Ibid. *Qua dominus, qua advocati sibilis conscissi sunt.* Liv. lib. II: *Vsi sunt, qua suis quisque, qua totius ordinis viribus.* Eod. lib. *In novitatem generis qua vera, qua falsa iacere.* infra IV, 9, 14.

Vs. 1205. *Sequi cum aliquo*, dicitur notabili ἀρχαϊσμῷ pro *colloqui cum aliquo.* Ennius: *Inseque Musa, manu Romanorum induperator, quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.* Liv. Andronicus: *Inseque Musa virum versutum.* Cato: *Scelera nefanda, quae neque homines insequendo, nec legendo audivi*, id est, fando, enarrando. Haec notanda, non imitanda, istaec autem tuto imiteris: Livius de Cicerone: *Vir acer, magnus, memorabilis fuit, et in eius laudes sequendas Cicerone laudatore opus fuerit.* Ovid. XIII Metam. vs. 749:

Nereïs his contra resecuta Crataeide natam.

Lib. VIII, 865:

Illa Dei munus bene cedere sensit, et a se
Se quaeri gaudens, bis est resecuta rogantem.

Id est, respondit. Hoc a Graeco ἔσπετε μοὶ μοῦσαι. Di-

citur autem poëtice ἕσπομαι pro ἕπομαι, et ἕπω vel ἕσπω, *facio aliquem sequi*, quod facinnt qui praeeunt seqnentibus, sic, qui alicui verbis praeeunt, quasi dictantes, ἕπειν dicuntur. Latini veteres *insequere* dixerunt. Vide Gell. XVIII, 9.

Vs. 1229. *Exspectare aliquem*, est ad alienum arbitrium se componere, sua tempora ex temporibus alterius disponere. Sic Most. I, 3, 31, infr. IV, 9, 9; Poen. I, 2, 149. Nec secus Terent. Eun. I, 2: *Me somnies, me expectes, de me cogites.*

Vs. 1334. *Secundum ferre*, dicuntur servi vel baiuli, qui sequentes aliquem onus portant. Sic *ire secundum*, est ire post aliquem, vel sequi. Amph. II, 1, 1; Stich. III, 1, 45.

Vs. 1374. *In statu stare*, est eo habitu et positura corporis constitisse, quam formant, adversarium expectantes, pugnaturi athletae, atque ita corpus colligentes, armaque praetendentes, ut minimum eius relinquant apertum et expositum ad ictus adversarii. Loquendi formula ex stadio et arena petita. Petron. *Alius furca de carnario rapta statum proeliantis componit.* Graeci appellant προβολήν Polyb. l. II. ὥστε παραπλήσιον εἶναι τὸ σύμπαν σχῆμα τῆς στρατοπεδείας τῇ τῶν ἀγαθῶν ὁπλομάχων προβολῇ. Tale est apud Sen. de const. Sap. *stare in gradu*: et apud Petron. *Ego intorto circa brachium pallio composui ad proeliandum gradum.* Nepos Chabria: *Hoc usque eo in Graecia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias*, etc.

MOSTELLARIA

Arg. vs. *Amores*, dicitur pro amica, quam quis amat, una et sola. Curc. II, 3, 78; Mil. IV, 8, 67; Poen. V, 3, 46. Catullus: *Varus me meus ad suos amores Visum duxerat e foro otiosum.*

Fab. vs. 17. *Cis paucus tempestates*, exquisita loquendi ratio est, pro intra breve tempus, intra paucos dies. Etenim *tempestas* hic nihil aliud quam tempus. Sic *Tempestas* Casina prol. V, 18; Truc. II, 4, 19; II, 1, 27: *Cis dies paucos.* Proprie *cis* et *uls*, quomodo loquebantur veteres pro *citra* et *ultra*, locum designant: unde *cis et uls Tiberim* dicebant. Sed transfertur eleganter ad tempus: et sic *citerior* etiam ponitur pro propior, non tantum loco, sed et tempore.

Vs. 38. *Oboluisse allium*, significat foetida anima sive foetido anhelitu ex allio comesto nares alicuius ferire. Suet. Vespas. VIII: *Adolescentulum fragrantem unguento, quum sibi pro impetrata praefectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit*: Maluissem allio oboluisse, *literasque revocavit.* Calig. XXXIII: *Silenum socerum ad necem secandasque novacula fauces compulit, causatus quod antidotum oboluisset, quasi ad praecavenda venena sua sumtum.* Eleganter et Varro: *Avi et atavi nostri quum allium et caepe verba eorum olerent, tamen optime animati erant*; id est, quum verba eorum

aspera et acerba essent. *Oboluisse* proprie est naribus vel olfactu deprehendi, aut sentiri. Cas. IV, 3, 6. Vnde possumus dicere: *oboluit haec res*, pro intellexi, sensi. Menaechm. II, 3, 33, id est, haec intellexit, te habere marsupium cum pecunia; ei insidiatur.

Vs. 45. *Alliato fungi*, ponitur pro pauco et paupere victu contentum esse. *Alliatum* proprie est moretum, sive intritum, cui allium admixtum est. Verba: *Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aves, sine me alliato fungi fortunas meas*, id est, tenui victu (cui allium, rusticorum theriaca, ut ait Galenus, inditum est) paupertatem meam sustentavi. Allium autem et sal pauperum feruntur cupediae fuisse. Iuven. Sat. III: *Quis tecum sectile porrum Sutor, et elixi vervecis labra comedit.* Persius Sat. IV: *Tunicatum cum sale mordens caepe.* Noster Pers. II, 3, 15.

Vs. 61. *Saginam caedere*, est saginatas pecudes seu animalia altilia caedere. Simmach. epist. ad patrem: *Non deerit, quo famem pellant. Nam comitibus vestris, utpote sobriis, caedundae saginae cura posterior est.* Sic Iuven. Sat. IV: *Stomachum laxare saginis.* Eadem vox et significat locum, ubi escis saginantur homines, dies noctesque estur, bibitur, nec quisquam parcimoniam adhibet, sagina plane est; ut infra Sc. III, vs. 79; Trin. III, 2, 96.

Vs. 91. *Vero vincere ita esse*, id est, veris rationibus probare et demonstrare. Cic. Fam. II, 28: *Id quidem me cupere, nisi et anteacta vita, et reliqua mea spes, tacente me, probat; dicendo vincere non postulo.* Ibid. *Perinde ac si iam vicerint, obitum eius Reipubl. utilem fuisse.* Parad. IV: *Ego vero te non multum, ut saepe, non improbum, ut semper, sed de-*

mentem et insanum rebus vincam necessariis. Liv. XXVII: *Quem principem civitatis esse, vel Hannibale iudice victurus esset*, de Fab. Max.

Vs. 99. *Exemplum sibi petere aliunde, ab aliqua re*, est ad formam alicuius rei, quae alterius est, sibi parare similem, ut infra III, 2, 75; Poen. V, 4, 102; infra V, 1, 67. Terent. Andr. IV, 1, 26: *Quid istudnam mirum est, de te si exemplum capit.*

Vs 107. *Perpluere tignum vel tectum*, dicitur quod pluviam non arcet, sed transmittit. Quintil. lib. VI, 3, 64: *Galba, penulam roganti, non possum commodare, inquit, domi maneo; quum coenaculum eius perplueret.* Vnde *perpluvia* dixit Palladius, pro lapsum aquae per rimosum tectum decidentis. Lib. I, tit. 8: *Vt si corruptae tegulae aut imbrices fuerint, parietem non possint penetrare perpluvia.*

Vs. 141. *Inusu facta res aut domus nequior*, id ist, non utendo, non exercendo. Sic *intactus* substantive dixit Lucret. lib. I, 445: *Coniunctum esto id quod nunquam sine perniciali Discidio potis est se iungi seque gregari, Pondus ubi saxis, calor ignibus, et liquor aquis, Tactus corporibus cunctis intactus inani*, id est, vis ea, atque natura, ut tangi nequeat. Sic *indelictum* pro eo quod peccatum non est, usurpat Actius Hellenibus: *Qui nisi probrum omnia alia indelicta existimant.* Sallust. *incultus* substantive: *Loca vasta, inculta*, id est, quia nulli homines ea incoluerunt. Sic Gell. *inquies* lib. XIX, 9: *Labor sic vigiliarum et inquies.*

Vs. 168. *Virtute formae*, est per formam, formae gratia, beneficio. Sic *virtute Deûm*, est quod vulgo *Deûm gratia*, Mil. III, 1, 82; Pers. III, 1, 63; Trinum. II, 2, 65, 74. Sic et *virtute tua*, aut illius, in malam partem, est opera tua tam improba quam proba,

culpa, ut hac Most. I, 1, 32; Bacchid. IV, 4, 13, id est, maleficio aut nequitia.

Vs. 188. *Praecipere recte vel male*, significat praeceptorem agere, instar magistri vel praeceptoris docere aut monere Asin. III, 1, 4; Pers. III, 1, 22. Cic. ad Q. Fratr. I, ep. 1: *Quo de genere multa praecipi possent*, id est, praecepta tradi. Suet. Neron. VII: *Ferunt Senecam proxima nocte visum sibi per quietem C. Caesari praecipere*, id est, praeceptorem esse. Quintil. II, 3: *Quia plurimum in praecipiendo valet ratio, quae doctissimo cuique planissima est.* Sic et *praecepta* pro institutione Tacit. IV Histor. *Ne Vespasianum senem triumphalem iuvenum liberorum patrem praeceptis coërceret.*

Vs. 218. *Satis accipere*, Iurisconsultis dicitur, cui cautio praestatur, qui fideiussoribus aut adpromissoribus acceptis ab aliquo cavet, et promissum debitumve sibi confirmari curat, opponiturque τῷ *satisdare.* Leg. 17 D. de Testam. Tut. *Vt qui contentus esset magis satis accipere, quam gerere tutelam, securus esset.* Leg. 30 de Vsu et Vsufr. et Reditu et Habitatione: *Si per mulierem mora fieret, quo minus satis acciperet.* Leg. 5, §. 2 ff. de Verb. Obligat. *Satis acceptio est stipulatio, quae ita obligat promissorem, ut adpromissores quoque ab eo accipiantur*, id est, qui idem promittunt. Cato de R. R. cap. II: *Quae satis accipienda sient, satis accipiantur: reliqua quum sient ut compareant.* Cic. pro Quint. cap. 14: *Si veretur, ut res iudicio facto parata sit, iudicatum solvi satis accipiat, Quibus a me verbis satis accipiet, iisdem ipse quod peto satisdet.* Et mox: *Imo, inquit, abs te satis accipiam, ego autem tibi non satis dabo. Satis* autem *accipere* dictum est eodem modo, quo *satisfacere*, nam quum id, quo quis

contentus erat, praestabatur ei, *satisfieri* dictum est; et similiter etiam quum tales, quibus contentus quis futurus esset, ita dabantur, ut rebus obligarentur, *satis accipi* dictum est leg. 7, D. de Incendio, ruina. *Naufragia a domino quoque possessionis, in qua id admissum dicatur, satis accipi, ne cognitioni desit, praecipitur.* Hinc Plautus: *Satis acceptum est mihi*, hoc est satisdatione idonea cautum est mihi: tam cautum est mihi, quam si acceptis fideiussoribus essem confirmatus. Mostell. I, 3, 67: *Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum.* Et *satis acceptum habere*, pro certum habere, non minus firmum, quam si interpositis locupletibus satisdatoribus cautum esset. Inf. vs. 90 Mercat. III, 4: *si id fore ita, sat animo acceptum est certo, id pro certo si habes.* Mostell. I, 3, 90: *Si acceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum.* Ita *satis a te accipiam, hoc ita esse* dicitur pro, vix credam, non credam, nisi datis adpromissoribus. Stich. IV, 1, 4: *Satis abs te accipiam, nisi videam mihi te amicum esse, Antipho.*

Vs. 220. *Capere crines*, videtur esse idem quod vittas sumere matronales, nubere, et matronam fieri. Certum est comtu posituque capillorum apud veteres Romanos matronas tam a virginibus, quam a meretricibus fuisse secretas. Mil. III, 1, 196: *Vtique eam huc ornatam adducas matronarum modo: capite comto, crines vittasque habeat, adsimulet se tuam esse uxorem.* Tibul. I, el. 7: *Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos Impediat crines, nec stola longa pedes.* Ovid. III de Pont. *Quarum nec vitta pudicos Contingit crines.* Idem de Arte I: *Este procul vittae tenues*, etc. Tertull. de virginibus velandis: *Simulque se mulieres intellexerunt, vertunt ca-*

pillum, *et oculo lasciviore comam sibi inferunt*, *crinibus a fronte diversis apertam professae mulierositatem.* Festus: *Sertis crinibus nubentes ornantur*, *quod is ornatus vetustissimus fuit.* Hinc ergo *in vita Soli gerundum morem et capiendos crines*, est uni Philolachi morigerandum, et vittam matronalem induendam, uni servandum pudorem, et a vita meretricia, quae corpus vulgat, abstinendum.

Vs. 268. *Interpolus* et *interpolis*, proprie dicitur de vestimento, quod vetus atque aliquibus locis detritum, arte politurae suturaeve faciem novam accipit. Martian. IC. leg. 45 de Contr. Emt. *Si vestimenta interpola quis pro novis emerit.* Glossae Isidori: *Interpolis vestis*, *quae ex vetusta fit nova.* Hinc Plautus *interpoles* vocat vetulas, quae unguentis, comtu, fuco, aetatem dissimulant, et quum anus sint, puellae volunt videri. Sic *interpolari* proprie dicitur vestimentum, Cicer. ad Q. Fr. II ep. 11: *Quod quum vult renovare honores eosdem*, *quo minus togam praetextam interpolet quotannis.* At translate quidquid aliam faciem aut speciem sumit, quod mutatum, vel vitiatum est, *interpolatum* dicitur, ut vs. 105. Amphit. I, 1, 161. Cic. in Verr. *Referendo in tabulas et publicas et privatas*, *quod gestum non esset*, *semper aliquid demendo*, *mutando*, *interpolando.* Varro lib. IV de L. L. *Multa verba literis commutatis sunt interpolata.* Nazario in Panegyr. dicitur *veri interpolatrix historia*, quae veritatem non nudam et simplicem, sed vitiatam mendaciis exhibet. Prudent. *Qui laeta Christi culta fur interpolat Addens avenas noxias.*

Vs. 309. *Commissatum ire*, est ire a coena ad compotationem, aut exercendam aliam iuvenilem lasciviam plusculum appotorum, ut solent inclinati. Dictum a κῶμος, quod Graecis nihil aliud est quam

convivantium e triclinio foras prodeuntium lascivia. Hinc κωμάζειν saltare post compotationem; inde et Latinis *comissari* eodem modo interdum idem est quod crapulae indulgere et ebrietati, quia haec duo fere coniungebantur: inde *comissari* pro bibere a coena. Rud. V, 3, 67; Stich. V, 4, 4, et V, 7, 7. Sueton. Vitell. XIII distinguit a se invicem ientacula et prandia, et coenas comissationesque. Lucian. in Bis Accusato ait: *Lunae officium est, ut comissantibus praeluceat.* Cicer. Philipp. V, 6, *Saltatores, citharistas, totum denique comissationis Antonianae chorum.* Idem eleganter ad Attic. I, 16, de corruptis adolescentibus, reliquis Catilinariae coniurationis: *Nostri illi comissatores coniurationis barbatuli iuvenes.* Prodibant autem in convivali veste corollas capiti impositas colloque appensas habentes, pueris praecedentibus, qui funalia gestabant, fidicina denique praecinente. Male scribunt vulgo *comessari.* Nam si a *comedo* descenderet, prima foret brevis. Martial. V, 16:

At nunc conviva est comissatorque libellus.

Idem:

Qui nec leno potes, nec comissator haberi,
Quid tibi vis, urbem qui Fabiane petis?

Vs. 337. *Dare ab aliquo cantharum circum*, id est, dare alicui, ut inde in orbem per omnes convivas circumferatur, ex more, quem indicat Persa V, 2, 40. Sic Asinar. *Dare ab summo*, id est, dare ei qui summus in lecto accumbebat, ut inde circumferretur. V, 2, 41. In lecto uno accumbebant, Argyrippus, Demaenetus, Philenium. Summus erat Argyrippus, medius Demaenetus, infima meretrix Philenium,

quae in sinu senis Demaeneti accumbebat. Ideo ab summo, nempe Argyrippo, iubet dari vinum, ab infimo nempe loco lecti, iubet sibi dari suavium a Philenio. Pers. V, 1, 19: *Age, puer, a summo septenis cyathis committe hos ludos*, id est, da principium compotationi, porrigendo septem cyathos illi, qui summus accumbit. Nam committi ludi dicuntur, quum inciperent. Cicer. in Caton. Mai. *Et is sermo, qui more maiorum in summo adhibetur in poculis*, id est, quem is, qui in summo loco accumbit, orditur, et deinde in orbem suo quisque loco convivae continuant.

Vs. 347. *Subire sub falas* dicuntur milites in oppugnationibus urbium et castellorum, quum in muros et praecipue in murorum turres evadere nituntur. *Falae* turres sunt rotundae, quarum fastigium ovi refert imaginem. Graeci, teste Vitruvio, Βάρεις appellarunt: *Et ipsarum*, inquit, *aedium species haricae*; *ut baris seu falae humiles, latae*. Vnde in Circo, quae alii *ova* appellabant, Iuvenalis appellat *falas*: *Consulit ante falas Delphinorumque columnas*. Etenim *falae*, seu *ova*, ὠοειδὲς δημιούργημα. Non. *Falae, turres sunt ligneae*. Ennius XV: *Malos diffundet, fiunt tabulata falaeque*. Haec enim et e Circo, qui apud veteres propter spectactores e ligno erigebantur. Idem alibi observat *falam* positum apud Naevium pro fallacia, ut *machina* et *fabrica* pro eadem dicatur: *Me non vocavit, ob eam rem hanc fieri falam*.

Vs. 394. *Clavis Laconica*, est quae ab exteriore forium parte immittitur claustro ad aperiendum, qualibus hodie fere utimur. Veteres duo genera clavium habebant: Βαλανάγρας καὶ λακωνικάς. Βάλανος erat ferrum glandis facie et cavum, quod in foramen serae, hoc est lignei vectis, τοῦ μοχλοῦ, immittebatur,

et sic seram committebat ianuae, ut nisi extracto eo revelli non posset sera, nec ianua aperiri. Ita autem in serae foramen incidebat Βάλανος ut tota lateret, ne erui posset inde, nisi immisso alio ferro oblongo, quod in cavitatem Βαλάνου ita inibat, ut eam comprehenderet ac sursum traheret. Illud ferrum Graecis dicebatur Βαλανάγρα, κλεὶς παρὰ τὸ ἀγρέιν τὸν Βάλανον, et Latinis est clavis. Foramen illud Graecis vocabatur Βαλανοδόχη. Caeterum, ut ianuae reserari possent ab illis, qui fori erant, satis grande foramen supra locum serae relinquebatur in ostio, per quod manus transmitti quiret, et Βάλανος in Βαλανοδόχην demitti claudendae ianuae ergo, et rursus eiusdem aperiendae gratia Βαλανάγρα in Βάλανον immitti. Apul. IV: *Lamachus, qua clavi immittendae foramen patebat, sensim immissa manu claustrum revellere gestiebat.* Et haec forma communis fuit clavium et claustrorum. Alia sollertior ratio fuit per claves Laconicas, quae et Salm. p. 931: κρύπται dicebantur, quod totae intra claustrum immersae laterent, atque hae exterius immissae aperiebant. Dicebantur eaedem et *Cariae* a Caribus populis. Avienus in Arat. *Si qualem Caria quondam Noverat intrantem per claustra tenacia clavem.* Theon. οὐχ' ὧ; νῦν ἐκτὸς ἦσαν αἱ κλεῖδες, ἀλλ' ἔνδον τὸ παλαιὸν καὶ αἰγυπτίοις καὶ λάκωσι. (Vide omnino Salmas. Exerc. Plin. pag. 650, et seq. 925 sqq. ed. Paris.)

Vs. 463. *Capitalis res, locus, homo*, diverso modo dicitur, et quidem *res capitalis*, quae caput, salutem et incolumitatem tangit. Stich. III, 2, 46. Vnde apud antiquos *rei capitalis diem dicere* alicui, id est, accusare capitis. Liv. III, 14: *Cui rei capitalis dies dicta sit, et de quo futurum propediem iudicium, eum indemnatum indicta causa non debere*

violari, quae supra dixerat. Liv. III, 11: *Virginius Caesoni capitis diem dicit.* Liv. XXV, 4: *Confestim Carvilii, omissa mulctae certatione, rei capitalis diem Postumo dixerunt. Damnatus rei capitalis.* Cic. pro Cluent. cap. II dixit: *Mulierem, quod ab haeredibus secundis accepta pecunia, partum sibi medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam.* Et ita pro re capitali compendio quodam dicebant interdum *capital.* Sic *Capital facere*, est committere facinus poena capitis vindicandum. Menaechm. I, 1, 16. Iustin. II, 7: *Post multas clades capital esse apud Athenienses coepit.* Liv. XXIV, 37: *Praesidio decedere apud Romanos capital esse; et nece liberorum suorum eam legem parentes sanxisse.* Sil. Ital. *Praevetitum namque et capital committere Martem Sponte viris. Locus capitalis*, inquit Festus, *ubi si quid violatum est, capite violatoris expiatur.* Et ita hic in Plauto: *capitalis aedes facta.* Denique *Homo capitalis* pro nefario ac scelerato. Cic. III de Offic., quum recitasset versus, quos in Phoenissis apud Euripidem pronunciat Eteocles, subdit: *Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum quod sceleratissimum omnium fuerit, exceperit.* Ad Herenn. XXVI: *Vt si quis dicat quadruplator, ut breviter describam, capitalis esto.* Philipp. V, 12: *Epistolam Antonii, quam ad quemdam septemvirum capitalem hominem, collegam suum miserit. Iniustitia capitalis iniustissima.* I Offic. 18: *Totius autem iniustitiae nulla capitalior, quam eorum, qui dum, quum maxime falluntur, id agunt, ut viri boni esse videantur.* Eidem *oratio capitalis*, II Off. cap. 21.

Vs. 553. *Pilum iniicere alicui*, παροιμιωδῶς, est tenere aliquem, moram atque impedimentum obiicere. Sumta translatio ex armatura Romanorum, et proe-

liandi modo. Gravis armaturae milites praeter scutum, gladium Hispaniensem, galeam aeream, et ocreas, pila gerebant duo, teste Polyb. lib. VI. Vnde et *Pilani* dicebantur. Ovid. lib. III Fastorum, vs. 129:

Inde pares centum denos secrevit in orbes
Romulus, hastiles constituitque decem.
Et totidem princeps, totidem pilanus habebat,
Corpora; legitimo quique merebat equo.

Quorum verborum haec est sententia: *Pares* sunt aetate et habitudine iuvenes. Eos *decies centenos*, hoc est mille, *secrevit* Romulus, atque inde fecit decem hastatorum ordines. Totidem fuerunt principum, totidem pilanorum sive triariorum: sic ut legio constans hac triplici acie, hastatorum, principum, triariorum seu pilanorum, esset trium millium capitum. Descriptio pili Romani est apud Polybium his fere verbis: *Sunt e pilis quaedam crassa, quaedam tenuia: e solidioribus, quae rotunda sunt, palmarem habent dimidietatem, sive diametrum: quae quadrata, latus: tenuia (Sabinis genus venabuli est) mediocribus sunt similia: Istorum omnium hastile tres fere cubitos longum est: aptatur singulis telum ferreum, hamatum, paris longitudinis cum ipso ligno, cui firmissime adnexum est.* Sic ille. In proeliando autem primum, modico spatio ab hoste distantes, pila coniiciebant, dein gladiis res gerebatur. Pari translatione *iniicere securim.* Cic. pro Murena: *Quam te securim iniecisse putas petitioni meae*, id est, qua re qui incidisse, atque inefficacem te putas fecisse petitionem meam. Id. pro Planc. *infligere Reipubl. securim.*

Vs. 694. *Hoc habet*, id est, peractum est consilium, tactus est, consilium apud me inveni, ita eum

tentabo, consilium habeo, quo efficiam quod volo, quo illum capiam. Formula est ex Amphitheatro petita in gladiatorem stratum et vulneratum, vel irretitum, gladiatoris insultantis, ac etiam spectatorum acclamantium, ut observat Donatus ad Andr. I, Sc. 1, 55: *Certe captus est, habet,* verba sunt Donati: *Id est, vulneratus est. Habet enim, qui percussus est: et proprie de gladiatoribus dicitur: qui a prius alii vident, quam ipsi sentiant se percussos.* Iterumque idem: *Habet: sic dicitur de eo, qui lethaliter vulneratus est.* Eadem formula hic utitur servus significans se invenisse, quae perceuteret vel feriret. Virgil. Aeneid. XII, vs. 294: *Hoc habet, haec melior magnis data victima divis.* Senec. Herc. Aet. vs. 1457: *Habet, peractum est. Quas petis poenas dedit.* Idem alibi: *Habet, peractum est; fata se nostra explicant.* Idem Agamemn. vs. 901: *Habet, peractum est, pendet exigua male caput amputatum parte,* etc. Prudent. Psychomachia vs. 53: *Hoc habet, exclamat victrix regina.* Vsurpant inde de eo, cui obvenit malum, quod debebatur aut intentabatur, qui perit, fraudatus, aut deceptus est, ut hic apud Plaut. Tale est apud Suet Iul. 30: *Eum Pharsalica acie adversarios caesos profligatosque prospicientem dixisse: Hoc voluerunt.* Vide meas observat. II, 25, p. 428. (et Graev. ad Flor. III, 10).

Vs. 707. *Musice aetatem agere*, videtur idem esse, quod concinne, eleganter, sic ut in bonam partem capi possit: nam hoc interdum Graecis est μουσικῶς. Interpretes vulgo malunt ex more cantorum laete et laute, et sine suo sumptu. Nam ius cantorum et poëtarum est, inquit Athenaeus: ἄκαπνα θύειν, id est *laute epulari sine sua impensa.* In quo proverbio θύειν potius quam τὸ εὐωχεῖσθαι sacrificandi actum

notat, quia rem sacram convivium opiparum sequebatur. Ἄκαπνον proprie *sine fumo*, interdum idem est quod ἀδάπανον, *sine sumtu*, quia dapsilium epularum, et in his sumtus facti, symbolum est ignis sive fumus. Hinc ergo dicebatur apud Graecos: ἄκαπνα ἀοιδοὶ θύομεν id est *nos cantores sine fumo sacrificamus*, quamvis frigido foco nostro, nulloque sumtu facto, tamen epulamur. Notandum proverbium, sed tamen haec interpretatio loco Plauti non quadrat. Vide Heins. ad Max. Tyr. p. 239.

Vs. 719. *Velim ut velles*, formula elegans, atque concisa, qua utebantur adversum eos, quibus res secus atque optarent, succedebat, συμπάθειαν suam contestantes, se vicem eorum dolere, et meliorem fortunam optantes. Integrum est enim, *velim*, *ut velles*, *ita tibi evenire*, vel evenisse, non scilicet ita *ut nunc est*. Senec. ep. LXVII: *Adspice M. Catonem, sacro illi pectori saevissimas manus admoventem, et vulnera parum demissa laxantem. Vtrum illi tandem dicturus es: vellem quae velles, et moleste fero? an feliciter quod agis*, id est, utrum in hoc actu fata sibi accelerantem miserum eum putabis, an felicem. Nam miseris dicimus, sc. ista duo priora, *vellem quae velles*, et *moleste fero*; at illis, qui feliciter aliquid aggrediuntur, dicimus, *feliciter quod agis*. Formula gratulantis ei, cui secundi et boni aliquid obtigerat, qua significat cupere se eum perpetua felicitate frui. Et *vellem quae velles*, alloquentis eum, cui male et adversus animi sententiam erat, qua indicabat dolere sibi, quod illi male esset, q. d. vellem tibi ita esset, ut tu ipse quoque velles.

Vs. 755. *Vehere clitellas* dicitur hic, qui deceptus est, cui eodem sensu *sarcina imposita est*, ex Asin. II, 1 extr. *Qui probe oneratus est*, ex Mil.

III, 3, 60. *Cui onerata est samia*, ex Aul. II, 2, 20, de quo supra. *Clitellae* sunt sellae dossuariae, quibus insternuntur iumenta ad onera commodius accipienda, et portanda, praecipue asini. Apud Phaedrum asinus ad senem pastorem dicens introducitur: *Quid refert mea cui serviam, clitellas dum porto meas?* lib. I fab. 16 extr. Liv. XXV, 36: *Vt tamen aliquam imaginem valli obiicerent, clitellas alligatas oneribus, velut struentes ad altitudinem solitam circumdabant, cumulo sarcinarum omnis generis obiecto, ubi ad struendum clitellae defuerant.* Vnde proverbium, *Bovi clitellas*, de iis, qui gravius subierunt onus, quam ferre valeant humeri. Cic. lib. V ad Att. epist. 15: *Clitellae bovi sunt impositae. Cillane non est nostrum onus: sed feremus*; ubi *Cillani* nomine mulionem, seu asinarium, interpretatur Bosius, nam κίλλον Dores asinum vocabant, teste Polluce, unde ἡμικίλλον dixit mulum, quasi dimidium asinum. Cic. XIII ad Att. 13; Quint. V, 11: *Cui confine est παροιμίας genus illud, quod est velut fabula brevior, et per allegoriam accipitur: Non nostrum, inquit, onus, bos clitellas*, Ammian. Marcell. XVI de facete dictis a Iuliano: *Quum exercere praeludia disciplinae castrensis cogeretur, artemque modulatius incedendi per Pyrrhicam* (erat saltatio bellica cum armis) *concinentibus disceret fistulis, vetus istud proverbium, Clitellae bovi impositae sunt, plane non est nostrum onus, exclamavit.*

Vs. 777. *Redhibere emtum*, est facere ut recipiat venditor, reddita pecunia, quod habuit ante contractum, atque ita, contractum dissolvere. Festus: *Redhibitum proprie dicitur, quod redditum est, improbatumque ei qui dedit: idemque rursus habere coactus est id, quod ante habuit.* Verbum est ICtorum,

unde *redhibitio*, *ἀναγωγή*, etiam Quintil. lib. VIII, 3: *An non pudeat certam pecuniam creditam periodis postulare, aut circa stillicidia adfici, aut in mancipii redhibitione sudare?* Eadem vulgo dicitur *redhibitoria actio*, quae est aedilitia, in hoc data, ut venditor, quod vendidit, ob vitium eius morbumque in venditione dissimulatum recipiat. Interdum et *venditor redhibere* dicitur, ut sit idem quod recipere, quasi iterum habere. Mercat. dixit II, 3, 84: *se redhibere, si non placeat.*

Vs. 881. *Die crastini*, et sic *die pristini*, *die quarti*, *die quinti*, etc. dixerunt veteres pro cras, vel crastino die, pridie, die quarto, die quinto. Menaech. V, 9, 96, id est septimo post hunc die. Pers. II, 3, 8. Cato in Origin. *Igitur Dictatorem Carthaginiensium magister equitum monuit, mitte mecum Romam equitatum: die quinti in Capitolio tibi coena cocta erit.* A. Gell. X, 25. Intelligitur in his omnibus ἐλλειπτικῶς τὸ *solis*, ut integre sit: *Die crastini solis*, *die quarti solis.* Vide Gell. X, 24.

Vs. 889. *Defendere iniuriam alicui*, significat arcere, prohibere ab aliquo, cui infertur. Cicer. pro Rosc. Amer. *Omnes hi, quos videtis adesse in hac causa, iniuriam novo scelere conflatam, putant oportere defendi: defendere ipsi propter iniquitatem non audent.* Quale Virgilii: *Solstitium pecori defendite.* Horat. I, Od. 17, 3. Caes. I Gall. c. 44: *Quod bellum non intulerit, sed defenderit.* Lib. II: *Quum alias bellum inferrent, alias illatum defenderent.* cap. 29 f.

Vs. 1009. *Atque* eleganti usu in re subita interponitur, quasi significaret continuo, statim, extemplo, ut apparet ex verbis huius loci: *Capio consilium .... segregent.* Sic Epid. II, 2, 33; Bacch.

II, 3, 45; Mercat. II, 1, 32. Virg. I Georg. 201: *Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum Remigio subigit, si brachia forte remisit, Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.* Liv. XXVI, 37: *Hinc Quintium simul pugnantem hortantemque suos incautum hasta transfigit. Ille atque praeceps cum armis procidit ante portam.*

Vs. 1022. *Mittere lineam*, ponitur pro tentare, captare, explorare. Translatio ducta a piscantibus harundine, quae *linea* appellatur propter linum, quo hamus tenetur. Senec. *Sentit tremulos linea pisces.* Martial III, 58: *Tremulave captum linea trahit piscem.* Sic etiam *mittere* Petron. *Vnde plani autem, unde levatores viverent, nisi aut locellos aut sonantes aere sacculos in turbam mitterent.*

Vs. 1088. *Disceptator*, idem quod iudex, arbiter. Cic. de Leg. II: *Iuris disceptator, qui privata iudicet, iudicarive iubeat, Praetor esto.* Idemque infra: *Aequitatem, qui rogat, habeto pari iure cum eo, quicumque erit iuris disceptator.* Liv. XXXIX, 25: *Ibi quum Romani legati disceptatorum loco, Thessali Perrhaebique et Athamanes haud dubii accusatores, Philippus ad audienda crimina tanquam reus, consedissent.*

PERSA

Fab. vs. 11. *Lippi oculi similis*, dicere possis de homine, ad qualem Catull. *Nec tecum possum vivere, nec sine te.* Mart. II, ep. 41. Aut de re quoque, qua carere non possumus, quum tamen sit damnosa. Neque enim facile lippo oculo manum abstinemus ad tergendum et fricandum, et quo magis tergeas fricesque, eo plus dolebit. Bacchid. IV, 8, 72.

Vs. 29. *Eleutheria agitare*, significat vivere tanquam liber sis, in omni genere licentiae. *Eleutheria* erant ludi publici et agon gymnicus Plataeensium in Boeotia, in honorem libertatis Graeciae, et eorum qui pro ea vitam pugnando adversus barbaros posuissent. Alia sunt, quae hic intelligit Plautus, quae privatim celebrabant, qui e servitute in libertatem essent restituti. Eustath. de Ism. lib. X: Συνερχούμεθα τούτοις ἡμεῖς καὶ παιανίζοντες ἐλευθέριον. id est, *exsultemus igitur et nos cum illis, et Paeana canamus Eleutherio Iovi.* Possumus de illis usurpare, qui duriter et sub stricta disciplina habentur, dein dimissi, liberioremque vivendi facultatem nacti, ita agunt, nihil ut non sibi permissum existiment.

Vs. 62. *Quadruplare*, proprie est accusatorum, qui ea persequebantur, quorum ex legibus quadrupli erat actio. Vid. Cicer. II ad Herenn. 26. Erant enim actiones simplariae, duplariae, quadruplariae, quae in simplum, duplum, quadruplum dabantur.

Sic et apud Veget. lib. II de Re Milit. *Simplares* et *duplares armaturae* dicuntur, quas qui gestabant, singulas, aut duplas consequebantur annonas. Cic. divin. VII: *Si a quadruplatoribus, quos non sine causa contemsit semper et pro nihilo putavit, accusandi voluntas ad viros fortes spectatosque homines translata sit.* Vbi Asconius: *Quadruplatores erant delatores criminum publicorum, in qua re quartam partem de proscriptorum bonis, quos adtulerant, adsequebantur.* Alii dicunt *quadruplatores* esse eorum reorum accusatores, qui convicti quadrupli damnari solent, ut aleae, aut pecuniae gravioribus usuris foeneratae, quam pro consuetudine, aut eiusmodi aliorum criminum. Iterum Cic. in III Verr. *Quid id ad Verrem? quis detulit? nemo; nisi forte existimatis ei quadruplatores ad fretum praesto fuisse*; ubi idem Ascon. *Accusatores sive delatores criminum publicorum sub poena quadrupli*: sive quod ipsi ex damnatorum bonis, quos accusaverunt, quartam partem consequebantur. Capitol. in M. Anton. Philos. *Calumniis quadruplatorum intercessit, apposita falsis delationibus nota.*

Vs. 92. *Madere*, *madidum esse*, est idem quod coctum esse. Menaechm. I, 3, 29, et II, 2, 51. Virg. lib. I Georg. *Et quamvis igni exiguo properata maderent.*

Vs. 125. *Praesidium*, eleganter dicitur de re pecuniaria, quae scilicet adversus egestatem et inopiam necessariorum ad nos sustentandos nobis praesidio est. Poen. III, 3, 56: *Trecentos nummos Philippos portat praesidii.* Iust. XXXII, 4 de Hannibale: *Amphoras plumbo repletas in templo Dianae, quasi fortunae suae praesidia deponit.* Liv. XXVIII, 22.

Vs. 126. *Oblectare familiarem vitam*, est sustentare, tolerare: hoc tantum, non abundare scilicet ad

laute et splendide vivendum. Sic Asin. I, 2, 16; ubi in peiorem partem accipitur. Cic. pro Coel. ex Caecil. *Si egebis, tibi dolebit; mihi sat est, qui aetatis quod reliquum est, oblectem meae.* Colum. VI, 26: *Castratus vitulus sequenti triduo, velut aeger, cacuminibus arborum, et desecto viridi pabulo oblectandus prohibendusque multa potione.* Ad Herenn. lib. I: *Argentum quoque vult? tametsi hospites habeo, tamen utatur licet: nos Samiis delectabimur.*

Vs. 143. *Exigere aliquem ex decuria*, est e numero vel ordine certi generis hominum, commodis aliquibus fruentium, emovere et excludere. Vt hic est, arcebo te mensa et convictu nostro. Caecil. Asoto: *Meritissimo hic me eiecit ex hac decuria, non mentisso.* Translatio est a re militari, nam centuriae militum in decurias erant divisae. Veget. lib. II de Re Milit. 13: *Rursus ipsae centuriae in contubernia divisae sunt: ut decem militibus sub uno papilione degentibus unus quasi praeesset decanus, qui caput contubernii nominatur.*

Vs. 160. *Locare praebendum, faciundum, fruendum*, dicitur intellectis his substantivis, munus, opus, agrum, lacum, ac vectigal, et praecipue erat Magistratuum Romanorum. *Locare* igitur *praebendum munus*, vel *locare praebenda*, puta ornamenta aut alia necessaria ad munus ludorum, aut mittenda ad exercitus, erat dicta certa mercede ex aerario solvenda promittere redemtori curationem et exhibitionem eorum, quae ad munus illud necessaria essent, ut hic, quum Sagaristio Persico habitu indutus rogaret Toxillum, unde vestimenta sumeret, respondet ille: *abs chorago sumito. Choragium* autem nihil est aliud quam instrumentum. Casaub. ad Suet. Aug. cap. LXX, pag. 228 et 229. Cic. *Choragium falsae gloriae*, est su-

pellex et reliquum instrumentum ad pompam solitum comparari. Capt. Prol. 61. Apul. Apol. *Quid enim si choragium Thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere etiam, uti me consuesse tragoedi Syrmate, histrionis crocota, mimi centunculo.* Nam huiusmodi veteres tragici, comici, mimici histriones utebantur. Hinc Choragus, qui haec ornamenta possidet, et actoribus praebenda conducit. Trin. IV, 2, 16. At vocabulum *locare* elegantissime auctores hoc sensu, quem diximus, adhibent. Liv. XLIV, 16. Id. XXIX, 37. id. XXIII, 44: *Haec praetor in concionibus, edixitque qua die vestimenta, frumentum Hispanensi exercitui praebenda, quaeque alias opus essent, navalibus sociis esset locaturus.* Idem XXIV, 18: *Quum Censores ob inopiam aerarii se iam locationibus abstinerent aedium sacrarum tuendarum; curuliumque aequorum praebendorum. Locare opus faciundum* dicebantur, quum similiter redemptoribus mandaretur, ut illi instituta certa ex aerario pecunia, de qua inter ipsos convenisset, opus struendum, puta aedificium, aut aedes sacras tuendas aut et resarciendas sua impensa curarent. Suet. Aug. XXXVI. Cic. Fam. IV, 12. Philipp. IX: *Vtique C. Pansa, A. Hirtius Coss. A. A. V.* (alter ambove) *si eis videbitur, quaestoribus urbis imperent, ut eam basin statuamque faciendam, et in Rostris statuendam locent, quantique locaverint, tantam pecuniam redemtori solvendam attribuendamque curent.* Pers. Sat. VI: *Essedaque ingentesque locat Caesaria Rhenos.* Vell. lib. I: *Mummius tam rudis fuit, ut capta Corintho, quum maximorum artificum perfectas tabulas manibus in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, novas eas reddituros. Locare fruendum agrum*, locum, portorium, vel quodvis vectigal, est

publica vectigalia pacto certo annuo alicui exercenda concedere. Asin. II, 4, 37. Liv. XXXVII, 3: *Capuae interdum Flaccus dum bonis principum vendendis, agro, qui publicatus fuerat, locando (locavit autem omne frumentum) tempus terit.* Et mox: *Simul et cum agro tecta urbis fruenda locarentur.* Et cap. XIII: *Hi Censores, ut agrum Campanum fruendum locarent, ex auctoritate Patrum in plebem latum est.* Lib. XLII, 19: *M. Lucretius trib. pl. promulgavit, ut agrum Campanum Censores fruendum locarent.* Val. Max. IV, 4, 6. Festus: *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur fruendus, ominis boni gratia, ut in delectu primi nominantur Valerius, Salvius, Statorius.* Liv. XXXII, 7: *Censores portoria venalium Capuae Puteolisque, item castrorum portorium, quo loco nunc oppidum est, fruendum locarunt.* Cic. Orat. I de Leg. Agrar. *De vestris vectigalibus non struendis, sed aliendis.* Vitruv. lib. VI: *Lemni insulae vectigalia Atheniensibus S. P. Q. R. concessit fruenda.* Sic etiam in privatis negotiis *locator* est, qui dat aliquid faciendum vel fruendum: *Conductor* qui accipit. Leg. 51, §. 1, D. de Locat. *Locari opus faciendum, ita ut pro opere redemtori certam mercedem in dies singulos darem.* Alfenus leg. XXXI, eod. *Rerum locatorum duo genera esse, ut aut idem redderetur, sicuti quum vestimenta fulloni curanda locarentur: aut eiusdem generis redderetur: veluti quum argentum postulatum fabro daretur, ut vasa fierent, aut aurum ut annuli.* Fest. *Restibilis ager dicitur, qui continuo biennio seritur farreo spico, id est, aristato, quod ne fiat, solent qui praedia locant excipere.* Senec. Cons. ad Marc. cap. 20: *Locata publice latrocinia.*

Vs. 220. *Obfirmasse aliquid facere*, est ita firmiter apud se faciendum constituisse: ut id pertinacissime tenere sis paratus. Bacchid. V, 2, 81; sic *offirmare*

adversus aliquem, est durum esse et tenacem propositi, non flecti alicuius consilio vel precibus. Stich. I, 2, 11, id est, si non patietur persuaderi. At *offirmare animum* est obdurare, pati, quamvis nolis doleasque, Mercat. Prol. 81. Catull. LXVII: *Quin te animo offirmas teque istinc usque instinctuque reducis, Et Diis invitis desinis esse miser.* Plin. VII, ep. 27.

Vs. 242. *Tippulae pondere levior*, dicitur de re vilissima non modo ob corpusculi levitatem, sed etiam mentis, vel auctoritatis, aut sententiae. Vt quum *fidem lenoniam tippula leviorem* ait Plautus: sic et *sermonem tippula leviorem*, *auctoritatem alicuius tippula leviorem*, possumus dicere. Festus: *Tippula bestiolae genus*, *sex pedes habentis*; *sed tantae levitatis, ut super aquam currens non desidat.* Gloss. ἐφυδρὶς ἑξάπουν ἐπινηχόμενον τῷ ὕδατι. Varro apud Non. *Levis tippula lympha frigidos transit lacus.* Simili sensu apud Virgil. Cul. *pondere vel culicis levior famaque.*

Vs. 255. *Occasio quasi coelo decidens* aut *delapsa.* Proverbialis locutio pro valde opportuna, sed inopinata atque insperata. Tibul. I, el. 3:

Tunc veniam subito, nec quisquam nunciet ante,
Sed videar coelo missus adesse tibi.

Minuc. Felix Octavio: *In hodiernum diem inopinato visos, coelo missos, ignotos, et ignobiles, terrae filios nominamus.* Iust. V, 4: *Hunc quasi de coelo missum et ut ipsam victoriam intuerentur.* Cic. I de Fin. *Servata illa, quae quasi de coelo delapsa est, ad cognitionem omnium regula.* Sic apud Cic. *Virgula divina obtigisse* dicitur de fortuna subita atque inexspectata, allusumque ad virgam Mercurii est, qua ducere animas dicitur.

Vs. 281. *Morticine*, est convitium in tetros et ex-

sangui facie homines, quos Ter. *Cadaverosa facie* dixit Hec. III, 4, 27. Graeci vocant νεκρώδεις et δημητριακοὺς. Sen. ep. 122: *Languidi et evanidi albent, et in vivis caro morticina est.* Varro III de R. R. II, p. 9: *Quid autem interest, utrum morticinas volueris an pisces, quos nisi mortuos estis nunquam.* Plinius *Morticinos* vocat clavos pedum (vulgo *exteroogen*, aut *lykdoorens*) XXII, 23: *Clavis pedum, qui vulgo morticini appellantur, nitro mixto ante subactum laser circumlinitur.* Sed et *morticina* appellantur veteribus animalia, quae non sunt mactata, sed per se mortua, l. 2, §. 5 pen. D. via publ. *Sed neque rixari in itineribus, neque stercora proiicere, neque morticina aut pelles iactare permittant.* Vulgata vers. Levit. VII, 24: *Adipem cadaveris morticini et eius animalis, quod a bestia captum est, habebitis in varios usus,* in quo saepe sic accipitur. Videturque ab ea significatione desumptum esse apud Plautum, quasi *vivum cadaver* diceretur. Sic Cicero Pisonem appellat *frustum putidae carnis.*

Vs. 322. *Redigere argentum* vel *pecuniam*, non est reddere, ut volunt interpretes, sed aut ex mercibus rebusve venditis conficere, aut ab iis, qui debent, exigere et recipere debitum. Intelligit autem hic ex vendita parasiti filia tantumdem redilurum. Cic. III in Verr. 38: *De litibus aestimatis Cn. Dolabellae Praetori pecuniaque populo romano redacta*; pro Rabir. Posth. XIII: *Soletne is dicere in eum, qui pecuniam redigit, qui in illum, cuius nomine ea pecunia redigeretur, non dixerit?* Liv. XXI, 15: *Tamen ex pretio rerum venditarum aliquantum pecuniae redactum esse constat.*

Vs. 392. *Dotis sexcenta dare*, id est sexcenta milia nummûm alicui cum filia in dotem dare.

Genus loquendi observandum. Quale et Cist. II, 3, 19; Mercat. IV, 3, 4; Trin. V, 2, 34, et simile est Poen. III, 3, 57; item Caesaris lib. I Gall. *Sed diei ad eam rem conficiendam spatii postulant.* Mart. IV, 6: *Haereditatis tibi trecenta venisse.* Mart. II, ep. 65: *Illa dives mortua est Secundilla, Centena decies quae tibi dedit dotis.* Liv. XXVIII, 9. Apul. Apol. *Trecentis millibus dotis fuit contenta.* Quae sic interpretantur docti viri, ut nomen regens casu recti, et rectum casu regentis efferri dicant. Sic *trecenta, sexcenta dotis* aiunt positum pro dos sexcentorum vel trecentorum nummorum, et *trecentos nummos praesidii* pro praesidium trecentorum nummorum; *sex dies spatii*, pro spatium sex dierum. Vossius de Construct. cap. VII, pag. 30. Dicant magis quid fiat, quam cur fiat. Videtur potius ellipsis esse in talibus, *causa*, *nomine*, *ergo*, aut similis, ut apud Graecos eleganter subauditur τό ἕνεκα. Sic dare *trecenta talenta dotis*, est dare trecenta millia nummûm dotis nomine vel causa; et similiter in aliis.

Vs. 449. *Ferme ut quisque rem accurat suam, sic ei procedunt post principia denique.* Sensus huius sententiae est: ut quisque sive prudenter sive temere suscipit, orditurque, perinde et ordinem eius explicari et eventum succedere. *Post principia*, vox castrensis. Principia autem et in castris dicebantur, et in acie. In castris erat locus, ubi metabantur duces ante praetorium, ubi tribuni iura reddebant, et frequentes interdiu milites imperia accipiebant; ubi signa asservabantur, et etiam poenae militares exigebantur. Senec. de Vita Beata, cap. XIV; de Const. Sap. XXVIII. Iust. II, 6: *Ordines nemo nisi sexagenarius duxit, ut si principia castrorum cerneres, senatum te alicuius priscae Reip. videre diceres.* Intelligit eos,

qui participes erant consilii militaris ex more romano, quales legati, tribuni, centuriones, praefecti equitum etc. Nep. Eumene: *In principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate iussit poni, eoque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperent.* Suet. Othon. cap. I; Liv. VII, 12. Id. XXVIII, 23: *Constabant tamen una specie forma castrorum, quod Tribunos iura dare in principiis sinebant.* Hinc *mitti principia* vel *dimitti* dicebantur, quum tribuni illic praesidere desinebant, et milites ad contubernia sua discedebant. Front. II Stratag. 5: *Tempus elegit, quo missa principia quietem omnibus castrensibus dabant.* Lib. IV, 1, 28: *Perstare in principiis donec ea mitterentur, praecepit.* At in acie, quum Romana acies in hastatos, principes, triarios divideretur, *principia* legionum dicebatur locus, ubi stabant *principes*, robora exercitus, undique exciti centuriones et primi ordines. Sallust. Iugurth. XLIX, 50. Terent. Eun. IV, 7: *Hic ego ero post principia, inde omnibus signum dabo*; id est, primos ordines; et hinc, per Metonym. loci pro re locata, *principia* ponuntur pro illis, qui tendere et consistere in principiis solebant. Sen. de Vita Beata. c. 14, ubi intelligit Epicureos, illosque ait tradidisse voluptati *principia*, id est imperium, quod erat penes principes. Iust. II, 6. Liv. II, 65: *Quamquam cessere magis hostes quam pulsi sunt, quia ab tergo erant clivi, in quos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit.* Liv. VIII, 10; inde fecerunt unum verbum *postprincipia*; usurparuntque primum de loco ipso in acie *post principes*, dein generaliter de omnibus, quae post rerum quarumcunque principia

sequuntur. Quia igitur locus proxime *post principia* saepe appellabatur de loco in acie post ipsa principia, inde etiam dici coepit de omnibus, quae post rerum quarumcunque principia subsequuntur. Varro III de R. R. cap. 4: *Quare unde velis me incipere, Axi, dic. Ille, ego vero, inquit, a postprincipiis, ut aiunt, in castris*, id est ab his potius temporibus quam superioribus. Idem Varro in Sisenna, vel de historia apud Gell. XVI, 9: *Quid si non horum omnium similia essent principia ac postprincipia, susque deque essent.* Et rursus apud eund. eod. lib. cap. 18: *Voluptas autem et utilitas talium disciplinarum in postprincipiis existit, quum perfectae absolutaeque sunt, in principiis vero ipsis ineptae et insuaves videntur.* Cic. pro Sest. 55: *Nam quum ageretur togate simulans, ut opinor, tota caterva clarissima contentione in ore impuri hominis imminens concionata est: Huic vitae tuae, et post principia atque exitus vitiosae vitae.*

Vs. 475. *Abiurare alicui in iure*, id est, quod debes negare te accepisse et debere; quod quia plerumque fit fiducia deficientium testium et instrumentorum, seu chirographorum, res venire solet ad iusiurandum. Curt. IV, 2, 10. Rud. Prol. 14. Sall. Bell. Catil. *Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat.* Virg. VIII Aen. 263: *Abstractaeque boves abiurataeque rapinae Coelo ostenduntur.* Vbi Servius: *Abiurare est rem creditam negare periurio, unde modo abiuratas rapinas pro contra ius retentas intelligimus. Alii abiuratas, abductas, atque alieni iuris factas, alii fraude et furto abductas tradunt.*

Vs. 581. *Indicare*, vel *facere pretium*, eleganter est idem, quod licitari pretium offerre, pretio

rem aestimare; pretium rei statuere, quod est empturi, aut saltem emere se velle simulantis. Varro lib. II de R. R. cap. 2, pag. 65, l. 21: *In emptionibus iure utimur eo, quod lex praescripsit, in ea enim alii plura, alii pauciora excipiunt. Quidam enim pretio facto in singulas oves, ut agni chordi duo annumerentur pro una ove, et si cui vetustate dentes absunt, item binae pro singulis ut procedant.* Mart. I, ep. 87: *Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere vellet Omnia? Sic Mutio noxius haeret ager.* Paulus l. 19, §. 2: *De vestibulo communi binarum aedium arbiter dividundo, invito utrolibet, dari non debet: quia qui de vestibulo liceri cogatur, necesse habet interdum totarum aedium pretium facere, si alias aditum non habet.* Scaevola l. 41, §. 9, D. Deleg. tertio: *Age, plagam, quae est in regione illa, Maevio Publio et Caio transcribi volo, pretio facto viri boni arbitratu.* Alias *pretium facere alicui rei*, est facere ut ea res pretium habeat, ut res aestimetur magni pretii. Plin. IX, 34: *Tot piscibus, quibus pretia capientium periculo fiunt*; cap. 35: *Quibus eadem mater luxuria paria cum margaritis pretia facit.* lib. XXXIII, Prooem. *Murrhina et cristallina* (vasa) *ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa frugalitas.*

Vs. 620. *Mensis vertens*, aut *annus*, dicitur pro solido, integro, quasi qui se verterit, et orbem suum confecerit. C. Nep. Agesil. *Tantaque usus est celeritate, ut quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit triginta diebus.* Ad *mensem vertentem*, perinde ut hic Plautus, Vitruv. IX, 4: *Sol autem signi spatium, quod est duodecima pars mundi* (id est coeli) *mense vertente vadens transit.* Cic. pro Quinct. I, 12; Phil. XIII, 10. Sic Virg. et alii

volventibus annis, id est decurrentibus, evolutis.


Vs. 725. *Bonam vitam* vel *agere*, vel *dare*, pro plena voluptatum et rerum bonarum; qui etiam vernaculae linguae idiotismus est. Casin. IV, 4, 17: *Venus multipotens, bonam vitam mihi dedisti, huius cum copiam mihi fecisti.* Senec. Epist. 123: *Ne dubitaveris bonam vitam quam opinionem* (id est famam) *malle.* Sic et *vivere bene* dicitur, et vita frui per voluptates, unde Ter. Hec. III, 5: *Vixit, dum vixit, bene.*

Vs. 742. *Feles virginaria*, dicitur raptor et corruptor virginum. Rud. III, 4, 43; sic *pullariam felem* dixit Ausonius; *plagiariam*, qui pueros sive puellas furatur: *Quis Marcus, feles nuper pullaria dictus, Corrumpit totum qui puerile decus.* Dicebant autem veteres *felis* et *feles* recto casu, teste etiam Charisio, antiquo Grammatico.

Vs. 759. *Accumbere in summo* (nam plures lectos hic stratos fuisse, apparet ex vs. 13) hoc est in summo lecto. Haec duobus modis intelligi debent: si enim plures lecti fuere, erit *accumbe in summo lecto*: si vero unus tantum fuerit lectus, erit *accumbe in summa parte lecti.* Tota ratio lectorum et triclinii apud veteres haec erat. Tribus lectis plerumque coenabant; singulis lectis recumbebant terni, aut summum quaterni apud lautiores; si plures sordidum habebatur. Cic. in Pisonem 27 exprobrat ei: *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans etc. Graeci quini stipati in lectulis, saepe plures.* Imo et apud lautiores bini tantum in quoque lecto recumbebant. Hinc apud Macrob. in coenae pontificiae descriptione, in duobus tricliniis decem modo convivae nominantur, ut appareat in magnificis epulis vix binos lectum unum tenuisse. De lauto homine Iuvenal. Sat. I:

Optima silvarum interea pelagique vorabat
Rex horum, vacuisque toris tantum ipse iacebat.

Accumbebant autem reclinati superiori parte corporis in cubitum sinistrum, inferiori in longum porrecta ac iacente, capite leviter erecto, dorso a pulvillis modice suffulto. Ex lectis tribus, unius triclinii scilicet, is, qui ad sinistram erat, dicebatur *summus lectus;* qui ad dexteram, *imus*, qui inter utrumque, *medius*. Ratio discumbendi hoc faciebat: etenim ut liberam et exsertam habere possent dextram manum, in sinistrum latus decumbebant. Et qui ordo lectorum, idem etiam fuit in singulis lectis accubantium. *Summus* quippe locus in unoquoque lecto erat eius, qui nullum supra se habebat: *imus* vero, quem infra medium accumbens tenebat vel occupabat: *medius* infra primum seu summum, ut imus infra medium. Schemate rem delineabimus:



1. *Locus primus, qui et summus, lecti summi.*
2. *Locus medius lecti summi.*
3. *Locus imus lecti summi.*
4. *Locus primus, qui et summus, lecti medii.*
5. *Locus medius lecti medii.*
6. *Locus imus lecti medii, qui et Consularis.*
7. *Locus primus, aut summus, lecti imi, qui et domini.*
8. *Locus medius lecti imi.*
9. *Locus imus lecti imi.*

Honoratissimum ex his locis ducebant Romani medii lecti locum imum, sive ultimum, eum nempe qui infra medium ad dextram erat eius lecti. Is dabatur convivarum honestissimo et dignissimo: ideo et *Consularem* vocabant. Plat. Sympos. lib. I, 3: Ρωμαίοις δὲ ὁ τῆς μέσης κλίνης τελευταῖον ὃν ὑπατικὸν προσαγορεύουσι. *Romanis vero medii lecti ultimus, quem Consularem vocant.* Imus autem medii lecti erat, quem occupabat is, qui infra medium ad dexteram erat lecti. Praeter imum medii lecti in summo et imo lecto, summus utrobique habebatur honoratior. Vide Mostell. I, 1, 42; Stich. III, 2, 37. Ideo miratur Plutarchus, cur honos et dignitas praecipua data illi consulari loco apud priscos fuerit, qui nec medius erat, nec summus, quum hi duo loci videri possent primatus honorem maxime mereri. Caeterum ex tribus lectis duo priores medius ac summus, invitatis cedebant. Dominus convivii cum uxore et liberis in tertio, seu imo accumbebat, isque in eo primum locum tenebat, teste eodem Plut. cit. loc. Τῶν δύο κλινῶν ἀποδεδομένων τοῖς παρακεκλημένοις, ἡ τρίτη καὶ ταύτης ὁ πρῶτος τόπος μάλιστα τοῦ ἑστιῶντος ἐστί. *Quum duo lecti invitatis tribuerentur, tertius lectus eiusque primus locus domino convivii cedebat.* Sueton. Aug. LXIV: *Neque coenavit una, nisi ut in imo lecto assiderent.* Sic fiebat, ut dominus in primo loco accumbens tertii lecti, et honestissimus convivarum in ultimo medii, sese prope contingerent, quippe quum in fine uterque sui lectuli locatus esset; hic in summo tertii, ille in imo medii. Eximius est locus Sallustii in hanc rem in Fragm. *Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, supra L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: Antonius in summo, infra scriba Sertorii Versius: Alter scriba Maecenas in*

imo ,*medius inter Tarquitium et Perpernam.* Tres hic sunt lecti, *medius*, *summus*, *imus*: in medio ut et in summo duo tantum, in imo tres discubuere. Sertorius , ut imperator (qui erat honoratiore loco) in medio inferior, supra se habuit L. Fabium: in summo superior Antonius, infra eum scriba Sertorii Versius: in tertio summus fuit Perperna , utpote dominus convivii , medius alter scriba Sertorii Maecenas, infra eum Tarquitius. Videndus hic omnino Salmasius. Horat. Satyr. lib. II, 8 , 20:

Summus ego , et prope me Viscus Thurinus , et infra
(Si memini) Varius: cum Servilio Balatrone
Vibidius: quos Maecenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra.

Tres fuere lecti, (nam meminit imi inferius: *Imi convivae lecti minimum nocuere lagenis*) novem coenantes. In summo lecto summus Horatius, medius Viscus Thurinus, imus Varius: in medio lecto imus, loco honoratissimo, Maecenas, supra quem Servilius Balatro et Vibidius: in imo medio dominus Nasidienus, supra Nomentanus, infra Porcius. Atque in triclinio *discumbere in imo*, *in medio*, *in summo* dicebantur, qui in lecto aut summo, aut medio, aut imo recumbebant. At supra et infra, qui summus et imus, id est, in primo aut ultimo lecti loco recumbebant. Suet. Calig. XXIV: Pleno *convivio singulos infra se collocabat*, *uxore supra cubante*: Tacit. III Annal. 14, in convivio Germanici *: Quum super eum Piso discumberet*, *infectos manibus eius cibos arguentes.*

Si uxor una non coenaret, umbris is locus destinabatur et vilioribus personis: *Superior accumbere*, Stich. IV, 5, 14. Horat. I Epist.

Alter in obsequium plus aequo pronus et imi
Derisor lecti.

Iuven. *Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto,*
Vna simus ait.

Aliud fuit, quum accumbebant in toro continuo, cui nomen erat a numero accumbentium, quos caperet. Hexaclinon, heptaclinon; octoclinon vocabant. Illud genus mensae στιβάδιον dicebatur; et referebat figuram literae Sigma Graecorum, aut Latinorum C, atque ex numero accumbentium indigitabatur. Octoclinium, quae octo convivas caperet, memoratur apud Martial. in Apophoretis 851:

Accipe lunata scriptum testudine sigma Octo capit, veniat quisquis amicus erit. ἑπτάκλινον στιβάδιον describit. In his quum una serie discumberent, is primum locum tenere censebatur, qui omnium summus erat, hoc est, in sinistro cornu stibadii primus accumbebat; ultimus, qui infra caeteros, hoc est, postremus in dextro cornu. Sic capiendus Festus: *Itaque in conviviis solus rex supra caeteros accubat, sed Dialis supra Martialem et Quirinalem; Martialis supra proximum, omnes deinde supra pontificem.* Tacit. XIII Ann. 14: vide Manut. ad Cic. lib. IX, ep. ult. ad Fam. (Alia quoque ratio fuisse in biclinio videtur. Cicer. lib. IX, ep. 26). Lips. lib. III Antiq. lect.

Vs. 765. *Bene mihi, bene vobis, bene amicae*

meae, breviter dicitur, intellecto *sit*, vel *cedat*, vel *eveniat*. Est autem sermo convivalis. Mos enim Graecorum et Romanorum in Symposiis fuit, ut ad pocula amicorum, benefactorum, principum, bonis cum votis meminissent, eo ipso gratiora sibi vina facientes, et sodales invitantes ad largius bibendum. Stich. V, 4, 27; id est, bene eos vivere precor. Tibul. lib. II, el. 1: *Sed, bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat.* Ovid. II Fast.

Et bene nos, bene te, patriae pater optime Caesar,
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Idem. de Arte Am.

Et bene dic Dominae, bene cum quo dormiet illa.

Ascon. Pedian. ad illud Cic. III Verrin. *Graeco more biberetur. Grandibus, inquiunt, poculis, et meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis, et hoc putant Graeco more potare.* Est autem Graecus mos (ut Graeci dicunt) συμπιεῖν κυαθιζομένους, quum merum cyathis libant salutantes primo Deos, deinde amicos suos nominatim; nam toties quoties merum bibunt, et deos et charos suos nominatim vocant. Res ex voluptate paulatim in necessitatem et coactionem transit, etiam inter priscos Christianos. Quippe adhibebantur ea nomina, ut si quisquam contra satietatem et lubitum respondere dubitaret, is impietatis reus haberetur. Ambros. *Quid obtestationes potantium loquar? quid memorem sacramenta, quae violare nefas arbitrantur. Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, et qui non biberit,*

sit reus indevotionis. Videtur enim non amare Imperatorem qui pro salute eius non biberit. Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Radulphus Episcopus Suessionensis ante 760 annos: *Invitati etiam presbyteri a religiosis quibuscunque pro memoria carorum suorum non se inebrient, neque inter pocula valere praesumant, sed neque precationes bibendi sub nominibus sanctorum exerceant.*

Vs. 811. *Staticulum dare*, est certum quendam gestum statumque saltatorium exhibere, Cato citatus Macrob. III Saturn. 2: *Descendit de cantherio: inde staticulos dare, ridicularia fundere.* Et iterum: *Voces demutat, staticulos dat.*

POENVLVS

Prol.

vs. 11. *Facere alicui audientiam*, significat facere ut quis attente et tacite audiatur: proprie dicebantur praecones adsistentes magistratibus concionem habentibus, et iubentes, omisso sermone, compositoque murmure ac strepitu, aures animosque advertere populum. Liv. XLIII, 16: *Vt Censores ad dissuadendum processerant, Graccho dicente silentium fuit: quum Claudio obstreperetur, audientiam facere praeconem iussit.* Transfert eleganter Cic. de Senect. c. 9: *Sed tamen est decorus senis sermo quietus et remissus, facitque persaepe ipsa audientiam diserti senis et comta et mitis oratio.* Et Divin. in L. Caecil. XIII: *Quantam auditorum multitudinem infamia concitatura sit, quantam denique audientiam orationi meae improbitas illius factura.* Ergo apud Plaut. *Fac populo audientiam*, est in populo.

Vs. 16. 45. *Bonum factum*, est solemnis praefatio edictorum, qua cives admonebantur officii sui, significabaturque bonos homines, et qui hoc numero esse vellent, parere debere. Tertull. de Pudicitia: *O edictum, cui adscribi debeat, bonum factum!* Aurel. Victor XLIX refert verba Scipionis Africani maioris, quum a Petilis et Nevio trib. accusaretur: *Hac die Carthaginem vici: quare, bonum factum, in Capitolium eamus et Diis supplicemus.* Valer. Probus inter iuris notas refert: *Q. B. F.* quod interpretatur:

Quod bonum factum. Suet. Vitell. XIV: *Exacerbatus, quod post edictum suum, quo iubebat intra kal. Octobr. urbe Italiaque Mathematici excederent, statim libellus propositus est: et Chaldaeos dicere, B. F. ne Vitellius Germanicus intra eundem kalendarum diem usquam esset.* Idem Iul. LXXX: *Peregrinis in senatum allectis libellus propositus est, bonum factum, ne quis senatori novo viam in curiam monstrare velit.* Eam autem vim esse formulae, quam initio diximus, apparet ex contraria formula apud Liv. X, 9: *si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quam improbe factum adiecit.*

Vs. 49. *Finitor*, dicitur proprie, qui colonia deducta agris in novos colonos divisis et adsignatis, fines constituit, eorum regiones, limites, et confinia determinat. Sic et Cic. utitur Orat. II, de L. Agraria: *Finitorem mittunt; ratum sit, quod finitor uni illi, a quo missus sit, renunciaverit.* Ibid. *Decemviri cum imperio, cum fascibus, cum illa delecta finitorum iuventute.* Idem *decempedator et metator* Ciceroni, quod in metando agro regula seu pertica decem pedum, quae *decempeda* dicitur, uteretur. Phil. XIII: *Cavebant etiam L. Antonio, qui fuerat aequissimus agri privati et publici decempedator* et sequent. Philip. *Quam ille ad explendas egestates latrocinii sui concupivit, quam iam peritus metator et callidus decempeda sua diviserat.* Ludit igitur Plautus, de argumento comoediae loquens, tanquam de agro.

Vs. 51. *Iurator* in genere potest dici, qui iureiurando adigit alterum. Κατ' ἐξοχὴν utitur Plautus pro Censore. Censores enim magistratus pop. Rom. a censendis civibus dicti, eos quorum censum agebant, iureiurando adigebant. A. Gell. IV, 20: *Censor adigebat de uxore solemne iusiurandum. Verba ita erant*

concepta: *ut tu ex animi tui sententia uxorem habes. Qui iurabat cavillator quidam fuit*, hoc est qui censebatur. Trinumus IV, 2, 30. Poscit senex sycophantam rationes, quid oret, quid velit, quid putet. Cui ille: *Quid tu me poscis rationes? olim cum census sum, dedi Iuratori*, sive Censori. Etenim his ut bonorum suorum, ita et morum vitaeque rationes cives reddebant. Eodemque alluditur hic vs. 56, phrases Censorum proprias adhibens, *accipere rationes*, dein *censere*. Subiicit ergo: *Vos Iuratores eritis*, hoc est, Censores. Vox autem *Censoris* non tantum magistratum populi Romani significat, sed quemvis arbitrum, qui de re aliqua censet vel existimat. Est igitur metalepsis, quam vocant Rhetores, *Iurator* pro Censore, sive magistratu populi romani. Et *Iurator* pro arbitro seu iudice. Nec mirum est, *iuratorem* dici eum, qui alium adigit, quum is, qui iurarit, *Iuratus* dicatur. Vide meas Observat. lib. IV, 3, pag. 43 et seq.

Vs. 63. *Pollinxisse*, dicebant veteres, quae more suo unxerant cadavera. Enn. *Tarquinii corpus bona faemina lavit et unxit.* Virgil. *Corpus lavant frigentis et ungunt.* Pers. de divite mortuo: *Tandemque beatulus alto Compositus lecto crassisque tutatus amoris.* Apul. in Florid. *Iam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, iam os ipsius unguentis odore delibutum, iam eum pollinctum.* Abstinendum est praesentis temporis inflexionibus in eo verbo, nusquam enim exstat praeterquam in glossario: Ταριχεύω νεκρὸν *pollingo.* Frequentius vocabulum eorum, qui hanc operam praestabant funeri, dicebanturque *pollinctores.* Varro: *Itaque si plures dies inter Medici discessum et adventum pollinctoris interfuerunt.* Vlpian. l. 5, D. de Instit. act. *Si Libitinarius, quos*

Graece νεκροθάπτας *vocant, servum pollinctorem habuerit.* Apul. in Fragm.

Pollinctor eius funeri dum unctionem parat.

Plaut. Asin. V, 2, 60. Qua phrasi proverbialiter possumus uti in eo, de quo aut de cuius rebus desperamus. Quia pollinctores non arcessuntur, nisi ad curanda funera mortuorum. In eundem sensum est apud Petron. *Mittere ad tibicines*, quoniam et tibiae funeribus adhiberentur. Vetus versio Ezech. XXXIX, 15: *Donec sepeliant illum pollinctores in valle multitudinis Gog.* Vbi in genere pro vespillonibus seu libitinariis videtur accipi.

Fab. 9. *Lirae lirae*, aut λῆροι λῆροι, vox irridentium alicuius sermonem, perinde ac Latine dicimus *nugae.* Apud Aristophanem in Pluto, quum senex interminatus esset servo, si molestus ei rogitando esset, vapulaturum, respondet ille: Λῆροι, οὐ γὰρ παύσομαι, id est: *Nugas agis, non enim quiescam.* Et eadem comoedia Paupertas, ut ostendat Iovem divitias non curare, ait olympicum victorem, ab illo non auro, sed olea coronari. Imo, respondet Chremylus, φειδόμενος καὶ βουλόμενος τούτου μηδὲν δαπανᾶσθαι, λήροις ἀναδῶν τοὺς νικῶντας, τὸν πλοῦτον ἐᾷ παρ' ἑαυτῷ. Sic etiam dicebant λῆρον ληρεῖς, id est *nugas nugaris.* Idem prorsus, quod habet Plautus: *Gerrae germanae*, hoc est, verae nugae, gerrae maximae. Epid. II, 2, 49. Fest. de origine huius proverbii: *Gerrae, crates vimineae. Atheniensibus quum Syracusas obsiderent et crebro gerras poscerent, irridentes Siculi, gerras clamitabant: unde factum est, ut gerrae pro nugis et contemtu dicantur.* Cic. ad Att. XVI, 1: *Quid ergo? Calendis Ianuar.*

Pansa spes λῆρος πολὺς *in vino, et in somno istorum.* Quasi dicat, nugae merae, immo nihil est spei, in hominibus ebriosis ac somnolentis.

Vs. 73. 74. *Balista et Balistarium. Balista* proprie machina bellica, seu tormentum, quo grandia tela mittuntur. Vox non Graeca, sed Graecae tamen originis, ut quae haud dubie ἀπὸ τοῦ βάλλειν sit dicta. Ammian. lib. XIX: *Operum variae species cum turribus ferratis admovebantur, quorum in verticibus celsis aptatae balistae propugnatores agitantes humilius disiectabant.* Ibidem dicit: *Balistas eorumque tortores.* Lib. XX, c. 7: *Nec balistae tamen cessavere, nec scorpiones, illae tela torquentes, hi lapides crebros, qualique simul ardente pice et bitumine illiti.* Liv. XXVI, 47, in praeda Novae Carthaginis: *Captus et apparatus ingens belli, catapultae maximae formae centum viginti, minores ducentae octoginta et una, balistae maiores viginti tres, minores quinquaginta duae, scorpionum maiorum minorumque et armorum telorumque, ingens numerus.* Hinc apud Plautum alii volunt ipsum telum significari, quod mittitur, et tum *balistarium*, subaudito substantivo *tormentum*, esset ipsa machina; alii per *balistam* intelligunt machinam; eamque volunt *mitti* dici, quum ex ea tela mittuntur, qua ratione *balistarium* esset locus, ubi balistae intenduntur, et posset poni pro eo, quod lingua vulgari et gallica dicimus *une batterie.*

Vs. 119. *Muriatica macerare. Muriatica* sunt eadem quae alias appellantur *salsamenta*, muria condita. Carnes et pisces saliuntur, ut conserventur ad usum; sanies autem seu tabes earum carnium pisciumve cum tabe salis permixta appellatur *muria.* Vnde Plin. XXXI, 8: *Innumeris generibus*

ad saporem gulae coepit sal tabescere. Sic et sal recoctum aqua iugi addita, qua Vestales in sacrificiis utebantur teste Festo, appellabatur *muries.* Vide Dalech. ad cit. Plinii locum. Aurel. Victor. De Vitis Ill. cap. 66: *Quam ille, luxurium opprobrans, muriam de turdis esse dicebat.* Quasi vellet dicere, turdos in illius corpore non secus ac carnes ac pisces in cupis, salitos et conditos condi, atque ibi muriem contrahere, quo verbo luxuriam et cibos delicatos, inter quos turdi, exprobrando invidiam facti sui minuit. Hinc *muriatica.* Fragmentum Plauti ex nescio qua deperdita Comoedia apud Fest. in voce *Narita: Muriatica autem video in vasis stagneis, Bonam Naritam, et camarum et tagenia, Echinos fartos, conchas piscinarias.* Ita hi versus Plauti legendi iuxta Scaligerum: (nomina sunt piscium, quibus sale conditis gaudebant veteres). Solent autem eiusmodi salsamenta, prinsquam foco apponantur, ad eluendum nimis salsum saporem, aliquamdiu in aqua dulci contineri, et hoc vocant *muriatica macerare.*

Vs. 138. *Stabulum, statumque et sellam olere*, verbo est, meretricem se prodere vel ostendere. *Stabulum* non semper est iumentorum, sed et quodvis vile diversorium interdum significat. (Sic *stabulum nequitiae* Cas. II, 1, 15; *flagitii*, II, 7, 31; unde et in tit. D. *Nautae, caupones, stabularii*; et apud Apul. *stabularius* pro diversitore, caupone). Et interdum significat lupanar, seu domum meretriciam, ut hic; unde et *prostibulum* de vilissima meretrice. Non. *Prostibula, quod ante stabulum sint, quaestus nocturni et diurni causa.* Idem genus levium feminarum *stare* et *sedere* dicuntur, expectantes scilicet adventorem. Horat. I,

Sat. 2: *Nullam nisi in olenti fornice stantem.* M. Senec. Controv. II: *Stetisti cum meretricibus, stetisti sic ornata ut populo placere possis, ea veste quam leno dederat.* Ibidem: *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti.* Iuven. Stat. VI, de Messalina Claudii uxore: *Hinc nuda papillis Prostitit auratis titulum mentita Lyciscae.* Hinc Tertull. ad Vxorem, lupanar vocat *consistorium libidinum publicarum.* Sic etiam a *sedendo* meretrices dicuntur *prosedae* hac Sc. vs. 54; sive, ut ait Isidor. a *prosedendo in meritoriis sive fornicibus.* Iuven. Sat. VI: *Et dubitas alta Chionen deducere sella?* Vbi Scholiastes: *Vnde sellariae dicuntur. Vnam meretricum a sella sua abducere cunctaris.* Tertull. de cultu uxoris: *Thamar illa, quia se expinxerat, idcirco iustae suspicioni visa est quaestui sedere.* Hinc et Plautus: *statum et sellam olere.*

Vs. 144. *Nebulae cyatho emere* vel *condicere aliquem posse,* id est re vilissima levissimaque et nihili. *Nebulae* ponuntur pro nugis, rebus nugacibus et inanibus. Vnde Aristophanes traducturus in scena Socratem, tanquam ineptiis meris operam dantem, facit illum pro venerandis Deabus adorare Νεφέλας, *nubes* seu nebulas. Pers. *Grande locuturis nebulas Helicone legunto*, hoc est vana Poëtarum commenta, fumis et nebulis similia, ex Helicone illorum adsciscunto. Eo autem magis apposite vilissimae meretricis *noctem* dicit Plautus *cyatho nebulae emi*, quod huiusmodi mercede muneribusque, quae cyatho aut mensuris similibus poterant expendi, hoc est, liquidorum sed pretiosorum, infames illae merces ab hominibus luxuriosis comparabantur. Quod discimus ex Martiale lib. XI, ep. 28: *Ferreus est, si stare potest tibi mentula, Flacce, Cum te sex cya-*

thos orat amica gari. Et ibid. *At mea me libram foliati poscat amica;* ubi *Garum* est piscium pretiosior sanies quam muria. Plin. XXXI, 8: *Aliud est liquoris exquisiti genus, quod garon vocavere, intestinis piscium caeterisque, quae abiicienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies: nunc e scombro pisce laudatissimum, Sociorum appellatur. Singulis millibus nummum permutantibus congios paene binos.* Mart. XIII, ep. 102: *Garum sociorum: Expirantis adhuc scombri de sanguine primo, Accipe fastosum munera cara garum.* Manil. lib. V sic describit: *Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris Evomit, et mixto gustum sale temperatoris.* Quod Martialis *primum sanguinem*, id *florem cruoris* appellat Manilius. *Foliatum* autem, est genus unguenti ex foliis, Nardi praecipue, confectum. Plin. XII, 12, XIII, 1. Iuven. Sat. VI: *Moechis foliata parantur.*

Vs. 189. *Nocturna ora*, sunt deformia, noctem potius, quum formarum spectatoribus minus apparent, quam lucem amantia. Non differunt multum *noctuini oculi*, Curcul. I, 3, 35. Quamvis hoc potius a *noctua* descendat, tamen et convitium est, *noctuinus* in hominem turpem, sive forma, sive animo, et nocte potius quam die utentem. Catalect. Virgil. *Socer beate nec tibi, nec alteri, generque noctuine putidum caput.* Et rursus: *Superbe noctuine ac putidum caput, Datur tibi puella, quam petis datur.*

Vs. 194. *Loqui mulsa*, significat blandos, dulces sermones proferre. Quamquam praecipiunt Rhetores allegoriam in eodem genere desinere debere, in quo coeperit: solent tamen eleganter nonnunquam auctores migrare hanc legem, ut in phrasi praesenti

confunditur auditus et gustus, illum adficit sermo, hunc mulsum. Ita differunt hae voluptates genere proximo, non tam remoto, quod ad sensus. Sic *cantare nectar* dixit Pers. *Corvos Poëtas et Poëtrias picas cantare credas Pegaseium nectar.* Contra est *lapides loqui*, Aulul. II, 1, 30; id est narrationem ingratam, duram, molestam. Suidas notat proverb. ex Aristophan. Ῥόδα μ' εἴρηκας, et interpretatur ἐμοὶ τὰ παρὰ σοῦ εἰρημένα ῥόδα ἐστιν, *mihi quae abs te dicta sunt, instar rosarum sunt.*

Vs. 253. *Orator* hic ponitur pro legato. Legati seu oratores sunt sacrosancti, inviolabiles iure gentium: itaque qui legatum violat, ius gentium violat. Liv. X, 37: *Pacti cum Consule, ut mitti Romam Oratores liceret;* lib. XXVIII, 17: *Scipio ad Syphacem oratorem C. Laelium cum donis mittit.* (Vide Festum et Scaliger. ad Fest.) Ideo ait *Impias te*, id est piaculo obstringis te, grande nefas facis: nam qui legatum violat, vel iniuria afficit, contra ius gentium peccat. Rud. I, 3, 8: *Si erga parentem aut deos me impiavi*, id est impie gessi.

Vs. 266. *Victitare sorbitio*, proprie est pulte, quae sorbetur, in genere cibo pauperculo. Caecil. apud Fest. in *Senium*: *Sine suam senectutem, ducatusque ad senium* (id est taedium) *sorbitio.* Translate usurpatur pro vivere in suspirio et gemitu: nam qui sorbent, suspirare et gemere videntur.

Vs. 313. *Oedipo coniectore opus est isti orationi*, dicitur de oratione obscura, propterea quod solus Oedipus aenigma Sphingis, monstri Thebani, potuerit interpretari. Erat autem illud, quod animal primo quadrupes, inde bipes, denique tripes esset. Ille hominem significari deprehendit secundum tres

aetates, infantiam, iuventutem et virilem aetatem, extremum senium. Eiusdem sensus est Pseud. I, 1, 23; et sic hinc Terent. *Davus sum, non Oedipus*. Mart. lib. X, ep. 21: *Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris.* Dictum elegans Cicer. in Hortensium. Plin. XXXIV, 8: *Signis, quae vocant Corinthia, plerique in tantum capiuntur, ut secum circumferant. Sicut Hortensius Orator Sphingem a Verre oblatam, propter quam Cicero in illo iudicio, in altercatione neganti ei se aenigmata intelligere, respondet debere, quoniam sphingem domi haberet.*

Vs. 376. *Tardiores quam corbitae in tranquillo mari. Corbitae* sunt naves onerariae, dictae a forma corbis rotundae. Cic. XVI ad Att. *Corbitane Patras, an auctuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, ac inde Corcyram, et si oneraria statimne freto an Syracusis?* ubi quam prius *corbitam* dixerat, postea *onerariam* vocat. Casin. IV, 1, 20: *Novi ego illas ambas estrices: corbitam cibi comesse possunt.* Quia illae corbitae erant naves frumentariae, ergo dicit corbitam cibi, tantum frumenti, quantum corbita capere potest. Est autem haec differentia inter onerarias et actuarias, quod hae remis agerentur, illae tantum velis instruerentur. Liv. lib. XXVI: *Naves, quas Livius tutandis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, apparatuque moenium oppugnandorum, partim tormentis et saxis omnique telorum missilium genere instruit: onerarias quoque non solum quae remis agerentur.* Haec est igitur causa tarditatis in corbitis a tranquillo mari: neque enim tum poterant provehi, et adverso vento in portum regredi cogebantur; infra vs. 40: *Obsecro hercle operam celocem hanc mihi, ne corbitam date. Celox* est navis piratica remigio

instructa. Asin. II, 1, 10; Capt. IV, 4, 94; Mil. IV, 1, 39; ubi pro levi et speculatoria navi accipitur. Apud Liv. *Quinqueremes celoces* κελῆτα *appellant.* Lacones pro κελὴς dicebant κελῆρ, unde Latinis *celer.* Dores κελὴξ, ut ὄρνιξ pro ὄρνις, Αγγαξ pro Αιας. Latinis a *celer* est deinde *celox.* Eodem sensu ad tarditatem exprimendam pag. 10 dicit *gradum succretum cribro pollinario.* Cribrum pollinarium, alias incerniculum, quo pollen seu flos farinae a furfuribus separatur atque excernitur. Phrasin habet Cato de R. R. 18: *Eo calcem cribro succretam indito alte digitos duos. Excreta, seu succreta, illa farina lentissime cadit in alveum suppositum.* Ait ergo incessum eorum tam lentum esse, quam lente cribro succernitur pollen. Et sic vs. 29: *Vincere cochleam tarditudine*, id est incedere tardissime.

Vs. 399. *Vincere cervum cursu*, vel *grallatorem gradu*, est velocissimi cursus, et grandium graduum esse. *Cervorum* pernicitas nota in proverbium abiit. Ovid. *Crura nec ablato, prosunt velocia cervo. Grallatores* qui sint, docet Fest. *Grallatores appellantur pantomimi, qui ut in saltatione imitarentur Aegipanas, adiectis perticis, furculas habentibus, atque in his superstantes ad similitudinem crurum eius generis gradiebantur.* Videntur exercitio crebro adsecuti hi homines, ut etiam grallis saltare et subsilire possent: secus atque hodie grallis incedentes videmus, qui grandes potius passus, quam citos faciunt. Arnob. lib. II, et Herald. Ann. p. 30: *Cursores, quod pugiles, quod saltatores, grallatores, funambulos.*

Vs. 559. *Locum quaeritare a muscis*, sc. liberum. Eleganter dicitur ἀποσιωπήσει, seu reticentia. *Muscae* autem sunt homines, perinde ut muscae, mole-

sti odiosique. Mercat. II, 3, 26: *Musca est meus pater*; *nihil potest clam illum haberi.*

Vs. 573. *Latrocinari*, sine probro dicebant interdum veteres pro mercede mereri, nempe in militia. Mil. II, 6, 19. Trin. II, 4, 198: *Latrocinatum*, id est mercede militatum. Ideo leno ait delicias, quas personato militi in suo hospitio promittit, *latrocinari*, id est, non gratis dari, sed conduci, ut mercenarii latrones sive milites solent. Eoque sequente versu, quum rogasset alter, *quid ita? quia*, inquit, *aurum poscunt praesentarium*; nam et *latrones* honeste pro militibus. Varro lib. IV de L. L. citat Plautum in Cornicula: *Qui regi latrocinatus, decem annos Demetrio. Latrones* dicti a *latere*, quia circa *latera* erant regi, atque ad latera habebant ferrum, quos postea a stipatione *Stipatores* appellarunt, ut qui conducebantur mercede. Ea merces graece λάτρον καὶ σάτρον. Ab eo veteres Poëtae nonnunquam milites appellant *latrones* Mil. I, 1, 79, Stich. I, 2, 78. Ennius Annal. I: *Haec effatus ubi latrones dicta facessunt.* Hac Scena vs. 50: *Hic latro in Sparta fuit apud Regem Attalum.*

Vs. 614. *Illicem rei malae esse alicui*, significat conciliare alicui malum vel damnum. *Illex* κατ' ἐξοχὴν in aucupio avium dicitur avis, qua ad alias illiciendas auceps utitur, quae Graecis καλοῦτρια. Asin. I, 3, 68. Plin. X, 33: *Contra aucupis illicem exeunte in proelium duce totius gregis.* Fest. *Illex producta sequenti syllaba significat, qui legi non paret: illex correpta sequenti syllaba significat inductorem, ab illiciendo.* Prior interpretatio desumpta est ex Pers. III, 3, 4. Quae duo verba, ut ficta usus causa, non ausim imitari.

Vs. 647. *Dicendo* vel *negando ravio*, est raucesco, raucus fio. Quod est idem ac si diceret, tamdiu dico, vel tamdiu nego, ut dicendo vel negando raucus fiam. Festus: *Ravim antiqui pro raucitate dicunt.* Plaut. Aulul. II, 5, 10: *Vbi si quid poscamus, ad ravim poscamus.* Et Cistell. *Expurgabo hercle omnia ad raucam ravim.* Vnde et verbum *ravio.* Glossae Isidori: *Ravit, rauce loquitur.* Lucil. *Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.* Eleganter quoque Cicero *raucum rumorem* dixit consilescentem, quum iam minus iactatur, quod pridem in omnium ore erat, lib. IX, ep. 2: *Te vero nolo, nisi ipse rumor iam raucus erit factus, ad Baias venire.*

Vs. 669. *Subscribere alicui dicam*, est hic idem quod *scribere dicam*, δίκην γράφεσθαι, sive accusare. Libelli scripti, ut hodie quoque, tradebantur iudici ab litigatoribus, quibus non modo ipsi, sed etiam causidici et advocati fautoresque subscripserant sua nomina. Liv. XXXIII, 47; Vell. II, 69; Sen. III de Benef. Consol. ad Marc. cap. 22: inde *subscriptio* idem quod accusatio; et *subscriptor*, tum accusator, tum fautor accusationis; et *subscribere*, accusare. Cic. Divin. in Q. Caecil. *L. Appuleium iam esse video proximum subscriptorem.* Et iterum: *Vt ad causam tantam a me susceptam, mihi creditam, quisquam subscriptor adspirare possit.* Vbi Asconius: *Subscriptores ait eos esse appellatos causidicos, qui adiuvare accusationem poterant.* Graecis δευτερόλογοι καὶ δευτεραγωνισταί Idem ad Q. Fratr. *Gabinius absolutus est: omnino nihil accusatore Lentulo, subscriptoribusque eius infantius.* Rursus Divinat. in Caecil. *Ex illo grege Oratorum, qui sibi subscriptionem postularunt a vobis, cuicunque*

vos delationem dedissetis, id est qui postularunt a vobis, ut sibi liceret subscribere accusationi, et una accusare, cuicunque ius accusandi vos principaliter dedissetis. Lib. VI, ep. 1: *Post hoc ille cum caeteris subscripsit, centumvirale iudicium meum non subscripsit*, id est caeteros vocavit in ius apud Centumviros, me non vocavit. Tacit. eleganter in vita Agricolae, XLV: *Praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videri, et adspici, quum suspiria nostra subscriberentur*, id est, quum, si morti homines innocentes damnati ingemuissemus, adessent delatores, qui nos ob gemitus et suspiria reos facerent maiestatis. Corn. Nep. Attic. *Neminem neque suo nomine, neque subscribens accusavit.*

Vs. 696. *Lautumiae*, sunt in genere nihil aliud quam lapidicinae, λιθοτομίαι ut et hic, in quas homines noxii, aut servi improbi coniici solebant ad operas in vinculis praestandas. Sed quia his, ingenti prope Syracusas saxo excavato, pro carcere sunt usi tyranni Siculi, inde factum, ut quivis carcer saxeus *Lautumiae* apud Latinos appellarentur. Cic. V in Verr. cap. 27: *Lautumias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis. Opus est ingens, magnificum, regum atque tyrannorum, totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso et multorum operum penitus exciso. Nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias nec fieri nec excogitari potest. In has lautumias, si qui custodiendi sunt, etiam ex caeteris oppidis Siciliae deduci imperantur. Eo multos cives romanos coniecerunt, eodem caeteros piratas contrudi imperaverat.* Et cap. 65: *Carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quae Lautumiae vocantur, in istius imperio domicilium civium*

romanorum fuit. Hinc et *Lautumiae* dicebantur carcer in urbe Roma. Varro IV de L. L. *Carcer a coërcendo, quod exire prohibeat; in hoc pars, quae sub terra, Tullianum, ideo quod additum a Tullio Rege; quod Syracusis, ubi simili de causa custodiuntur, vocantur* λατομίαι, inde *Lautomiae* translatum. Liv. XXXVII, 3: *Principes Aetolorum tres quadraginta, inter quos Damocritus et frater eius erant, Romam deducti et in Lautumiis coniecti sunt.* et XXXIX, 44: *Cato facienda locavit atria duo Maenium et Titium in Lautumiis.* Marc. Senec. IX Controv. 4: *Idem quum reus rogaret, ut in Lautumiis transferretur.* Leg. 9, ff. ex quibus causis maiores: *Vinculorum appellatio latius accipitur: nam etiam inclusos veluti Lautumiis vinctorum numero haberi placet: quia nihil intersit parietibus an compedibus teneantur.* Leg. I, §. 4, de Aleatoribus: *Vt aut multis mulctatus, aut in Lautumias vel vincula ducatur.* Inde ad differentiam harum *Lautumiarum*, quae nihil aliud sunt quam carcer, et illarum in quibus laboratur, lapidesque vere caeduntur, interdum solent dicere, *Lautumiae lapidariae.* Capt. III, 5, 65: *Inde ibis porro in lautumias lapidarias. Lautumiae* autem dicebantur pro *Laotomiae*, ut *Laudiceni* pro *Laodiceni* ab urbe Laodicea, pro qua et *Laudicen* dicebant, et *Lauconte* pro *Laocoonte* apud Petron.

Vs. 777. *Ad incitas redigere*, significat ad extremam miseriam et necessitatem, Trin. II, 4. 136. Lucil. III Sat. *Illud ad incitas eum redigat atque internecionem*; id. lib. XV: *Villicum Aristocratem, Mediastinum, atque bubulcum, Commanducatos corrupit, ad incitas* i. e. *adegit.* Mamerc. in Paneg. Iul. dicto cap. XIX: *Epirotae ad incitas intolerandi tributi mole depressi providentia tua miserias exuerant.* Apul. III

Metam. *Tunc opulentia nimia ad extremas incitas deducti.* Desumpta loquendi ratio a ludo latrunculorum, quem nos vulgo *Schachorum* vocamus, in quo latrones, sive calculi, ut egregie Isid. XVIII, 67: *Partim ordine moventur, partim vage: ideo alios ordinarios, alios vagos appellant: et qui moveri omnino non possunt, incitas dicunt, unde et egentes homines inciti dicuntur* (hoc ineptum, et ab solo Isidoro, quum priora sint ex optimo veteri auctore) *quibus spes ultra procedendi nulla restat.* Sic ille. Dicuntur *inciti* ab *in* et *cieo*, vel *cio*, quod est moveo, quia moveri non possunt, et tum quidem sunt incerti, quum proprio huius phraseos sensu ad *incitas* metas, vel lineas, vel fines, unde progressus non est, sunt adacti: quo quia pereunt illa vice, neque militant amplius, inde factum, ut et in rebus aliis *ad incitas*, nempe metas, vel fines, aut ad *incita*, nempe loca *adigere* vel *redigere* dicatur, pro ad supremam necessitatem adducere, et ad summam desperationem compellere. Vide Guiet. ad Terent. p. 180.

Vs. 822. *Fecisse quod sibi faciendum sit*, Graece κατ' ἐυφημισμὸν pro mortuum esse, fatis concessisse, mortalitatem explevisse. Veteres religiosi stulta superstitione, a quibus abhorrebant, ea, et imprimis mortem, ne nominare quidem audebant. Si nominassent, abominabantur aut adiecta formula, *quod Deus omen avertat*, aut quod locuti erant, despuentes, de quo supra ad Aulul. Sed malebant eadem, si mentio eorum facienda esset, vocabulis et phrasibus melius ominatis circumscribere. Sic pro eodem dicebant *fuisse*, *vixisse*, *abiisse in communem locum*, de quibus superius, et *abiisse* simpliciter. Festus: *Abiisse pro obiisse dicebant.* Phaedrus IV, 19, 16:

Abiturus illuc quo priores abierunt. Etiam *absentes* et *praeteritos* pro mortuis dicebant. Dido apud Virg. IV Aeneid. *Sequar ab atris ignibus absens*, id est mortua. Propert. lib. II, el. 3: *Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico. Fas est praeteritos semper amare viros.* Tale est infra V, 2, 125: *Quin mea quoque iste habebit, si quid de me fuat*, antique pro *sit*, id est si moriar, si quid fato accidat. Tacit. III Hist. 38, Trin. I, 2, 120. Cic. II de Invent. *Cuius haeres illo in testamento quisquam scriptus erat, si quid pupillo accidisset.* Lucil. *Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis.* Senec. II Controv. 10: *Si quid alteri humanitus obtigisset.* Leg. 162 ff. de V. S. *Si quis ita in testamento scripserit: si quid filio meo acciderit, Damas servus meus liber esto*; id est, mortuo filio meo Damas liber erit. Licet enim aliqua accidant et vivis. Sed vulgi sermone ita *mors* significatur. Vide Scalig. ad Fest. et Meurs. de Fun. cap. I.

Vs. 859. *Fortasse arbitrarier*, idem est, quod fortasse arbitratur. Haec enim adverbia *scilicet*, *videlicet*, *fortasse* veteres ponebant cum infinitivo. Lucret I, 610: *Postremis quoniam cultis praestare videmus Culta loca et manibus meliores reddere factus, Esse videlicet in terris primordia rerum*, hoc est, sunt videlicet, vel videas licet esse. Stic. IV, 1, 49 et 51. Gell. XVII, 5: *Haec ille rhetoricus artifex dicere quibusdam videbatur perite et scienter, sed videlicet eum vocabula rerum vera ignorasse.* Truc. III, 2, 12. Lucret. II, 473: *Scilicet esse globosa tamen, quum squalida constent, Provolvi simul ut possint et ludere sensus.* Terent. Heaut. II, 3: *Sed istunc exhorta, ut suum esse simulet.* Crit. *Scilicet facturum me esse: in eum iam res redit locum, ut sit*

necesse. Ead. Comoed. IV, 8: *Id est profecto, id amicae dabitur*. CH. *Scilicet daturum*. Ibid. V, 1, 19: *Nam ubi desponsam nuntiasti filio, continuo iniecisse verba tibi Dromonem, scilicet sponsae vestem, aurum ancillis opus esse*. Asin. IV, 1, 42, Turneb. II, 2, 13, Andr. II, 3, 64, Pseud. IV, 7, 83, Sallust. I Hist. in Orat. Philipp. At scilicet eos, qui legatos, pacem, concordiam, et alia huiusmodi decreverunt, ad postremum gratiam ab eo peperisse. Titinn. Veliterra: *Fortasse votum fuisse, quo die liber foret. Nunc eius voti condemnatus immolavit hostiam*. Curc. II, 2, 12, Rud. II, 3, 64, Trucul. III, 2, 22, Mercat. IV, 4, 42, Asin. I, 1, 24. Gell. VII, 22: *Nimis pingui et corpulento homini Censores equum adimere solitos; scilicet minus idoneum rati esse*. Vide Palmer. XXXVII Spicil. Gifan. Ind. Turneb. XV, 1; et me III Observ. 9.

Vs. 866. *Mures Africani*, sunt qui alias κατ' ἐξοχὴν appellantur *Africanae*, nempe ferae, seu pantherae. Liv. XLIV, 18: *Et iam magnificentia crescente notatum est ludis Circensibus P. Scipionis Nasicae et P. Lentuli aedilium Curulium LXIII Africanas, et XL Vrsos et Elephantos lusisse*. Solebant autem Romani propter similitudinem quandam peregrinis feris suorum, aut apud se cognitorum animalium, nomina dare. Sic elephantum vocarunt *Lucam bovem*, quia hoc genus in Lucania bello Pyrrhi primum conspectum est. Sic Camelopardalim, ovem feram; Struthionem, seu struthiocamelum, passerem marinum. Pers. II, 2, 17. Vocabant autem hunc *passerem* imitatione Gaecorum, quibus erat στρουθὸς: *marinum* autem quod esset peregrinus et transmarinus. Sed et omnes propemodum minores feras *mures silvestres* vocabant: unde et *pelles murinas* dicebant,

marcium, sive melium, vulpium, cuniculorum, leporum et huiusmodi animalium et similium pelles. Iust. lib. II, 9: *Pellibus ferinis et murinis*; ubi vid. Voss. Hieronym. *Peregrini muris pelliculas.*

Vs. 880. *Sub cratim supponi*, genus supplicii est, cuius finis erat, ut in aquam mersi suffocarentur. Liv. lib. I, 51: *Deiectus ad caput aquae Ferentinae, crate superne iniecta, saxisque congestis mergeretur.* Idem lib. IV, 50: *Ad vociferationem eorum, quos sub crate necari iusserat, concursu facto.* Tacit. de Mor. Germ. *Proditores et perfugas in arboribus suspendunt, ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude iniecta insuper crate mergunt.*

Vs. 994. *Nomina mutare* solebant veteres interdum in singulari fortunae ac status sui mutatione. Sic impudicitiam professae aliud sumebant nomen, quod et in ianua cellae inscriptum pistacio apponebatur, Plaut. Stich V, 3. 20. M. Seneca: *Meretrix vocata es: superpositus est cellae tuae titulus.* Sic de Messalina Iuvenalis: *Titulum mentita Lyciscae.* Sic vicissim quum meretricio quaestu renuntiarent et nuberent. Aristenaet. in epist. Amat. lib. I, 19, de quodam Melissario: Παγκάλως ἐπὶ τὸ σεμνὸν μετήλλαχε προσηγορίαν, ἅμα καὶ σχῆμα: id est, *omnino pulchre ad gravitatem vel honestatem mutavit nomen simul et habitum.* Et mox de eadem: Ἀρτίως οὖν περιβαλλόμενον σεμνὴν ἐφεστρίδα, γέγονα παρὰ τῇ Πυθιάδι. τοῦτο γὰρ μετακέκληκεν ἑαυτήν; id est, *nuper igitur circumiecto honesto seu matronali amiculo adfuit Pythiadi, sic enim ipsa immutavit nomen suum.* Sic etiam servi cum libertate patronorum nomina accipiebant; at illis permittentibus ultro liberum aliquid et honestius sumebant. Cic. Philip. II: *Aperta lectica Mima portabatur, quam ex oppidis municipales homines honesti*

obviam necessario prodeuntes, non noto illo et minimo nomine Hippiam, sed Voluminam consalutabant. Cic. ad Att. de Eutychide: *Gratum, qui vetere pronomine, novo nomine Titus erit Caecilius: ut est ex me et te iunctus Dionysius, M. Pomponius.* Tacit. I Hist. *Nec minor gratia Icelo Galbae, liberto, quem annulis donatum equestri nomine Marthenum vocabant.*

Vs. 1013. *Puteus*, est genus hypogaei seu subterranei carceris, Aul. II, 5, 21, et 7, 3. Graeci λάκκους et βάραθρα vocant. Colum. VI, 5: *Vinctis senis quam saluberrimum subterraneum ergastulum; plurimis atque angustis illustratum fenestris, atque a terra sic editis ne manu contingi possent.*

Vs. 1090. *Etiam me meae latrant canes.* Proverbium, quod possumus usurpare, quum etiam ii, qui iure obnoxii et obsequentes nobis esse deberent, nobis importune adversantur. Canum est enim dominis adblandiri, alienos allatrare. Observandum etiam genus loquendi, *latrare aliquem*, pro *allatrare.* Sic Stat. I Theb. *Vmbrasque petunt et nubila latrant.* Tertull. advers. Marcian. II, 1: *Canes Deum veritatis latrantes.* Horat. II, Sat. 1: *Si quis opprobriis dignum latraverit integer ipse.* Horat. I, ep. 2: *Venaticus ex quo tempore cervinam pellem latravit in aula.* Gell. VII, 1.

Vs. 1147. *Atrior quam Aegyptii*, aut *qui cortinam ludis circumferunt*, dicitur de homine nigerrimo aut colore solis perusto. Locus videtur non satis intellectus. Explicant enim de illis, qui vas aqua plenum ludis Circensibus circumferebant, ut equos cursu defessos frigida adspergerent, et homines fuisse adusti coloris. Certe *cortina* idem est Latinis quod Graecis τρίπους ac λέβης. unde *cortinae fulloniae* Plinio, ubi lana suffecta succos imbibit. Sic et *tripodem Apol-*

linis Varro vocat cortinam. Et *e cortina* idem est quod e tripode: sic ob incurvam formam theatrum: *Magni cortina theatri.*

PSEVDOLVS

Fab. vs. 36. *Herba solstitialis*, proprie quae tempore solstitii, nocte praesertim frigidiuscula et rorulenta subnascitur, et postea a calore solis diurni, qui tunc maxime effervescit, emoritur aut flaccessit. Dicitur proverbio de re fugaci et non diuturna. Hinc Calidorus dicit, se paulisper fuisse, extitisse, viguisse, vixisse, quasi herbam solstitialem. Imitatusque est Ausonius de morte praestantis cuiusdam adolescentis, in Parentalibus, pag. 163: *Ostentatus, raptusque simul, solstitialis velut herba solet.*

Vs. 68. *Discidium*, vox elegans, ac fere corrupta in *dissidium* apud auctores; quae duo tamen differunt: nam *discidium* est idem quod divortium, separatio, a verbo *discindere*; proprie est corporis, et quasi corporis: *dissidium* est animorum dissentio. Ovid. V Metam. *Sed tanta cupido si tibi discidii, repetat Proserpina Coelum*, id est divortii, seu matrimonii separati. Lib. XIV: *Non bene discidium Phrygii latura mariti Sidonis*, id est discessum Aeneae Phrygii, seu Troiani, non aequo animo latura Dido. Et inde divortium, Lucret. lib. I: *Quae partibus eius Discidium parare et nexus solvere posset.* Ibid. *Haud igitur redit in nihilum res ulla, sed omnes, Discidio redeunt in corpora materiai*, id est dissolutio. Tacit. lib. II Ann. *Agrippa discidio domum imminuerat*, id est divortio, uxorem a se exigendo. Terent. Andr.

Valeant qui inter nos discidium volunt. Non enim volebant ut animis tantum dissiderent Pamphilus et Glycerium, sed et prorsus ab eo disiungeret et relinqueret. Tibull. *Asper eram, et bene discidium me ferre loquebar*, id est separationem a puella mea, absentiam ab amica. Sic Liv. XXV: *Discidium privatorum publicorumque foederum.*

Vs. 85. *Opponere pignori*, vel *opponere* simpliciter, dicebant Latini de omni re sive mobili, sive immobili, quae pro credito in securitatem creditoris eidem a debitore vel tradebatur vel obligabatur. Vt Graeci usurpant ποτιθεναι. tam de pignore, quam de hypotheca. Catull. *Furi villula nostra non ad Austri Flatus opposita est, nec ad Favoni, Verum ad mille quindecim ac ducenta.* Ludit autem in vocabulo *opponi*, quando et aedificium tali aut tali vento oppositum dicitur, ut item res data pignori ad tantam vel tantam summam opposita. Seneca lib. VII, de Benef. *Puta quum captus esses, me pecuniam mutuatum, rebus meis in securitatem creditoribus oppositis.* Ita et accipitur verbum *supponere* in tit. cod. *De rebus eorum, qui sub tutela sunt vel cura, sine decreto non alienandis vel supponendis.* Iul. Antecessor Constitut. II: *Liceat administratoribus rem immobilem supponere.*

Vs. 105. *Supercilium salit*, dictum ex stulta veterum superstitione, optimum rei agendae omen inde capientium, si oculus aut supercilium dextrum subito nictitaret. Theocrit. Idyll. III: Ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δέξιος. ἆρά γ' ἰδησῶ αὐτάς. Possumus usurpare significantes bonam spem et augurium rei, quam aggredimur, habere.

Vs. 214. *Pulmento uti unctiusculo*, est coenare lautius, cui contrarium apud Pers. *coenare sine uncto*, id est arido nec delicato cibo uti. Idem Sat.

III, loquens de luxuriosis, quibus intemperantia morbos et ambiguam valetudinem affert: *Vncta cadunt laxis tua pulmentaria labris*. Hinc *unctius quid contigisse* alicui dicitur, pro lucrum alicui obvenisse. Catull. *Respondi, id quod erat, mihi aut ipsi. Nec quaestoribus esse aut cohorti, Cur quisquam caput unctius referret*. Loquitur de provincia, quam nec sibi nec aliis lucro fuisse significat. Horat. I Epist. *Nec tantum et parvula laudo, Tum res deficiat, satis inter vilia fortis, Verum ubi quid melius contingit et unctius*.

Vs. 259. *Porricere*, est verbum sacrificantium vetus. Quum immolarent, partem extorum, Diis proprie sacratam, in aram imponebant, et Diis adolebant, parte vescebantur, qui sacrificio intererant: illam partem, quam Diis dabant, quoniam *prosecabant* primum, vel quoniam *prosicabatur*, ut veteres loquebantur, (Noster Poen. II, 1, 8) appellabant *prosicias*, *prosicia*, *prosecta* et *prosiciem*. Poenul. II, 8. Solin. XX: *Quum prosicias intulerunt, si adest Deus, si sacrum probatur, sarmenta luce viridia sponte concipiunt incendium*. Festus: *Prosicium, quod prosectum porricitur*. Ovid. VI Fast. *Inde ubi libavit, prosecta sub aethere ponit*. Lucil. *Coenam, inquit, nullam, neque Divis prosectum ullum*. Varro lib. II Rer. Divinar. p. 37, ed. Scal. *Prosiciem extorum in mensam porricere*. Etenim illam partem *prosectam*, quae proprie diis dabatur, quum imponebant mensa sacra, porricere dicebantur. Festus: *Porriciam pro porro iaciam, maxime de extis dicebant antiqui*. Varro lib. I de R. R. cap. 29: *Sic quoque exta quum dabant Deis, porricere dicebant*. Arnob. lib. V: *Quum Romulo Pompilioque percocta plane ac madida concremarentur Diis exta, nonne Rege sub Tullo*

semicruda coepistis, et leviter animata porricere. Virg. Aen. V, 22:

Dii, quibus imperium pelagi, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus.

Hinc proverbium apud Cic. V ad Att. 18, et Varronem lib. V de L. L. *Inter caesa et porrecta Diis maritimis immolantes, quae alias in aram tum in fluctus porriciebant.* Liv. XXIX, 27, de Scipione Afric. *Secundum eas preces, cruda exta victimae, uti mos, in mare porricit, signumque dedit proficiscendi.* Cato de R. R. cap. 134: *Vbi exta prosecta erunt, Iano struem commoveto.*

Vs. 296. *Lex quina vicenaria*, Lex Laetoria lata in circumscriptores pupillorum, cuius in re privata publicum iudicium fuisse testatur Cic. de Nat. Deor. *Ea erat cautum, ne liceret cuiquam a filio familias minore XXV annis stipulari*: hoc est, ne liceret cuiquam rogare eum, daturusne esset, aut redditurus certam pecuniae summam. Alludit eodem Plautus Rud. V, 3, 25:

Cedo quicum habeam iudicem,
Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem
Quinque et viginti natus annos.

Retulit eam ampliorem Claudius Caesar de omnibus filiis familiarum, etiam supra legitimam aetatem: ne in mortem parentum filiis familiarum foenori pecunias darent. Qua lege saevitiam creditorum coërcitam ait Tacit. Annal. XI, 13, ubi vid. Lips. Asperius Vespasianus: *Ne filiorum familias foeneratoribus exigendi crediti ius unquam esset, ne*

post patrum quidem mortem. Suet. Vesp. 11 extr. Atque hoc est, quod ICti vocant SC. Macedonianum, a Macedone insigni adolescentum corruptore, de quo in ff. leg. XIV, tit. 6.

Vss. 392, 393. *Exordiri, detexere.* Verbum utrumque texturae et lanificii proprium transfertur ad sermonem, imo etiam ad alia, pro incipere et pergere ad finem. Proprietatem prioris illustrat Virgil. in Culice: *Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum*, id est telum, texturam, opusculum instar telae textum. Exordiri funem Cato de R. R. cap. 136. Senec. in Ludo de Morte Claudii: *At Lachesis, quae et ipsa homini formosissimo faveret, fecit, et plena orditur manu, et Neroni multos annos de suo donat.* Nonius: *Exordium est initium, unde et vestis ordiri dicitur, quum instituitur detexenda.* Titinn. *Quae inter annos decem nequisti togam unam detexere.* Hinc *ordiri telam*, *detexere telam*, de quavis re suscipienda, atque ad exitum perducenda dicitur. Sophia Iustiniani Imperatoris uxor, Narsetem Eunuchum, sed virili animo et robore, Hunnorum Gothorumque domitorem, iussit puellis in gynaeceo lanarum pensa dividere. Ad quae verba dicitur Narses hoc responsum dedisse: *Talem se eidem telam orditurum, qualem ipsa dum viveret, deponere non posset.* Vt est apud Paulum Diaconum lib. II, de gest. Longob. 5, ubi *deponere* idem quod detexere, quod Theocrito dicitur καταβαίνειν ἀφ' ἱστοῦ. Quum enim tela detexta seu pertexta est, deponitur de iugo. II ad Herenn. c. 26, Poët. vet. *Nunc ego te ab summo iam detexam exordio.*

Vs. 472. *Hoc Delphis tibi responsum dicito*, id est pro certa et inevitabili veritate habeto, non secus ac si Apollinis ore prolatum esset. Eandem senten-

tiam sic effert Lucret. lib. V: *De re fundere fata Sanctius et multo certa ratione magis quam Pythia quae Tripode ex Phoebi lauruque profatur.* Liv. XXXIV, 50: *Monentium aliorum alios, ut eas voces, velut oraculo missas, in pectora animosque demitterent.* Cic. ad Brut. *Haec ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta, nihil potest esse verius.* Iust. VII, 2.

Vs. 607. *Subballio.* Sic ludens se vocat, qui Ballionis servus vult videri, quasi minor Ballio, inferior, vel alter Ballio. Compositio ideo notanda, quia in ea eleganter ludunt veteres. Nam ita Cicero *Submarium* dixit, qui est alter Marius crudelitate et imperii cupidine, X ad Att. 1: *Nisi forte iste Submarius ei potest persuadere, ut, dum oratores eant et redeant, quiescat.* Ita *Subneronem* vocat Domitianum Tertull. (quia *hunc*, ut ait Ausonius, *calvum dixit sua Roma Neronem*) De Pallio: *Impuriorem Physicone, molliorem Sardanapalo Caesarem designare, et quidem Subneronem.* Quem alibi et *portionem Neronis* vocat. Sic *suppromus* Mil. III, 2, 12: id est minor promus. Est autem *promus* procurator peni, ut alibi vocat eum, vel cellae promptuariae. Sic *Sublingio*, a sublingendo, quasi minor liguritor, infra III, 2, 103: *Iam hic quoque scelestus est coqui sublingio.*

Vs. 676. *Deformatum aliquid habere*, absque ulla sinistri sensus suspicione designatum, notatum, descriptum habere, seu depingere, formare, describere, delineare. Senec. VII de Benef. *Hanc voluptatem aequalem, intrepidam, nunquam sensuram sui taedium, percipit hic, quem deformamus, quum maxime, qui, ut ita dicam, divini iuris atque humani peritus, praesentibus gaudet, ex futuro non pendet*, id est quem describimus, quem effingimus, cuius lineamenta quasi

ducimus. Varro de R. R. V, pag. 104; Cato cap. CLXII de R. R. Rutil. Lup. pag. 8; Aquilo Romanus, p. 15. Cic. pro Caecin. cap. V: *Quis igitur ille, quem supra deformavi, voluntarius amicus mulieris.*

Vs. 729. *Visitatus*, pro saepe visus. Proba vox, probusque usus vocis: ut et *invisitatus*. Sic Liv. lib. IV: *Nova erupit acies inaudita ante id tempus invisitataque*. Lib. V: *Gentem invisitatam accolas Gallos esse.* Et iterum: *Formas hominum invisitatas.* Iterumque XLV: *Invisitato atque inaudito hoste.* Sic *visitare* pro crebro videre, Epid. IV, 1, 12, 24; Trinumm. III, 3, 39.

Vs. 797. *Ab Orco non receptus*, de homine sceleratissimo dicebant, vel mortuo, vel vivo, quasi cui nunquam contingeret beata mortuorum quies, vel cui ne infernus quidem pro meritis satis haberet suppliciorum. Val. Max. IX, 11: *Etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quae meretur supplicia, pendet.* M. Senec Contr. III: *A superis deiecta, ab inferis non recepta, in cuius poenam saxum exstruendum est.*

Vs. 810. *Esse drachma, esse asse*, dicitur eleganter pro venire, constare, conduci. Ad Cicer. Fam. XII, 13: *Iam ternis tetradrachmis frumentum apud Cassium est.* Idem in Verr. III, 84: *Quum esset tritici modius duobus nummis, pro frumento in modios singulos duodecim sestertios exegisse.* Varro in Satyris: *Asse vinum, asse pulmentarium est: eos quo naturae aurigatur necessitudo.* Ideo etiam supra pag. 210 locis citatis ad Menaechm. II, 2, 16: *Quibus hic pretiis porci veniunt sacres sinceri?* CYL. *Nummo.* Adde Liv. XXIX, 37: *Vectigal etiam novum ex salaria annona statuerunt; sextante sal et Ro-*

mae et per totam Italiam erat. Romae pretio eodem, pluris in foris et conciliabulis, et alio alibi pretio praebendum locaverunt. Cicer. III Verr. 81, 83, 84, 85.

Vs. 867. *Privos privasque* dicebant antiqui, inquit Festus, pro singulis, ob quam causam et *privata* dicuntur, quae uniuscuiusque sunt. Hinc et *privilegium* et *privatus*. Liv. lib. XXX: *SC. in haec verba factum est, ut privos lapides silices, privasque verbenas secum ferrent*, id est, ut singuli legati silicem et verbenae ramulum secum ferrent in Africam. Cato II de R. R. *Opercula doliorum et tectoria priva.* Lucret. lib. III: *Nec repentis ita cuiusviscunque animantis Sentimus, nec priva pedum vestigia quaeque Corpore, quae in nostro calices et caetera ponunt.* Lib. IV: *In multas igitur voces vox una repente Diffugit, in privas quoniam se dividit aures.* Interdum idem quod proprium. Horat. II, Ep. 1: *Conducto navigio aeque Nauseat, ac locuples, quem ducit priva triremis*: id est propria, singularis. Item singulare, eximium. II, Sat. 5: *Turdus, Sive aliquid privum dabitur tibi, devolet illuc, Res ubi magna nitet, domino sene*, id est, ubi est aliquid singulare, aliquid eximium.

Vs. 871. *Curare aliquem, ut Medea Peliam senem,* significat specie curationis et auxilii perdere: quemadmodum illa simulando se Peliae effoeto seni florem iuventae reddituram, miserum a filiabus interfici fecit. Duae sunt in hanc rem de Medea fabulae. Vna de Pelia; altera de Aesone, Iasonis patre, quem medicatis herbis ex sene iuvenem fecisse fertur, eaque re in aheno coxisse. Has duas in persona imperiti et mendacis coqui confundit hic artificiose Plautus, et quasi non sentientem facit vera dicere.

Ex posteriore fabula, qua coctus cum medicatis herbis Aeson dicitur recuperasse iuvenilem aetatem, orta est elegans loquendi ratio Latinis, ut *recocti senes* dicantur, qui sunt cruda et viridi senectute. Catull. carm. LIV: *Sed non omnia displicere vellem tibi, et Suffetio seni recocto*, quasi qui coctus Medeae herbis recepisset iuventutem. Petronius *anus recocta vino, trementibus labellis.* Alias quae igne renovantur dicuntur *recoqui.* Vt Virgil.

Patrios recoquunt fornacibus enses.

Lucan. lib. VII:

Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis:
Spiculaque extenso Paean Pythiane recoxit.

Iuven. Sat. XV, vs. 165:

Quum rastra et sarcula tantum
Assueti coquere et marris, ac vomere lassi
Nescierint primi gladios excudere fabri.

Vs. 872. *Venena*, interdum dicuntur unguenta, quibus sagae, quae propterea *veneficae* dicuntur, aut in se transformandis, aut in aliis vexandis, miraculisque illis seu potius ludibriis, quae de magica arte tradit vulgus, efficiendis utebantur. Sic Pamphile anus apud Apul. quum unguento quodam ab imis unguibus totam se ad usque summos capillos perlavisset, in bubonem transformatur, et ipse Apuleius imitaturus hoc monstrum, errans in pyxide, pro bubone fit asinus. Hinc apud Horat. *Venena Thessala* et *Colchica*, quae Thessalae et Colchicae sagae (utraque regio inprimis infamis est magica arte, sed Colchi praecipue ob Medeam) incantamentis adhibebant. Id. I, Sat. 18: *Quantum carminibus*

quae versant atque venenis Humanos animos. Lucan. lib. VI de portentosis effectis magorum: *Humanoque cadit serpens afflata veneno.* Ideo etiam pro delinimento amoris, sive philtris amatoriis, *venena*: nam et in amorem coniicere posse sagae credebantur, ut patet ex Virgil. Pharmaceutria. Liv. XXXIX, 11: *Hispalae concubitu carere eum decem noctes non posse, illius excetrae delinimentis et venenis imbutum, nec vitrici, nec parentis, nec Deorum verecundiam habere.* Afran. *Haec sunt venena formosarum mulierum.* Lucan. X: *Nubet soror* (Cleopatra) *impia fratri* (Ptolomaeo). *Nam Latio* (Caesari) *iam nupta duci est interque maritos Discurrens Aegypton habet Romamque meretur. Expugnare senem* (Iulium Caesarem) *potuit Cleopatra venenis, Crede miser puero* (Ptolomaeo). Denique *venena* dicuntur pro quovis aromatico humore, aut fuco, vel tinctura. Sic Lucan. VIII, 60, de capite Pompeii mortui unguentis delibuto, ut posset conservari: *Summoto capiti tabes ruptoque cerebro, At siccata cutis patrisque effluxit ab alto Humor et infuso facies solidata veneno est.* Cn. Mattius in mimiiambis apud Agell. XX, 9: *Iam tonsiles tapetes, ebrii fuco, quos concha purpura imbuens venenavit.*

Vs. 890. *Nimium tinnis*, est proverbialis locutio in garrulos nimis et oblocutores, Casin. II, 3, 32; Asin. II, 4, 42; Poen. prol. 33. Translatio a vasis aereis, nolis, et doliis, quae proprie *tinnire* dicuntur, unde et *tintinnabula.* Hinc et Neronis dictum est apud Sueton. *Aliquid sufferti tinnire.* Nempe aliter tinniunt vasa plena, aliter vacua. *Suffertum* enim a *suffercio*, idem est quod plenum. Suetonius Ner. cap. XX: *Sumpto ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens secreti a balneis in theatrum*

transit, mediaque in orchestra frequente populo epulatus, si paululum subbibisset, aliquid sufferti se tinniturum Graeco sermone promisit. Graece πυκνόν τι ἠχεῖν, hoc est, plenum, confertum, densum, oppletum aliquid sonare, quod auditoris aures impleat. Sunt autem in Musica alii soni, ut Graeci magistri tradunt, ἄπυκνοι, alii πυκνοί; horumque alii βαρύπυκνοι, *graviter densi*, alii μεσόπυκνοι *mediocriter densi*, alii ὀξύπυκνοι *acute densi. Suffertum* quasi ὑπόπυκνον, *subdensum*. Proverbium elegans, quod et in laudem, et in vituperium adhiberi potest: nam et *sufferti aliquid tinnire* potest dici, qui vino, ut est apud Lucilium, *Deblaterat plenus bonus rusticus*: et qui sermone aut scripto ostendit, se non verba et voces sine sensu, sed potius egregiis sensibus praegnantes proferre, aut pectus eruditionis plenum habere, et, quod est aliud graecum proverbium: ἐκ πλήρους πίθου γεῦμα, *ex pleno dolio gustum dare.*

Vs. 955. *Hiscere aedes* vel *fores* dicuntur, apertis foribus quum panduntur portae, ut apud Laberium, citante Diomede antiquo grammatico, *hietantur fores* pro hietant, ut explicat idem Grammaticus. Nam utrumque est ab *hio*. Hinc et pro mutire seu os aperire ad loquendum, apud Accium Armorum iudicio: *Heu vereor plus quam fas est, captivum hiscere.* Proprie *hiscere* est aperire os ad attrahendum spiritum, aut deglutiendum. Hinc eleganter Cic. in Verr. *Huius hominis si cui domus patet, utrum ea patere, an hiare et poscere aliquid videtur*? Vnde Statius *homines hiantes* pro respirantes dixit, Propem. in M. Celerem:

Quis rude et abscissum miseris animantibus aequor
Expulit in fluctus pelagoque immisit hiantes.

Nam maris incolae pisces proprie non respirant.

Sic et apud Virgil. IV Aeneid. *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat*, non simpliciter est aperiatur mihi, sed aperiatur ad me deglutiendum vel hauriendum. Illud quoque notatu dignum, quod habet Serv. ad I Aeneid. vs. 127 de navibus:

Fixis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem rivosque fatiscunt.

Explicat: *Abundanter hauriunt. Fatim enim abundanter dicimus, unde et adfatim: hiscere autem aperire*, verbum frequentativum ab hiare.

Vs. 981. *Perfossor parietum* est, qui effractis parietibus in domos irrumpit, easque expilat, unde et *effractores* ICtis dicuntur. Paulus leg. III de off. Praef. vigilum: *Cognoscit praefectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus et receptatoribus.* Vnde tit. in Digestis de effractoribus. Graecis uno verbo τειχώρυγοι. Asin. III, 2, 17. Cic. in Vatin. *Licet impune per me in adolescentia parietes perfoderis, vicinos compilaris.* Apul. Apolog. *Eo pacto et qui myoparones* (genus est navium levium, quo piratae multum utebantur) *quaesierit, pirata erit, et qui vectem, perfossor, et qui gladium, sicarius.* Vectibus enim fere utebantur ad demoliendos parietes, ac fores effringendas, Cic. in Verr. *Demoliri signum ac vectibus labefactare conantur.* Vnde Thraso apud Terent. Thaidis (Eun. IV, 7, 4), aedes oppugnaturus: *In medium huc agmen cum vecti Donax.* Vnde *vecticularia vita* apud Festum dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt, furandi gratia, atque inde vivunt. Cato in fragmentis: *Vecticulariam vitam vivere repente largiter habere, repente nihil.* A quo genere parum absunt, quos ICtus appellat *directarios* leg. 7 ff. de extraord. Crim. *Item qui*

directarii appellantur, hoc est, qui in aliena coenacula se dirigunt, furandi animo, plus quam fures puniendi sunt. Se dirigunt, significat eunt. Sic saepe simpliciter *dirigere* est ire, ut apud Apul. *dirigere in adspectum*, id est prodire. Exstat eadem leg. I, §. 2 de effractoribus, ubi cum his iunguntur et apud Paulum lib. V Recept. sent. tit. IV: *Quoties quis pulsatur, vel cuius domus introitur ab iis qui vulgo directarii appellantur.* Glossae veteres: *Directarius*: ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας ἕνεκεν τοῦ κλέψας εἰσερχόμενος οἰκίας· Et Flav. Vopisc. *Qui dirigere nolebant sagittis*, id est prodire in medium amphitheatrum. Manil. lib. I: *Cancer in adversum Capricorni dirigit astrum.*

Vs. 996. *Mortem exsequi*, id est, ferre, pati, subire. Sic *aerumnam exsequi* Capt. II, 1, 1: *Si dii immortales voluere vos hanc aerumnam exsequi.*

Vs. 1010. *Calatores* dicebantur, ut ait Festus, servi militum; ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est vocare, quia semper vocari possunt ob necessitatem servitutis. Glossa: *Calatores*, ἐκβιβασταὶ ἱερέων, δοῦλοι δημόσιοι, περίπολοι, id est *apparitores sacerdotum* (ἐκβιβαστὴς ab ἐκβιβάζω *exsequor, exactor rei iudicatae, exsecutor, lictor*) *servi publici, circitores.* Iterum Festus in *Respiciaris: Reo a calatoribus ingeniculato.* In Glossis *calatores* exponuntur apparitores sacerdotum, item exactores rei iudicatae, sive lictores, servi publici, arcitores, qua voce utitur auctor Priapeiorum: *Quid mecum . . . tibi circitor moleste? Ad me quid prohibes venire furem?* Sic appellat custodem horti, qui circumit, providetque, ne qua parte fur irrumpat aut lateat.

Vs. 1022. *Obvertere cornua alicui*, ponitur pro impetere aliquem, infestum alicui se ostendere, translatione a cornutis animalibus ducta. Apul. Apol.

Superest ea pars epistolae, quae similiter pro me scripta in memet ipsum vertit cornua.

Vs. 1033. *Colligatis vasis expectare*, est aptatis et expeditis sarcinis paratum ad iter exspectare. Translatio a re militari: ubi *conclamari vasa* dicebantur, quum signum dabatur militibus sarcinularum et instrumenti, seu supellectilis componendae ad castra movenda et iter faciendum: et *colligari vasa* vel *colligi*, quum miles ea in fascem compingeret; Liv. XXVII, 27, 47, XXII, 30; Polyb. pag. 484; Caes. lib. I de bell. Civ. 66, III Civil. 75. Vnde et Terentii illud petitum in Phormione I, 4, 13: *Aliquid convasassem, atque hinc me coniicerem protinus in pedes.* Vbi Donatus vetus interpres: *Figuratum est a colligendis vasis.* Varro quoque eleganter lib. I de R. R. cap. 1: *Si est homo bulla, multo magis senex. Annus enim octogesimus admonet me ut sarcinas colligam, antequam proficiscar e vita.* Senec. epist. XIX.

Vs. 1047. *Metiri alicunde gradibus militaribus*, est idem quod Truc. II, 2, 31, *abire alicunde grandi gradu.* Primum *metiri* dicendum, non *metari*, ut volunt quidam interpretum. *Metamúr* castra proprie, sed *metimur* translate viam. *Metari* est fines seu metas statuere et designare, *metiri* est eas metas recognoscere, mensuram et modum colligere. Sic Horatio, *decempedis metata porticus* est, ut ait Acron, *mensurata dispositio. Nam metari castra magna cura ducum peritiaque constitui.* Sic eidem *metatus agellus* lib. II, Sat. 2, adsignatus et divisus, limitibus constitutis. Virgil. II Georg. translate: *Si pingues agros metabere campo*, id est eliges et secernes ad vites ponendas. Valer. Cato in Diris: *Pertica quae nostros metata est impia agellos. Metari hospitium*,

Pacat. in Paneg. cap.VI. A qua significatione *metata* in iure nostro, atque eadem vox posterioribus Graecis recepta pro hospitio. Aliud vero est *metiri* leg. VI, §. 6 : *Si mensor falsum modum dixerit : sive de itineris latitudine, sive de servitute immittendi proiiciendique quaeratur: sive aream, vel tignum, vel lapidem metiendo mentitus fuerit.* Senec. ep. 88: *Metiri me geometres docet latifundia.* Metatoris igitur est, modum et limites agro constituere, agrum assignare, *mensuris*, ut loquitur Plautus, *mensuram agere*, et *modum eius renuntiare*, ut Vlpianus. Hinc tralate *metiri viam* Horatio : *Videsne sacram metiente te viam.* Vbi Acro: *Metientem dixit ambulantem. Vt instabili gressu metitur littora cornix.* Qui versus est Lucan. lib. V, 556. Et sic *emensi* et *permensi viam* dicimur. Liv. XXXVIII, 17 : *Paeonium inde et Thracium pugnando cum ferocissimis gentibus emensi.* Ennius I. Annal. *Sed sola terrarum postquam permensa parumper.* Ita ergo et Plautus: *Metimur hinc* scilicet viam. *Gradus* autem *militares* vel *militarios* (nam sic solebant loqui, et variare talia. Sic *vulgaris*, *vulgarius*, *intercalaris*, *intercalarius*) Illustrat illud Epid. I, 1, 11; ubi servus ad conservum a militia reducem sic loquitur: *Dii immortales te infelicitent, ut tu es gradibus grandibus*, et mox 14: *Scito te esse quidem hominem militarem.* Vegetius de Re militari: *Primis meditationum auspiciis tirones militarem edocendi sunt gradum. Nihil enim magis in itinere seu acie custodiendum, quam ut omnes milites incedendi ordinem servent. Militari ergo gradu viginti millia passuum horis quinque duntaxat aestivis conficienda sunt, pleno autem gradu, qui citatior est, horis totidem, XX quatuor millia peragenda sunt,*

quidquid addideris, iam cursus est, cuius spatium non potest definiri.

Vs. 1142. *Intendere in aliquem medium digitum*, id est infamia notare, maximo ludibrii et contemptus genere afficere. Mos erat antiquis, quem summopere videri volebant contemptum, illi medium digitum protentum reliquis contractis ostendere. Iuvenalis de Democrito: *Quum fortunae ipse minaci Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.* Mart. lib. II, epigr. 8: *Rideto multum, qui te Sextille cinaedum Dixerit, et digitum porrigito medium.* Idem VII, ep. 30: *Ostendi digitum, sed impudicum.* Isidor. lib. II origin. cap. 1, pag. 1095, 52. De digitis: *Tertius impudicus, quia plerumque per eum probrosa insectatio exprimitur.*

Vs. 1190. *Vnctus est, fricari vult*, proverbium conveniens in eos, qui per lasciviam ultro sibi malum arcessunt, seu iocularium in malum propria inquietudine incidunt. Solebant veteres post balneum ungi oleo, dein strigili fricari, seu distringi. Plin. III, ep. 5: *In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur: quum dico balinei, de interioribus loquor, nam dum distringitur, tergeturque, audiebat aliquid aut dictabat.* Iuven. Sat. III: *Domus interea secura patellas, Iam lavat et bucca foculum excitat, et sonat unctis Strigilibus, pleno et componit lintea gutto. Domus sonare* dicitur *unctis strigilibus*, in qua multi lauti et uncti, fricantur destringunturque. Vetus Scholiastes ad Iuvenal. *Strigilis est, quod xystrum dicunt, unde oleum deteritur.* Hinc petita translatio: *Inungi suave est, fricari asperum*, eoque ambiguam habet interpretationem. Perinde est quum dicimus: *Prurit tibi cutis.*

Vs. 1196. *Nullius coloris aliquem nosse*, est plane

non nosse, nescire albus an ater sit. Sic enim et παροιμιωδῶς dicebant, coloris vocem transferendo ad habitum animi moresque, ut albus color significaret probitatem et candorem; niger improbitatem et malitiam. Apul. Apol. *Etiam libenter te nuper albus an ater esses, ignoravi.* Phaedr. lib. III, Fab. 16: *Vnde illa scivit niger an albus nasceretur.*

Vs. 1246. *Instar dolosi luctatoris pedes captare*, dicit Plautus de vino, cuius copia, ut est in Catul. *et tentat gressus debilitatque pedes.* Possumus adhibere de quovis, qui evertere aliquem et adfligere studet: pedibus enim insistimus, iisque subtractis evertimur. Sumta translatio a luctatoribus, quorum ars est, supposito pede, aut strictis crure suo cruribus adversarii, subtractisque, eum deiicere in terram, quod Graeci ὑποσκελίζειν et πτερνίζειν, Latini *supplantare* proprie dicunt. Ex quo ritu Stat. VI Theb. *Collaque pectoraque et certantia crura lacessit.* Senec. ep. XIII: *Non potest athleta magnos spiritus ad certamen adferre, qui nunquam sugillatus est. Ille, qui fudit sanguinem suum, cuius dentes crepuere sub pugno, ille qui supplantatus adversarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus....* Ex geminis, quos Rebecca peperit Isaaco, alter fratris plantam tenebat manu, et idcirco appellavit eum *Iacob*, ut est Genes. XXV, hoc est *supplantatorem. Quod vocabulum consecutus est* (quae verba sunt Petri Chrysologi Serm. 154) *eo quod antequam nasceretur, noscitur divinitus reprobatum supplantasse germanum.* Vnde frater ipsius cap. XXVII: Δικαιῶς ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰακώβ. ἐπιπτέρνικε γάρ με ἤδη δευτέρως. *Iuste vocatum est nomen eius Iacob: supplantavit enim iam me altera vice.* Cic. III de Off. *Qui stadium currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat; supplan-*

tare eum quocum certet aut manu depellere, nullo modo debet. Pers. Sat. I: *Phyllidos, Hypsipyles, latum et plorabile si quid Eliquat et lento supplantat verba palato*, id est non bene nec plane pronunciat, sed molliter palato illidit vocem naturalem ac robustam, arte frangit et corrumpit.

Vs. 1261. *Lemnisci*, sunt fasciolae purpureae circumvolutae ac dependentes e coronis, quibus veteres in laeto et festivo habitu frequenter utebantur. Plin. XXI, 3: *Crassus dives primo argento auroque folia imitatus ludis suis coronas dedit: accesserunt et lemnisci, quos adiici ipsarum coronarum honor erat.* Ergo non omnes coronae habebant lemniscos, sed nobiliores et maioris honoris. Hinc intelligendum, quod est apud Cicer. in orat. pro S. Roscio Amerino: *Audio praeterea non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri: multas esse infames palmas, hanc primam esse tamen lemniscatam, quae Romae deferatur*, id est multa eius esse scelera, quae impune patraverit; sed hoc maxime insigne, primum quod Romae ei successit. *Palma* est corona e frondibus palmae, quae imponebatur victoribus, victoriae indicium. *Palma lemniscata* est corona nexa e frondibus palmae, et ornata lemniscis, insignioris victoriae signum. Auson.

Et quae iamdudum tibi palma poëtica pollet,
Lemnisco ornata est quo mea palma caret.

Fatetur se quoque esse poëtam, sed amicum suum esse praestantiorem.

Vs. 1271. *Ionica perdidicisse*, significat diligenter didicisse artem saltandi. Iones, ut quavis alia mollitie admodum infames, ita et imprimis tenera mol-

lique saltatione, Pers. V, 2, 45; Stich. V, 7, 1. Horat. III, od. 7: *Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo.* Itaque absolute *Ionicum* ut et Graeci Ἰωνικὸν dicebant, subaudito τὸ σχῆμα vel ὄρχημα pro saltatione Ionica. Pollux IV Onomast. 14: τὸ δὲ ἰωνικὸν Ἀρτέμιδι ὠρχοῦντο, οἱ Σικελιῶται μάλιστα, i. e. *Ionicum autem Dianae saltabant, Siculi maxime.*

Vs. 1275. *Haec fuit naenia ludo*, ridiculus et ineptus inepti negotii exitus. *Naeniae*, inquit Nonius, *ineptum et inconditum carmen, quod conducta mulier, quae praefica dicebatur, his, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet.* Varro lib. IV de vita Pop. Rom. *Ibi a muliere quae optuma esset voce, primum laudari, dein naeniam cantari solitum ad tibias et fides*: haec mulier vocitata olim *praefica.* Hinc naenia pro querimonia, Horat. II, od. 1: *Sed ne relictis Musa procax iocis Caea retractes munera naeniae.* Et pro quovis inepto carmine: ut sagarum. Ovid. IV Fast. de strigibus: *seu carmine fiunt, Naeniaque in volucres Marsa figurat anus.* Horat. Epod. XVII: *Vincor ut credam miser, Sabella pectus increpare carmina, Caputque Marsa dissilire naenia,* ut ebriorum et potantium. Id. III, od. 28: *Dicetur merita Nox quoque naenia* Et puerorum, idem I, Epist. 1: *Roscia, dic sodes, melior lex an puerorum naenia.* Caeterum, quia *naenia* erat inter ultima, quae praestabantur defuncto, ideo et ipsa nonnunquam exitum sive ultimum rei significat. Et hoc proprie pertinet ad hunc locum Plauti. Festus: *Sunt qui eo verbo finem significari crediderunt.* Allegatque Plaut. Trucul. II, 1, 3: *Huic homini amanti mea hera apud nos Naeniam dixit de bonis*, id est quasi bonorum eius exequias duxit, ea finivit, absumsit. Et inter caeteras rationes hanc dat, quod

chordarum ultimas Graeci νήτας dicunt, extremam cantionis vocem ab eo naeniam appellarunt. Quod ἔτυμον etsi falsum est, apparet tamen inde naeniam pro fine poni. Vide Scalig. ad Fest.

Vs. 1302. *Hiberna* vel *brumalis hora*, dicitur per translationem quaelibet hora brevis, vel contractior solito. Romani diem habebant distinctum in duodecim horas tam aestivum, quam hibernum, et pariter noctem. Eo necessario eveniebat, ut aestivae horae diurnae essent longiores nocturnis, et vicissim hibernae diurnae essent breviores nocturnis. Eo allusit Plautus hoc loco; introducitur enim ad potorem maximum loquens Simo: *Credo te quatuor annis natum in monte Massico vinum posse ebibere una hora.* Respondit alter: *Hiberna addito*, id est non tantum dicas una hora, sed potius una hora hiberna, quae nempe brevior est per diem quam aestiva, ut hyperbolen augeat. Martialis, XII, 1: *Otia, Prisce, poteris donare libello, Hora nec aestiva est, nec tibi tota perit.* Antholog. lib. II, pag. 206: Εν τρισὶν ὥραις γὰρ θεριναῖς μόλις αἰσθάνετ' αὐτὸς. Vide Veget. lib. I, 9; Ovid. lib. IV Met. narrat, Solem seu Phoebum, quod amaret Leucothoën, studio eius videndae citius exoriri, et serius occidere: *Modo surgis Eoo Temperius coelo: modo serius incidis undis; Spectandique mora brumales porrigis horas*, i. e. longiores et productiores facis. Sic Vitruv. *Brumales horarum brevitates* appellat. Symmachus V, ep. 36: *Accessit hyemis contemplatio, quae magno frigore et brevibus horis* lucis moratur excursus. Rutil. Numantin. Itiner. vs. 183: *Et iam nocturnis spatium laxaverat horis Phoebus*, id est iam hyems erat. Hyeme enim spatium horarum nocturnarum erat laxius, seu longius.

Censorin. de Die Natali XVI: *Verum neque annorum, neque saeculorum numero, nec denique ullo temporis finiti modulo metiri conabor; Haec enim ad aetatem infinitam, non sunt brumalis unius instar horae*, hoc est brevissimae.

Vs. 1315. *Vae victis*, est formula elegans insultantium adversariis victis, quum illi, quod imperatur, aut quod ex sponsu vel iure facere aut dare tenentur, nihil victoris, si vicissent, misérituri, nimium esse, et immisericorditer secum agi queritantur. Desumpta ea vox ex historia Romana, quum Galli obsessis in Capitolio civibus, urbe capta, et in cinerem redacta, locum vacuum et libertatem millenûm auri pondo pretio vendidissent. *Pondera*, inquit Livius V, 48, *allata iniqua, et, tribuno recusante, additus ab insolente Gallo gladius, auditaque intoleranda Romanis vox, Vae victis esse.* Qua significabatur, oportere eos hoc pati, quod necessitas iniungeret, nec queri de iniquitate ponderum, quod vel iniquis ponderibus redimi salutem et libertatem in lucro ponere deberent. Florus I, 13: *Quum iam obsidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, idque ipsum per insolentiam, quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbe* vae victis *increparent.* Potest etiam adhiberi quotiescunque durius consultum in victos, aut non servatas illis promissas conditiones significare volumus. Hinc et Varroni Satyra scripta hoc titulo: *Vae victis.* Vide Fragm. Varronis pag. 152.

RVDENS

Prol.
vs. 20. *Litem auferre*, est iudicio vincere, causam obtinere. Eius correlatum a parte iudicis est, *Litem secundum aliquem dare.* Liv. XXIII, 4: *Ei semper parti adesse, secundum eam litem iudices* (id est, si iudices essent) *dare, quae magis popularis, aptiorque in vulgus favori conciliando esset*, id est, si iudices essent, ei parti causam adiudicare.

Vs. 34. *Propter mare*, usus admodum latinus praepositionis *propter* pro *prope.* Sic Amph. IV, 1, 8, quod interpretatur Terentius Eunuch. II, 3, 76: *Cibum nonnunquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.* Cic. pro Rosc. Amer.: *Duo filii propter patrem cubantes.* Curc. IV, 1, 15; Terent. Adelph. IV, 2, 37: *Ibi angiportum propter est.* Virg. *Templum de marmore ponam Propter aquam.* Lucret.

Propter aquae rivum sub ramis arboris altae.

Vs. 42. *Civis alicuius*, vel *civis meus*, idem est qui popularis, municeps, aut qui ex eadem civitate, natione, patria est: pro quo vulgo, sed male latine, dicunt *concivis.* Trinummus act. I, sc. 2, 63: *Turpis lucri cupidum te vocant cives tui.* Iust. I, 4: *Neque civi filiam in matrimonium tradidit*; ubi *civi* est homini eiusdem nationis, veluti Medo: nam Medus erat Astyages. Id. lib. XI, c. 15: *Quum civem ex voce cognovisset*, id est, hominem suae na-

tionis sive Persam, qualis erat Darius. Sic lib. XII, 16, 12, *fraude civili*, id est, insidiis et scelere suorum popularium sive Macedonum.

Fab. vs. 25. *Virile secus*, dicebant antiqui, pro sexus virilis. Varro lib. VI de L. L. *Secus pro sexus neutrius generis et unius casus.* Auson. in Erotopaegnio: *Nota Caledoniis muribus muliebre secus.* Ammian. XXIX: *Ad latrocinia gentes aptissimae, praedas hominum virile et muliebre secus agebant et pecorum.* Sallust. II Hist. de Metello: *Magna gloria concurrentium undique virile et muliebre secus per vias et tecta omnium visebatur.* Liv. XXVI, 47: *Liberorum capitum virile secus ad decem millia capta;* et ibi Gron. Sisenna IV Hist. *Tum in muro virile ac muliebre secus populi multitudine omni collocata.* Tacit. IV Annal. 62; idem IV Hist. *Multitudinem obsessorum omnis aetatis virile ac muliebre secus, sexcenta millia fuisse accepimus.* Auson. *Iuno, Ceres et Vesta secus muliebre, sorores.*

Vs. 64. *Curare alicui rei* vel homini, pro curare aliquid, vel aliquem, dicebant interdum veteres. Trin. IV, 3, 50; Truc. I, 2, 35. Macrob. I Sat. 15, pag. 256: *Sacerdotes, qui curabant mensibus ac diebus.* Accius vetus poëta: *Neque profecto Deûm summus rex omnibus curat.* Macrob. V Sat. cap. 17: *Servos Latini* (regis) *et maxime stabulo regio curantes.* Apul. *Vsque adeo rebus meis curat.* Idem in Apol. *Coelitem Venerem solis hominibus, et eorum paucis curare.*

Vs. 68. *Propter viam sacrificium*, signato et proprio verbo dicebatur, eratque; quod proficiscendi gratia Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est Deus, fiebat, verbis Festi. Laberius: *Visus hac nocte bidente propter viam facere*, id est, ove bidente sacrificare.

Macrob. II Sat. 2: *Sacrificium apud veteres fuit, quod vocabatur Propter viam: in eo mos erat, ut si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc Catonis iocus est: namque Albidium quendam, qui sua bona comedisset, et novissime domum, quae ei reliqua erat, perdidisset incendio, propter viam fecisse dicebat, quod comesse non potuerit, id combussisse.* Idem ad sacrificium epulasque easdem alludit Plautus: *Propter viam illi sunt vocati ad prandium*, id est ita sunt invitati a Neptuno, ut nihil superfuerit reliquiarum: significat naufragio eos, ut alibi loquitur, *bonis elavisse*, perinde ut qui propter viam facto sacro epulantur, omne reliquum flammis absumunt.

Vs. 162. *Levare aliquem omnium laborum*, pro levare laboribus, exquisite dicitur eo modo, quo superius annotatum: *Prehendere aliquem mendacii.* Sic *purgare omnis dicti factique*, Liv. XXXVII: *Quibus purgantibus civitatem omnis facti dictique hostilis adversus Romanos.* Apul. in Apol. *Si me omnium, quae notastis, purgavi.* Id est, si me de omnibus purgavi. Herenn. IV; 26: *Deinde quod iniuriarum satisfecisti, L. Labieni nihil ad rem pertinere puto.* Sic *quiescere pugnae*, *desinere lacrymarum*, et similia dicuntur.

Vs. 175. *Excitare aliquem foras*, est evocare aliquem, iubere surgere, et aliquo ire. Amph. I, 140: *Me qui hoc noctis a portis ingratiis excitavit:* id est, iussit egredi. Turpilius Epicteto: *Vt solent, me curae somno segregant, forasque noctis excitant silentio.* Curt. lib. IV: *Non contentus musica artificum, quos e Graecia excitaverat.* Quint. II Inst. 2, pag. 807, ed. Hack.

Vs. 219. *Venerari Deum ut aliquid fiat*, non tantum est timere aut revereri, sed et conceptis ver-

bis orare, supplicare. Sic in prol. Aul. 8: *Auri thesaurum defodit, venerans me, ut id servarem sibi.* Loquitur autem persona Dei, sive Laris familiaris. Bacch. II, 1, 4: *Venerorque te, ne Nicobulum sinas prius convenire.* Poen. V, 1, 17: *Deos Deasque veneror, qui hanc urbem colunt.* Trin. I, 2, 2. Sic Caecina ad Cic. lib. VI, ep. 7: *Quum ignovit omnibus, qui multa Deos venerati sint contra eius salutem.* Vide notas ad h. l.

Vs. 285. *Quamvis fastidiosum aedilem esse, improbas merces iactare*, effert servus de Neptuno, illudens ancillulae, quae dixerat, se cum ventis, compare sua, fluctibusque perpetem noctem iactatam, ut tacite indicet, puellas illas esse quoque merces improbas. Potest autem usurpari de omnibus, nimis moroso cum delectu, quae placent excernentibus, quae displiceant non relinquentibus, sed proiicientibus et conterentibus. Sumta translatio ab aedilium magistratuum romanorum cura et officio, quod erat, videre ut salubres merces iusta mensura venderentur et traderentur: si putidas et insalubres merces, si iniquas mensuras reperirent, illas mandabant abiici in profluentem, has frangebant. Istius exemplum est apud Apul. lib. I Met. *Sed enim Pytheas visa sportula, succussisque in adspectum planiorem piscibus* (quos Apul. obsonarat) *at has quisquilias quanti parasti?* Hieron. *Ab Aedilibus, quos* ἀγορανόμους *Graeci appellant, vendentium coërcebatur rabies.* De altero Pers. Sat. I.

Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti Aedilis iniquas.

Iuvenal.

Mavis an Fidenarum Gabeorumque esse potestas,

Et de mensuris ius dicere, vasa minora
Frangere pannosus ramis aedilis Vlubris.

Vlpian. leg. 13, D. de locat. *Si quis mensuras conduxerit, easque magistratus frangi iusserit, si quidem iniquae fuerint.* Hinc Varro proverbii vice, ad Aedilitium modium: *Solus formosus, fortis, aequus, vel ad aedilitium modium, purus putus.* Etenim *modius Aedilitius*, id est, sive aedilium ipsorum, sive ab aedilibus probatus, omnium sine dubio erat rectissimus. Notandus etiam est usus particulae *quamvis*, pro admodum, valde, quantumvis. Vt Menaechm. II, 2, 43; Pseud. IV, 7, 79. Catul. *Quamvis saevus et indomitus.*

Vs. 289. *Capillum promittere*, est alere, et ad iustam longitudinem nutrire. Varro: *Quod tamen erant in Graecia comae promissae, rasa barba pallia trahentes.* Eodem sensu *immissa*, Virg. III Aen. vs. 593 de Archimaenide: *Dira illuvies, immissaque barba*, aut secundum alios *promissaque.* Liv. XXVII, 36; Valer. Flacc. I, 412. Sed addit Plautus: *Capillum promittam occipiamque ariolari.* Solebant enim vates et divini passis effusisque capillis caput rotare. Tibull. II, el. 5: *Haec cecinit vates, et te sibi, Phoebe, vocavit: Iactavit fusa sed caput ante coma.* Flor. III, 19: *Syrus quidam nomine Eunus, fanatico furore simulato, dum Syriae Deae comas iactat, ad libertatem et arma servos, quasi numinum imperio, concitavit.* Lucan. *Crinemque rotantes Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.*

Vs. 346. *Gravari aliquid*, negare, recusare, non ferre. Most. V, 2, 65; Mil. IV, 6, 15; Stich. III, 2, 25, et V, 4, 40. Senec. Ep. XXV: *Illi contemnunt vitam, hi gravantur.* Suet. Aug. LXXII: *Ampla*

et operosa praetoria gravabatur. Stat. lib. III; Sixt. I, Ep. 68: *Augustasque fores adsuetaque tecta gravatur: Frondibus et populo defendimus arbore soles*. Graecos eodem modo uti suo Βαρύνεσθαι docent Salmas. Exercitat. Plin. pag. 265 a D. et Vechner. de Hellenism. II, 2. Vetus Epigramma:

Μὴ Ζεὺς ἀλγήσῃ τοῦτο βαρυνόμενος,

Id est: *Ne Iupiter doleat, hoc gravatus*.

Vs. 413. *Thyestae* vel *Terei coena*, scelerata, inhumana, quia fabulae Poëtarum narrant Thyesten et Terea, non hominum modo, sed etiam filiorum visceribus pastos. Et Thyestae quidem Atreum fratrem ob vitiatam coniugem Aeropen, et interversum thesaurum regni, quum ficta reconciliatione ipsum et liberos Plisthenem, Tantalum minorem, et tertium, ignoto nomine, pellexisset, mactatos filios et coctos, assaque illorum membra apposuisse, de quo Senecae tragoedia *Thyestes*. Tereo vero uxorem ob vitiatam, et, ne flagitium enunciaret, lingua truncatam sororem Philomelam, suum et ipsius filium discerptum, et apparatum cibi more epulandum dedisse, et quum satiatus esset, et illum et hanc capita trucidatorum ingessisse. Horat. de Art. Poët. *Indignatur item privatis ac prope socco Dignis carminibus narrari coena Thyestae*. Apud quem et *Thyesteae preces* pro diris execrationibus ponuntur: quibus ille seque et fratrem detestatus est; se, quod absumserat liberorum viscera; fratrem, quod ea cocta ipsi apposuerat. Sic *Thyesteae mensae* pro nefariis et sceleratis apud Ovid. XV Metam. in Pythagorae admonitione: *Neve Thyesteis cumulemus viscera mensis*: de Tereo vide Senec. Trag. Thyeste.

Vs. 329. *Ad velitationem se exercere*, proprie est

ad pugnam velitarem, quae erat levis armaturae militum, quorum genus quoddam dicebatur velites, instituti bello Punico II. Liv. XXVI: *Ex omnibus legionibus iuvenes delecti sunt, maxime vigore et levitate corporum veloces. Eis parmae breviores quam equestres, et septena iacula quaternos longa pedes data, praefixa ferro, quale hastis velitaribus inest. Eos singulos in equos suos accipientes equites, adsuefecerunt, et vehi post se, et desilire perniciter, ubi signum datum esset. Inde equitatu quoque superior Romana acies fuit. Institutum ut velites in legionibus essent.* Hi proprie dicebantur *velitari*, et horum pugna *velitatio*, quumque a campi doctore instruerentur, *ad velitationem se exercere* dicebantur. Translate vero de iurgio et litigio subito dicitur, ad quod quia opus est ore celeri et expedito, qui prae frigore dentibus crepant, et labia creberrima motitant, *exercere se ad velitationem* dicuntur Plauto. Festus: *Velitatio dicta est ultro citroque probrorum obiectio, ab exemplo velitaris pugnae.* Plaut. *Nescio quid velitati estis inter vos.* Quae verba extant Menaechm. V, 2, 58. Idem Festus: *Advelitatio, iactatio quaedam verborum figurata ab hastis velitaribus:* velites dicuntur expediti milites, quasi *volites*, hoc est, volantes. Vid. Nonium cap. I, §. 2, pag. 3 edit. Merceri (Turpil. et Afran. apud Non.).

Vs. 429. *Pro manduco se posse locare*, est ea forma, atque eo habitu esse, ut pro terriculamento esse possis. *Manducus* vulgo homo gulosus, vorator. Pompon. in Atellana: *Magnus manducus, chamelus canterius.* At quid hic significet, unice docet Festus: *Manducus effigies in pompa antiquorum inter ceteras ridiculas formidolosasque personas ire solebat magnis malis, ac late dehiscens, et ingentem dentibus soni-*

tum faciens, *de qua Plautus ait in Rud. Quid si aliquo ad ludos me pro manduco locem?* L. *Quapropter?* Ch. *Quia pol clare crepito dentibus*. Sic Festus allegans ipsa Plauti verba. Eam describit Iuven. Sat. III:

— Tandemque redit ad pulpita notum
Exodium cum personae pallentis hiatu.
In gremio matris formidat rusticus infans.

Etenim dentes magnos, et voracitatem ingentem attribuebant nocturnis illis terriculamentis. Quo nomine factum, ut et Lamiam, puerorum infantium deglutricem, fingerent. Dicit autem *me locem*, quia actores scenici ab illis, qui ludos dabant, mercede conducebantur, et operam suam locabant. Possumus uti quum turpissimam alicuius formam significamus, praesertim ob magnum os vel dentes eminulos, quibus scilicet formidinem puerulis incutere liceat.

Vs. 446. *Corruere divitias*, significat congerere, coacervare: dictum ex eo, quod quae in acervum congregantur, ipsa dum coniiciuntur, quasi ruunt. Vtitur eodem modo Varro lib. IV de L. L. 84: *Corbes*, inquit, *quo spicas aliudve quid corruebant.*

Vs. 486. *Poenitere*, usurpatur interdum pro non contentum esse, non satis iudicare. Vt quum hic ait Charmides: *Eho, an te poenitet in mari quod elavi, nisi hic in terra iterum eluam?* id est, an parum tibi videtur, an non satis est. Pseud. I, 3, 72; Truc. II, 6, 52. Cic. I Off. *Quamobrem disces tu quidem a principe huius aetatis philosophorum, et disces quamdiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non poenitebit*, id est, quamdiu senties et gaudebis te proficere. Infra III, 4, 25. Stich. I, 1, 44: *Me conditio haec non poenitet*, id est, contentus sum hac conditione. Poen. I,

2, 71: *Convivii me nihil poenitet*, id est, non queror me parum laute esse acceptum. Cic. I ad Att. 5: *A Senatu quanti fiam, minime me poenitet*, id est, facile contentus sum, facile acquiesco.

Vs. 563. *Pectere pugnis*, locutio est, qua gaudet Plautus, ut Capt. IV, 2, 116; Men. V, 7, 28; Poen. I, 2, 145. Ab eadem translatione *depolire* Epid. I, 1, 85, et *ornare* hac Fab. III, 4, 25.

Vs. 614. *Pretium*, interdum est idem quod quasi pensio sceleris. Sic Liv. Andron. Achille: *Si malum imitabor, tum tu pretium pro noxa dabis.* Quod interpretatur Nonius: *Poenae exilium.* Catull.

Rufe mihi frustra ac nequidquam cognite amice.
Frustra? imo magno cum pretio atque malo.

Ovid. in Epist. Hypsipyles ad Iason.

Perfidiae pretio, qua nece dignus eras.

Vs. 638. *Inclementer dicere alicui*, significat contumeliose aliquem appellare, probra alicui obiectare. Amph. II, 2, 110; Ps. I, 1, 25; Poen. V, 5, 44; Truc. II, 7, 44.

Vs. 641. *Germana Graecia*, dicitur vera ipsissima Graecia, quae opponitur Graeciae maiori in Italia, aliisque graecis in Asia urbibus, in quibus barbari Graecis erant permixti. Ita *Germanum nomen* est nomen proprium, non additum aliunde ex moribus, aut habitu corporis, casuve aliquo fortunae. Capt. II, 2, 38, *Germana illuvies* est mera, nihil nisi illuvies, Most. I, 1, 39.

Vs. 774. *In nervum rapi* significat in vincula, in carcerem duci. Aul. IV, 10, 13: *Vt apud te me in nervo enecem.* Capt. III, 5, 71: *Noctu nervo vinctus custodibitur.* Curc. V, 3, 40: *Tu autem in nervo*

iam iacebis. Sic 34 et 31 huius Scenae. Sic apud Terentium *res eruptura in nervum* dicitur, ob quam verendum est, ne quis in carcerem coniiciatur.

Vs. 807. *Oppilare aures alicuius vaniloquentia*, idem est, quod obtundere, occludere, implendo claudere. Lucret. lib. VI: *Est quoque uti possit magnus congestus arenae Fluctibus oppilare ostia contra.* Cic. Phil. II: *Nisi se ille sub scalas tabernae librariae coniecisset, hisque oppilatis impetum tuum compressisset.* Serv. ad XII Aeneid. 121: *Pilataque plenis Agmina se fundunt portis. Pilata agmina asserunt quidam esse densa, spissa, sic ut implere portas potuerint, et postea se in loca apertiora diffundere, nam et Graeci πιλῶϊα res densas et arctas dicunt.* Ennius II Sat. *Contemplor inde loci liquidas pilatasque aetheris oras,* quum firmas et stabiles significaret, et quasi pilis fultas. Asellio III Hist. *Quartum signum accedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat.* Scaurus de vita sua: *In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi. Pilatim*, id est densis et coarctatis ordinibus, ut solent vicino hostili exercitu. *Passim*, id est sparsis et disiectis, ut solent, quum populantur. Varro duo genera agminum facit, *quadratum*, quod immixtis etiam iumentis incedit, ut ubivis possit considere: *pilatum* alterum, quod sine iumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca transmittatur.

Vs. 815. *Libram pondo*, quum libram ponderalem significabant dicebant veteres, ad distinguendam eam a mensurali. Libra enim, cum partium suarum vocabulis, et mensuram significat et pondus. De posteriori significatione certum est: prioris argumentum est apud Sueton. in Caesare XXXVIII: *Frumenti denos modios, ac totidem olei libras.* Equidem

non legas apud antiquos, eos vinum, oleum et reliquos liquores appensos vendidisse, aut donasse, sed dimensos: utebantur autem vasa vel mensura, quam *libram* vocabant, distincta etiam in duodecim partes, perinde ut libra ponderalis, et pecuniaria, et liquores ea admetiebantur. Galen. III de Compos. Medicam. quasi data opera interpretatur Suetonium: Ἐστὶ δὲ, inquit, παρ' αὐτοῖς μέτρον, ᾧ το ἔλαιον μετροῦσιν ἐντετμημένον γραμμαῖς διαιρούσαις τὸ σύμπαν εἰς μέρη δώδεκα. καὶ καλεῖται τὸ ὅλον μέτρον ὑπ' αὐτῶν λίτρα. τὸ δωδέκατον δ' αὐτοῦ οὐγκία. *Est autem apud ipsos* (Romanos) *mensura, qua oleum metiuntur, intersecta lineis dividentibus totum in duodecim partes: atque mensura integra vocatur ab illis libra, duodecima vero pars eius uncia.* Idem alibi antiquos Medicos reprehendit, quod quum praecipitarent τὰς οὐγκίας ἢ τὰς λίτρας τῶν ὑγρῶν φαρμάκων, *Libras aut uncias liquidorum medicamentorum*, non satis explicuerint, πότερον τὰς μετρικὰς ἢ τὰς σταθμικὰς, *utrum mensurales, an vero ponderales* intelligerent. Etenim hodieque medici liquores nunc appendunt, nunc metiuntur. Hinc apud Plaut. *bilibris aequalis*, duarum librarum, scil. liquidi, capax. Mil. III, 2, 39. Et *cornu bilibre olei* apud Horat. II, Sat. 2:

Natales aliosve dierum
Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.

Vbi Acron: *Sunt enim in venalibus cornua, quae olei habent quantitatem, sextarii mensuram.* Et *librale cornu* memoratur apud Galen. lib. I de Comp. Medic. Εἴ τις ὑποθῆται τὴν κοτύλην ἔχειν οὐγκίας Ρωμαικὰς τὰς καταγεγραμμένας ἐν τοῖς συνήθεσι κέρασι λιτραίοις. *Si quis statuat Cotylam uncias novem capere Romanas in cornibus libralibus, quae in usu sunt, descri-*

ptas. Quum ergo *libram ponderalem* significare vellent, ut ab illa hanc distinguerent, utebantur adiectione vocis *pondo.* Pseud. III, 2, 26. Liv. lib. X, 20: *Dictator coronam auream libram pondo ex publica pecunia populi iussu in Capitolio Iovi donum posuit.* Lib. XXVI, cap. 47: *In praeda novae Carthaginis, paterae aureae fuere CCLXXVI libras fere omnes pondo.* Varro lib. IV de L. L. *Nummi librarii decuma libella, quod libram pondo as valebat.* Et ibid. *Nam quod asses librae pondo erant, qui acceperant maiorem numerum non in arca ponebant.* A. Gell. II, 24: *Neque argenti in convivia plus pondo libras centum illaturos.* Sic Plautus hic: *Neque piscium ullam unciam pondo cepit.* Nam et *pondo quadrantem, pondo sextantem* et per reliquas partes assis dicebant, ut *pondo libram.* Deinde et omisso vocabulo *librae*, adiectivum, quod generi respondebat, intellecto substantivo *libra*, cum τῷ *pondo* ponebant. Festus: *Centenas pondo dicebant antiqui, referentes ad libras.* Idem intelligitur in illis apud Liv. XLII: *Vasa aurea quingentûm pondo.* Nam integrum est quingentûm seu quingentarum librarum pondo. Varro lib. II de Vita Pop. Rom. *Delphos Apollini muneri missa corona aurea pondo ducentûm.* Id est, corona ducentarum librarum pondo. Sic in Sacris Numer. XXXI, 52: *Pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos.*

Vs. 1093. *Satin'.* Hac particula persaepe utitur Plautus pro nonne verum est, nonne apparet. Amph. II, 2, 1: *Satin' parva res est voluptatum in vita, prae quam quod molestum est*, id est, annon manifestum est, voluptates esse pauciores, quam adversitates. Most. I, 1, 73, Cist. I, 3, 2, Poen. IV, 3, 97.

Vs. 1157. *Si aurum, si argentum.* Particula *si* iterata utebantur interdum pro *sive.* Liv. VII, 26: *precatus*

deinde, si divus, si diva esset, qui sibi praepetem misisset, volens propitius adesset. A. Gell. II, 28: *Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam, si Deo, si Deae, immolabant.* Capt. I, 2, 5, Curcul. I, 1, 4. Propert. lib. II: *Quod si tu Graios, sive es imitata Sabinos.*

Vs. 1203. *Raso* vel *irraso capite homines.* Quum viderent antiqui homines irraso aut raso capite, interpretabantur id fere indicium esse, quod naufragium evasissent. Observatum a curiosis rerum naturalium in mari per naufragium iactatis, etsi evadant, ungues a digitis decidere, et extremitates cutis vel corporis tabescere. Vnde Propert. lib. III: *Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues.* Causam reddunt salsuginem maris; quo pertinet quod Solinus observat cap. 4: *Quum salsiores escas intemperanter edat gravida, unguiculis carere partum.* Caeterum quum illud videret superstitiosa antiquitas, duplicem inde religiosum ritum effinxit: nam et in summo periculo naufragii constituti ungues praesecabant et capillos, inque mare proiiciebant, velut hoc damno corporis iratum mare placaturi: et dein evitato naufragio capita radebant in templis, velut Diis gratias reddentes et corporis partem libantes, quod totum illud cum vita non eripuissent. Inde tertia superstitio nata, ut non liceret in navi aut ungues resecare, aut caput tondere, nisi in gravissima tempestate: quod esset pessimi ominis ceremonia; qua sc. extremum casum redimerent. Huc alludit Petron. c 65 quum ait: *Vnus forte e vectoribus notavit sibi ad lunam tonsorem, intempestivo inhaerentem ministerio, exsecratusque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum, in cubile reiectus est.* Deinde: *Ergo illi sunt, qui ad Lunam radebantur, pessimo, medius fidius,*

exemplo. Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave, neque ungues, neque capillos deponere, nisi quum pelago ventus irascitur. Iuvenal. *Tunc stagnante sinu gaudent ibi vertice raso Garrula securi narrare pericula nautae.* Lucian. de Mercede Conductis: *Audire soleo hos veluti naufragium quoddam ac praeter spem obiectum salutem enarrantes: cuiusmodi sunt isti, qui in templis deraso capite, complures simul obambulantes immanes undas, procellas etc. narrant.*

Vs. 1273. *Condonare alicui aliquid*, est idem quod simplex donare. Amph. I, 3, 38, Men. IV, 2, 44. Sed *condonare aliquem*, est donare alicui, id quod debetur, aut offertur, remittere, non exigere. Bacch. V, 2, 2, Pers. V, 2, 36. Quin et duplici accusativo iungi apparet ex illo Afranii: *Id aurum me condonat.* Et Terent. Phorm. V, 7, 54; Prol. Eun. 17; vide Farnab.

STICHVS

Fab.
vs. 2. *Vidua*, non tantum dicitur, cuius maritus mortuus est, sed etiam, cuius maritus abest superstes, Menaech. I, 2, 4. Minatur enim uxori divortium. Terent. Phorm. V, 7: *Olim cum honestè potuit, tum non est data, nunc viduam extrudi turpe est*, id est, ab illo cui nupta est, separatam. Sen. Agam. introducit loquentem Clytaemnestram, uxorem Agamemnonis, qui decennium abfuerat in bello Troiano: *Decem per annos vidua respiciam virum.* Herc. Fur. *Soror tonantis (hoc enim solum mihi nomen relictum est) semper alienum Iovem Ac templa summi vidua deserui aetheris.* Inde *viduam cubare.* Cist. I, 1, 46, id est solam sine viro. Et *vidua ac pudica nox*, in qua quis secubuit, nec Venere usus est, Petronio; et *viduus lectus* apud Luc. lib. V, in quo sola est uxor sine marito:

Viduo tum primum frigida lecto
Atque insueta quies uni, nudumque marito
Non haerente latus.

Sed et *virgo vidua*, quae non elocatur nuptum, quum sit nubilis, Liv. lib. I, 46, ubi loquitur de Tullia maiori: *Et se rectius viduam, et illum coelibem futurum fuisse contendere.* Senec. iterum Agamemn. *An te morantur virgines viduae domo.*

Vs. 18. *Merere tantum ut facias*, est tanto pretio,

mercede vel praemio inductum facere. Phrasis, quae apud duos solum auctores, sed optimos, nempe Cic. et Plaut. reperitur. Menaech. I, 3, 34, id est, si quis mihi vellet deorum opes dare ut tibi parcerem, et te non perderem, non eas acciperem. Bacch. V, 2, 66. Cic. in Verr. 60: *Quid arbitramini, Rheginos, qui iam cives romani sunt, mereri velle, ut marmorea Venus illa auferatur* etc. Cic. I de Natura Deorum; Ferrar. ad Philipp. I, 22, cap. 14: *Putasne eum inmortalitatem mereri voluisse, ut propter morum habendorum licentiam metueretur?*

Vs. 183, 232. *Praedicare auctionem*, est *praedicare* simpliciter, aut proclamare publice, officio praeconis fungi. Sic Bacch. IV, 7, 17. Cic. III in Verr. 16: *Si palam praeco iussu tuo praedicasset, non decumas frumenti, sed dimidias venire partes.*

Vs. 291. *Meditari se ad cursum*, significat exercere se. Sic et quodvis exercitium corporis *meditationem* dicunt. Cic. II de Divin. *Multi etiam naturae vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt: ut Demosthenem, scribit Phalereus, quum Aho dicere nequiret, exercitatione fecisse ut plenissime diceret.* Val. Max. VIII, 7: *Roscius nullum unquam spectanti populo gestum, nisi quem diu meditatus fuerat, ponere ausus est.* Cic. II de Off. *Ea aetate L. Crassus ostendit, id se foro optime iam facere, quae etiam tum poterat domi cum laude meditari.* Senec. II de Ira, cap. 13: *Quid enim magnificum consequitur ille, qui meditatus est per intensas funes ire?* Epist. 121: *Infans qui stare meditatur et ferre se adsuescit, simul tentare vires suas coepit, cadit.* Cic. in Cat. I: *Ad huius vitae studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui.* Suet. Neron. XX. Veget. I, 9 R. M. *Primis ergo meditationum auspiciis ti-*

rones militarem edocendi sunt gradum; cap. 20: *Sed gravis pediti lorica videtur et galea fortasse raro meditanti arma, raro tractanti.* Senec. epist. 54 de asthmate seu spirandi difficultate: *Aliud enim, quidquid est, aegrotare est: hoc est animam agere. Itaque Medici hanc meditationem mortis vocant.*

Vs. 307. *Videre colubras*, est insanire, furere, a furiis inquietari. Hae enim infernales deae, non taedis ardentibus modo, sed colubris etiam et serpentibus insectari impios homines credebantur. Liv. VII, 17: *Inde terror maximus fuit, quod sacerdotes eorum facibus ardentibus anguibusque praelatis incessu furiali militem Romanum insueti turbaverunt specie.* Videre autem serpentes hosce, atque iis terreri credebant eos, quos infestabant Furiae. Sic Tantalus ad Megeram in Senec. Thyest. *Quid ora terres, verbere, et tortos ferox minaris angues?* Iuv. Sat. VI: *Certe sanus eras, uxorem Posthume ducis, Dic qua Tisiphone, quibus exagitere colubris.*

Vs. 325. *Tui honoris causa*, est formula exprimens, quod vulgo diceremus, tua causa, ut tibi obsequerer, ut tibi indulgerem, ut facerem, quod tibi cordi est. Curc. IV, 3, 17, Poen. III, 3, 26. Sic Amph. I, 2, 24. Et *habere honorem alicui*, pro obsequi, indulgere, Asin. I, 1, 66, Stich. I, 1, 37, quod nihil aliud est, quam indulgentiam, quam mihi praestitit.

Vs. 340. *Sine populi suffragio aedilitatem gerere*, proverbialis sermo est, in eos, qui loco alieno et domi non suae multa imperando, et pro imperio agendo, quod ius non habent, usurpant, et per impudentiam atque audaciam sibi faciunt. *Aedilitas* est potestas vel magistratus aedilium, ut Consulatus Consulis, Praetura Praetoris, Quaestura Quae-

storis. Non poterat autem quisquam in Republ. Romana magistratum gerere, nisi comitiis suffragio tribuum creatus: alioquin foret tyrannus, et vim usurparet sine iure.

Vs. 365. *Babylonica peristromata*, *et Babylonicae* κατ' ἐξοχὴν dicuntur stragulae vestes, vela, vel tapetia, diversi coloris filo texta. Lucret. lib. IV: *Tum Babylonica magnifico splendore rigantur*. Petron. cap. 37 elegantissime colores in cauda pavonis *Babylonicum* vocat: *Tuo palato clausus pavo pascitur plumato amictus aureo Babylonico*. Martial. lib. VIII, Ep. 28, 17:

Non ego praetulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramiâ quae variantur acu.

Semiramiam acum dicit Babylonicam, quia Semiramis regina Assyr. et Babylonis fuit. Id. lib. XIV, Ep. 150:

Haec tibi Memphitis tellus dat munera: victa est
Pectine Niliaco iam Babylonis acus.

Plutarchus in vita Catonis refert haereditate accepisse eum Βαβυλώνιον προβλῆμα, id est, *coloribus variegatam vestem*, *Babylonicam*, et iussisse statim ut venderent. Hieronym. ad Laetam: *In quibus non auri et pellis Babylonicae vermiculata pictura.* Causam tradit Plin. VIII, 48: *Colores diversos picturae intexere Babylon maxime celebravit.* Cic. II Philipp. *Conchyliatis Cn. Pomp. peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres.*

Vs. 369. *Alludiare* et *alludere*, verbum aptae significationis, et in qua haud facile aliud unum reperies, pro nutu, arridendo, tactu manuum vel pedum, aut quacunque gesticulatione; sed etiam

voce amatorculum se ostendere, scortillo aut puellae se venditare. Poen. V, 4, 64; Terent. Eun. *Forte habui scortum, coepit ad id alludere.*

Vs. 429. *Posticam partem aedium* amant dicere veteres, pro posteriore seu aversa parte aedium, et vocabulo *postici* potius adiective, quale sua natura est, quam substantive utuntur. Liv. lib. XXIII: *Hortus erat posticis aedium partibus*, id est posterioribus, aversis. Val. Max. V, 7: *Quum domo postica clam aedium esset egressus.* Varro VI de L. L. *Eius templi* (coeli) *partes quatuor, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem.* Nam ut *postica*, seu *posterganea*, ut Arnobius loquitur, idem est quod posterior, sic *antica* idem quod anterior, aut diversa a fronte. Festus: *Anticum veteres etiam pro ianua posuere. Nempe a fronte domus, ut posticum* (utrobique intellige in hac significatione *ostium*) *a tergo.*

Vs. 446. *Sustentatum est sedulo*, est responsio eorum, qui post aliquanti temporis absentiam, domum reduces de medii temporis valetudine et statu interrogantur; qua significant et fuisse se salvos, atque ut essent, curam adhibuisse. Infra IV, 2, 8; Cic. XIV Ep. fam. 14: *Sustenta te, ut potes.* Caes. II, de B. G. 6: *Id oppidum ex itinere magno impetu Belgae oppugnare coeperunt. Aegre eo die sustentatum est.* Sic fere etiam Cic. XII fam. 6: *Res, quum haec scribebam, erat in extremum deducta discrimen. Brutus enim Mutinae vix sustinebat.*

Vs. 465. *Vir imi subsellii*, dicitur vir humillimi loci atque ordinis, sine dignitate et splendore. Desumtum est ex eo, quod veteres sedentes in spectaculis, aut accubantes in conviviis, si quos haberent clientes aut humiliores amicos, quorum colloquio de-

lectabantur, eos ad pedes vel stantes, vel in subselliis inferioribus sedentes, habebant. Plutarch. in Mario de Martha muliere Syra et fatidica: Ἐπεὶ δὲ πρὸς τὰς γυναῖκας εἰσιοῦσα διάπειραν ἐδίδου, καὶ μάλιστα τὴν Μαρίου, ἣ παρακαθίζουσα πρὸς τοὺς πόδας τῶν μονομαχῶν προηγόρευε τὸν μέλλοντα νικᾷν. *Verum postquam cum foeminis congressa specimen dedit, praesertim apud uxorem Marii, cui ad pedes adsidens gladiatoribus, quis victor esset futurus, praedixit.* Capt. III, 1, 11: *Nihil morantur iam Laconas imi subsellii viros.*

Vs. 489. *Promittere ad aliquem*, scilicet se coenatum venturum; quod quia facile intelligebatur, compendifaciebant. Contra *ad aliquem renuntiare*, IV, 2, 19. Sic et *promittere ad coenam* et *promisisse* aiebant, quod quivis intelliget, sed notanda Latinitas. Menaechm. V, 2, 43; Sen. Contr. II. Petron. *Quia tanquam scholastici Ad coenam promisimus.* Cic. II de Orat. 7: *Ad fratrem promiserat*, id est, promiserat fratri se apud eum coenaturum. Infra IV, 2, 16. Sic *promittere foras*, *condicere foras*, Most. IV, 3, 12; Menaechm. I, 2, 15; Plin. I, Ep. 59: *Heus tu, promittis ad coenam, nec venis.*

Vs. 490. *Gratiam inire verbis*, est hic non simpliciter dicere, quod placeat aliis, sed offerre comiter, quod certo scias non accepturum amicum, sive eo non indigeat, sive alia causa prohibeatur, verba sine re et animo intelliguntur. Sic ait Antipho: *Nunc me gratiam abs te inire verbis nihil desidero: cras apud me eritis*, id est, possem equidem tuto vos invitare hodie, et sine meo sumtu hanc quasi humanitatem ostentare, quum sciam vos non esse venturos: sed nolo hoc more urbanorum hominum uti, in crastinum vero, quum nemo alius vocaverit, vos voco.

Vs. 510. *Festinare*, significat apparare, moliri, tumultuari, ut solet in apparando. Cas. IV, 1, 5, infra V, 3, 4.

Vs. 545. *Ducere se pro aliquo esse*, est simpliciter gerere se pro aliquo. Capt. II, 3, 76.

Vs. 594. *Genium meliorem facere*, est lauto victu, cibatu electili, vino suavi, cuticulam curare. Vt *indulgere genio* apud Pers. Genio enim tribui dicitur, quidquid gulae et ventri datur. Sic Horat. *Cras genium mero curabis.* Inde *dies genialis.* Iuven. IV: *Genialis agatur Ipse dies propior stomachum laxare saginis.* Sic contra *cum genio belligerare.* Truc. I, 2, 8. Parco victu uti, misere et maligne se alere. Eodemque sensu *defraudare genium suum*, apud Ter. Phorm. Lucil. Plaut. Aul. IV, 9, 15.

Vs. 601. *Rem confringere*, ponitur pro patrimonium absumere et perdere. Trin. I, 2, 71; II, 2, 55. Horat. *Nam postquam res mea Ianum Ad medium fracta est, aliena negotia curo.*

Vs. 655. *Convenit*, est formula assentientis, pro placet, fiat. Casin. II, 3, 54.

Vs. 688. *Non hoc impendit publicum*, significat non resp. hac impensa gravabitur, non aerario aut possessionibus populi decedet hic sumtus. Sic dicendo significat nihil periculi esse, cur vereatur promptissime accipere poculum. Sic optimi auctores voce *publicum* utuntur, pro opibus seu patrimonio populi. Liv. X: *Quorum bonis mulctatis ex eo, quod in publicum redactum est, aenea in Capitolio limina posuerint.* Lib. XXVI: *Aedes Vestae vix defensa est tredecim maxime servorum opera, qui in publicum redempti ac manumissi sunt.* Lib. XLII: *Pars agri Campani, quam privati sine discrimine et passim possiderent, recuperata in publicum erat.*

Vs. 692. *Vertere cadum*, est exsiccare, exinanire; neque enim poterit effundi, vel ebibi, quod inest, nisi vertatur. Sic Ennius, et ex eo Virg. lib. IX Aeneid. vs. 165: *Indulgent vino et vertunt crateras aënos.* Horat. II, Sat. 8: *Invertunt Alliphanis vinaria tota.* Lucil. *Vertitur oenophoris fundus sententia nobis.* Hoc in milite dixerat, *capite sistere cadum.*

Vs. 722. *Vapulat peculium*, inquit servus, significans damno illud deminui, aut damnoso sumtu. Sic *feriri* Terentius dicit eum, qui cogitur erogare non recepturus, sive donare. Phorm. *Porro autem Geta ferietur alio munere, ubi hera pepererit.* Trin. II, 1, 19 de meretrice, quae emungit amatorem: *Ibi illa pendentem ferit.* Sic *plagam* in eadem re, pro damno in Bonis. Cic. IX, Ep. 16: *Nunc quum tam aequo animo bona perdas, non eo sis consilio, ut, quum me hospitio recipias, aestimationem te aliquam putes accipere. Etiam haec levior est plaga ab amico, quam a debitore.* Est autem *accipere aestimationem a debitore*, qui non sit solvendo, loco pecuniae accipere praedia aestimata plerumque inique, et maioris, quam aut vendi, aut inde redire quod creditum est, possit.

TRINVMVS

Fab. vs. 2. *Immune facinus* est, quod nemo, aut rari, dono aliquo aut beneficio remunerant, quod beneficium vix putatur, et pro quo nemo munis aut munificus est. Festus: *Immunis, vacans munere.* Non. *Immunis, sine officio, sine munere.* Idem: *Munes a veteribus dicebantur, non a largiendo, sed consentientes ad ea, quae amici velint.* Lucil. VI: *Munifici comesque amicis nostris videamur viri.* Sallust. *Nam etiam tum largitio multis ignota erat; munificus nemo putabatur, nisi pariter volens* (de hac locutione vid. not. ad hunc versum, tom. IV ed. T.).

Fab. vs. 9. *Quasi herbam irriguam succrescere*, alludit eo, quod horti et agri parum sunt foecundi, nisi crebro irrigantur. Vnde Colum. de Cultu Hort. *Vicini quoque sint amnes, quos incola durus Attrahat auxilio semper sitientibus hortis, Aut fons illacrimet puteo non sede profunda, Ne gravis hausturo tolleno tibi ilia vellat.* Est autem *tolleno* nihil aliud quam machina ex duabus perticis, recta, terrae infixa, et transversa mobilis, ad levanda onera. Virg. I Georg. *Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentes.* Est ergo *herba irrigua*, quae crebro irrigatur, et aquam pascentem bibit. Dici potest de omnibus, quae cito et cum ubertate proveniunt.

Vs. 39. *Obrepere alicui imprudenti*, id est, fraudulentis et ambiguis dictis mendaciisque aliquem circumvenire. Sic infr. IV, 2, 133. Vlpian. leg. III,

de Carb. edict. *Sed si, quum esset pubes, quasi impubes obrepserit, bonorumque possessionem accepit, dicendum est nihil eum egisse*, Modestin. leg. XXIX, ad leg. Cornel. de falsis: *Si quis obrepserit praesidi provinciae tam per acta, quam per libelli interpellationem, nihil aget.* Senec. IV de Benef. 34. Sic *obreptio* Vlp. leg. VIII, §. 1, Negot. gest. *Item si fundum tuum vel civitatis per obreptionem petiero.* leg. X, §. 2, De in ius vocando: *libertus adrogatus per obreptionem.* leg. XXVI, §. 8, de fideicomm. libert. *Si libertas non deberetur, obreptum tamen Praetori esset de libertate, pronunciatumque, ex hoc SC. libertas non competit.*

Vs. 86. *Rem auctorem dare*, est locutio elegans pro re ipsa, vel ipsis rerum testimoniis, aliquid probare et confirmare. *Auctor* est, qui auctoritatem et fidem alicui rei praebet, et *auctorem habere* dicitur, qui iustam auctoritatem sequitur, qui idoneum habet sui facti adstipulatorem. Vnde Terent. in Prol. Andr. *Quum Ennium, Plautum, Naevium*, nominasset, addit: *quos hic auctores habet.* Cic. in Orat. de Prov. Cons. *Non parva afficior voluptate, quod habeo auctorem P. Servilium, qui ante me sententiam dixit, virum clarissimum.* Norint vero Grammatici, vocabulum *auctor* interdum etiam foem. gen. esse, idque probant ex Ovid. Metam. *Quo fugis, exclamat, meritorum auctore relicta?*

Vs. 115. *Inconciliare aliquem*, est turbare aliquem, *didere*, et *disiicere*, ut loquitur Cic. pro Cael. ex veteri comico, *incommodare alicui*, Most. III, 1, 85; Bacch III, 6, 22; Pers. V, 2, 53.

Vs. 173. *Recipere posticulum*, est parvulam partem aversae vel posticae domus, quum totam vendideris, excipere et tibi retinere. Verbum iuris antiqui. Cato suadens legem Voconiam: *Principio nobis*

mulier, quum magnam dotem attulit, tamen magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non committit: eam pecuniam viro mutuam dat: postea ubi irata facta est, servum receptitium sectari atque flagitare virum iubet. Ad quae verba sic A. Gell. XVII, 6: *Quando mulier dotem marito dabat, tum quae ex suis bonis retinebat, neque ad virum tramittebat, ea recipere dicebatur. Sicuti nunc quoque in venditionibus, quae excipiuntur, neque veneunt.* (Cato de R. R. cap. CL; leg. 120, de V. S.) *Quo verbo Plautus quoque usus est in Trin. in hoc vs.* Posticum h. r. q. ae. v. *id est, quum aedis vendidit, particulam quandam, quae post eas aedes erat, non vendidit sed retinuit. Ipse etiam Cato mulierem demonstrare locupletem volens, Mulier, inquit, et magnam dotem dat, et magnam pecuniam recipit, id est, retinet: et servum receptitium, hoc est proprium, suum, quem cum pecunia reliqua receperat, neque dederat doti, sed retinuerat.* Sic Gellius. Graecis ἐξαίρετος. Cic. II de Orat. 55: *Dicet, te, quum aedes venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum recepisse.* Sic et Iavolenus, leg. V, ff. Comm. praediorum: *Proprium solum vendo: an servitutem talem iniungere possum, ut mihi et vicino serviat? Respondi: Servitutem recipere, nisi sibi, nemo potest. Adiectio itaque vicini pro supervacuo habenda est: ita ut tota servitus ad eum, qui receperit, pertineat.*

Vs. 196. *Exquirere usque ab stirpe auctoritatem*, est exquirere diligenter et prosequi rem, usque ad primum eius auctorem. *Stirps* in fruticibus est, quod in arboribus truncus, planta ipsa, quae solo figitur ab arbore resecta, ut viviradix fiat, et fructum faciat, et sustineat omne, quod inde nascitur. Sic *Stirpem deponere* apud Columell. lib. III, 4,

est plantam solo figere, ut viva radix fiat, et fructum faciat: *Quum semper, ut dixi, plurimum retulerit, exquisiti generis stirpem deposuisse* etc. cap. 5.: *Num depositae stirpes valido solo, quamvis celeriter comprehendant, atque prosiliant, tamen quum sint viviradices factae etc.* Scaliger putat dictum principio fuisse de solis firmitate praeditis, quasi στεῤῥόπους ob firmitatem. Hinc pro genere et pro origine accipitur. Est igitur *a stirpe*, quasi a plantatione: nam ut quisque ramum serere pergit, ita quasi novam eius stirpem ponit et spargit. Vel usque ab stirpe dicit, *usque ab radicibus*. Aul. II, 2, 72: *Vsque a principio*; eodem III, 6, 2, *Convellere ab stirpe*, est funditus exscindere. A. Gell. XII, 5: *Interire ab stirpe*. Sallust. Cat. X: *A capite arcessere*. Cic. II de Orat. 28: *Translatione a fontibus et scaturiginibus sumta: et tanti ingenii est, rivulos consectari, fontes rerum non videre, et iam aetatis est ususque nostri, a capite quod velimus arcessere, et unde omnia manant, videre*. Cic. I de Divin. *Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam; observarunt etc.* Id. I de Nat. Deor.

Vs. 233. *Nihil te utor*, est formula abdicandi et ablegandi aliquem, cuius opera non indigeas. Liv. XLIV, 11: *Remittitur Antigonus, qui nuntiaret quinque millium exitum. Opera tantum uti Regem, contemnere multitudinem alarum.* Sic et repudii, quo sponsae renuntiabant matrimonii contractum, formula erat: *Conditione tua non utor.* Tibull. *Forma nihil magicis utitur auxiliis*, id est, incantamentis non indiget.

Vs. 284. *Sarta tecta*, proprie dicuntur aedificia integra, et in parietibus et in tecto. Vtebanturque fere ea formula in locationibus publicorum operum

magistratus Romani. Cic. I Ver. 49: *In sartis tectis vero quemadmodum se gesserit, quid ego dicam?* cap. 50: *Quum L. Octavius, C. Aurelius Coss. aedes sacras locavissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere, neque ii praetores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos et M. Caesius; actum est SC. quibus de sartis tectis cognitum et iudicatum non esset, uti C. Verres, P. Caelius praetores cognoscerent, et iudicarent.* Et mox: *Quis aedem Castoris sartam tectam deberet tradere.* lib. III: *Eundemque te memini Censorias quoque leges in sartis tectis exigendis tollere, commutare.* Vlpian. leg. I, §. 1 de offic. Procos. *Aedes sacras et opera publica circumire inspiciendi gratia, an sarta tecta quae sint vel an refectione aliqua indigeant.* Liv. XLII: *Censorem moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis et loca tuenda more maiorum traditum esset.* Lib. XLV: *Petentibus, ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, et ad opera quae locassent, probanda anni et bimensis tempus prorogaretur.* Marcel. VII, §. 2 ad leg. Iul. de repetundis: *Illud quoque cavetur, ne in acceptum feratur, opus publicum faciendum, frumentum publice dandum, praebendum, addendum, sarta tecta tuenda, antequam perfecta, probata, praestita lege erunt.* Festus: *Sartae in auguralibus pro integrae ponuntur. Ob quam causam opera publica, quae vocantur, ut integra praestentur, sarta tecta vocantur.* Etenim *sarcire* est integrum facere. Quo verbo utitur ea in re Noster, Most. I, 2, 34 et 67. Huc ergo allusit Plautus: *Sarta tecta tua praecepta usque habui*, id est semper ea servavi integra, salva, inviolata. Cic. XIII Fam. 50.

Vs. 16. *Gratiam facere alicui alicuius rei*, est veniam dare, remittere, ne quis quid faciat, aut fecisse videatur. Sallust. Cat. LII: *Qui mihi atque*

animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, non est, condonassem factum, sed nunquam permisissem, ut delinquerem. Liv. I, 3: *Omnium igitur tibi, Appi Claudi, quae impie nefarieque per biennium alia super alia ausus es, gratiam facio*, id est remitto, quasi ea non fecisses. Quale est apud Suet. Tiber. XXXV: *Equiti Romano iurisiurandi gratiam fecit*, id est, iuratum habuit, quasi non iurasset, quod barbari dicunt: dispensavit eum a iureiurando. Rud. V, 3, 59; Most. V, 2, 9, id est remitto, ne tibi sumtui sim. Mil. II, 6, 94. Suet. Aug. 17: *Gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus suis*, id est, permisit ut non coniurarent. Vide Not. Torrentii Calig. XI: *Damnatos religatosque restituit, criminumque, si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit.* Domit. XIV: *Edicti de excidendis vineis propositi gratiam facere compulsus.* Est et simpliciter concedere, Casin. II, 6, 21; Pseud. II, 5, 23. A. Gell. X, 15: *Massus Sibramus scripsit, et alia quaedam remissa, gratiamque aliquot ceremoniarum factam dicit.*

Vs. 385. *Ratio quidem hercle apparet, argentum* οἴχεται, id est, abiit, consumptum est, evanuit. Versus proverbialis in eum usurpandus, a quo quum pecuniam speres te accepturum, ingentem seriem rationum tibi videas oggeri, ut laetari oporteat, te non esse debitorem debitoris, aut si non ipse debere reperiaris. Colum. I, 8, ubi praecipit, qualem villicum paterfamilias rusticae familiae et operi rustico praeficere debeat, monet *etiam illiteratum* (id est, qui legere et scribere non possit) *dummodo tenacissimae sit memoriae, rem satis commode administrare*. Cuiusmodi villicum Corn. Celsus ait: *Saepius nummos domino, quam librum adferre, quia nescius*

literarum, *vel ipse minus rationes possit confingere*, *vel per alium propter conscientiam fraudis timeat.* Valet etiam in eos, quos confictas rationes referre suspicamur. Ita usurpavit Cic. in Pison. Cap. XXV citat hunc versum, ipsum loquentem introducens: *Quas rationes si cognoris, intelliges nemini plus quam mihi literas profuisse*: *ita enim sunt perscriptae scite et literate*, *ut scriba*, *ad aerarium qui eas retulit*, *perscriptis rationibus*, *secum ipse caput sinistra perfricans*, *commurmuratus sit*: *Ratio quidem hercle apparet*, *argentum οἴχεται*. *Apparere* autem est praesto esse, videri, non tam de personis, quam de rebus. Cato de R. R. II: *Si ei opus non apparet*, *dicit villicus sedulo fecisse*, *servos non valuisse*, *tempestates malas fuisse*, *servos aufugisse*, *opus publicum effecisse*. *Opus non apparet*, quum non est tantum operis factum, quantum oportebat, aut nihil admodum factum. Et ibidem: *Reliqua quae sient*, *ut compareant*, id est, ut exigantur, et in numerato habeantur, Amph. II, 1, 83. Cic. XVI Fam. 18: *Sed tu nullosne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat.* Vide Manut.

Vs. 394. *Exigi pecuniam sponsione*, est flagitari et cogi solvere pecuniam, titulo sponsionis, ut solvas pecuniam, quam pro alio spoponderis. Notabilis ideo syntaxis, quia *exigor pecuniam* dicitur, pro exigitur a me pecunia. Caecil. in Hypobolimaeo Aeschino: *Ego illud nihilominus exigor portorium*, id est, nihilominus a me exigitur portorium. L. Metell. Numidis: *Quum se sciret in tantum crimen venisse*, *sese atque socios ad senatum questum flentes venisse*, *sese pecunias maximas exactos esse*, pro eo quod est, pecunias a se maximas exactas. *Id nobis videbatur*, inquit A. Gell. XV, 14, *Graeca fi-*

gura dictum. Graeci enim dicunt: εἰσπράξατό με ἀργύριον, id significat: *exegit me pecuniam.*

Vs. 467. *Habeon' pactam?* est formula, qua utebantur in despondendis futuris uxoribus. Puellae, quum ambirentur, dicebantur *speratae*; quas ducere decretum est, post celebrata sponsalia dicuntur *pactae.* Poen. V, 3, 38. Vnde et *pactam* dicebant pro sponsa. Vell. lib. I: *Orestes se etiam Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit: nam quod pactae eius Menelai, atque Helenes filiae Hermiones nuptias occupaverat, Delphis eum interfecit.* Virg. X Aeneid. *Gremiis abducere pactas.* Plin. XV, 30: *Livia Drusilla, quae postea Augustae matrimonio nomen accepit, quum pacta illa esset Caesari.* Arnob. lib. IV: *Vxores etiam ii habent, atque in coniugialia foedera conditionibus veniunt ante quaesitis? Vsu, farre, coëmtione genialis lectuli sacramenta condicunt? habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.* Sic et *pactum*, pro sponso, Stat. III Thebaid. 147:

Puerique rudes tua Phaedime, proles
Amissum didicere patrem, Marpissaque pactum
Phyllea.

Vs. 493. *Pendens vinum*, dicitur nondum lectis uvis, aut expressis, sed adhuc cum vite pendentibus. Cat. de R. R. 147: *Hac lege vinum pendens venire oportet.* Hinc *vindemia pendens*, apud Plin. XIV, 4: *Intra octavum annum 400000 nummum emptori addicta pendente vindemia est.* Iulian. leg. 25, de art. emt. et vendit. *Qui pendentem vindemiam emit, si uvam legere prohibeatur a venditore, adversus eum petentem pretium exceptione uti poterit.* Opponitur autem *vino in doliis*, ut vocat Cato cap.

CXLVIII. Et *doliare* ICtus leg. 1, §. ult. de peric. et comm. rei vend. et in tit. de trit. vin. ol. leg. 9. Sic *oleam pendentem* Cato ibidem *lectae* opponit, et Iulian. leg. 39, §. 1, ff. de contr. empt. *Qui fructum olivae pendentis vendidisset.* Sic in genere *fructus pendentes* dicuntur a IC., quamdiu solo cohaerent, et terra continentur. Caius l. XLIV de rei vindic. *Fructus pendentes pars fundi esse videntur.* leg. XII, §. 5 de usufr. *Si fur decerpserit, aut desecuerit fructus maturos pendentes.*

Vs. 506. *Fulguritae arbores*, sunt de coelo tactae, ut alias loquuntur veteres, seu fulgure adflatae. Festus: *Fulguritum, id quod est fulmine ictum, qui locus statim fieri putabatur religiosus.* Senec. III de Ira cap. 23: *Timagenes inimicitias gessit cum Caesare: nemo inscitiam eius extimuit, nemo quasi fulguritum refugit.* Lib. II Natural. Quaestion. 21: *Quid quod omnibus fulguritis odor sulphureus est.* Erat autem haec superstitio antiquis, ut loca fulmine icta religiosa crederent, et contactu coelestis ignis usibus humanis exempta et separata, utque ibi sacrum facerent: homines quoque ictos, quo loco fuerint exstincti, relinquerent, neque instar aliorum cremarent, loco consecrato et circumsepto, quem *Bidental* appellabant. Gloss. *Bidental* τόπος κεραυνοπλήξ. Pers. Sat. II, 26: *An quia non fibris ovium, Ergennaque iubente, Triste iaces lucis, evitandumque bidental, Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam Iupiter.* Nempe mactatarum fibris ovium procurabant Aruspices id fulminis prodigium. *Ergenna* est nomen proprium interpretis ostentorum Etrusci, ut Porsenna, Sisenna. Verbum autem *evitandum* explicat illud Senec. *Nemo quasi fulguritum refugit.* Ritum describit Lucanus I, 606: *Anne dispersos fulminis ignes*

collegit, *et terra moesto cum murmure condit*, *Datque locis numen* etc. Sidonius Apoll. Carm. IX: *Nec quae fulmine Tuscus expiato Septum numina quaerit ad bidental.* Festus ait: *Bidental appellatum*, *quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur.*

Vs. 511. *Morbo decidere*, eleganter dicitur pro mori. Horat. II, Ep. I, 36: *Scriptor abhinc annis centum qui decidit.* Arnob. *Ex numero viventium index ille decidit.*

Vs. 606. *Migrare*, active migrare se, est idem quod transire, ut *migrare aliquid* pro alicunde migrare. Cic. III de Leg. *Quod quis earum rerum migrasset*, *noxiae poena par esto.* Id est, transgressus sit, violaverit. Lib. I de Divin. *Credo ne communia iura migrare videatur.* Titin. Velitern. *Quot partes*, *senia et iurgia sesemet aedibus emigrarunt.* A. Gell. II, 29: *Atque ita cassita nidum migravit*, *seges a domino demessa est.* Cic. de Off. *Incidunt saepe tempora*, *quum ea*, *quae maxime digna essent homine iusto*, *commutantur*, *fiuntque contraria: ut quae pertinent ad veritatem et fidem*, *ea migrare interdum*, *et non servare sit iustum.*

Vs. 622. *Exsignare*, est aut e memoria prius auditum in scriptum redigere, aut ex alio scripto transcribere et enotare. Vtitur et Liv. lib. I: *Pontificem deinde Numam Marciam M. filium ex patribus legit*, *vixque sacra omnia exscripta exsignataque attribuit*, id est, descripta.

Vs. 674. *Agere ex argumento*, est elegans locutio, qua significatur aliquem decenter admodum exprimere eam personam, quam agendam ac praeferendam suscepit. Dicitur de callido dissimulatore et apto ad fingendum vultum, habitumque, et ad instituendum sermonem convenientem ei rei, in qua

fallax et tectus esse vult. Desumptum ab Actoribus fabularum, seu histrionibus: nam et *argumenta* sunt proprie fictiones seu fictae historiae, ex quibus fabula conficitur. Hinc *Argumentum* Amph. Asin. etc. quod alii Graeca voce periocham appellant. Agit igitur ex argumento histrio, qui omnem habitum, gestum, motum, vocem attemperat materiae et narrationi, ex argumento spectatoribus cognitae. *Argumenta inferorum* apud Suet. Calig. LVII extr.

Vs. 774. *Me vide*, est idem quod, meo periculo rem aggredere audacter, ego te securum et liberum a metu praesto, Rud. III, 3, 18.

Vs. 834. *Agitandum est vigilias*, ita loquebantur interdum veteres pro eo, quod vulgo dicimus *agitandae sunt vigiliae.* Varro lib. II de R. R. 7: *In decem diebus secundum partum cum matribus in pabulum prodigendum equuleos*, pro equulei sunt prodigendi. Item: *Obiiciendum farinam hordeaceam molitam cum furfuribus.* Et alibi: *Et tempora quibus id potissimum facias animadvertendum, et loca quo transferas idonea providendum.* Vetus Poëta apud Cic. I de Div. *Nam istos, qui avium cantum intelligunt magisque ex alieno iecore sapiunt, quam ex suo, magis audiendum quam auscultandum censeo.* Cic. de Senect. *Quam* (viam) *nobis quoque ingrediendum sit.* Colum. VII, 5: *itaque reserandum est, et ulcera medicamentis curandum.* Lucret. I: *Aeternas quoniam poenas in morte timendum.*

Vs. 852. *Face et viatico opus esse ad aliquid*, sermo est proverbialis, quo uti possumus significaturi aliquid longum esse. Viatores longinquum iter ingressuri, non modo de viatico sibi prospiciebant, sed etiam faces et lumina comparabant, ad quae

noctu pergebant iter facere. Inde translatio ducta.

Vs. 975. *Addere gradum*, est citare, celerare, citius progredi. Sic Livius X, 20: *Samnites praeda impediti, infrequentes armati, pars addere gradum, ac prae se agere praedam; pars stare, incerti utrum progredi, an regredi in castra tutius foret.* Liv. XXVI, 9: *Alacresque milites alius alium, ut adderet gradum, memor ad defendendam ire patriam, hortabantur.* Plin. VI, Epist. 20: *Deinde manum eius amplexus addere gradum cogo: paret aegre, incusatque se, quod me moretur.*

Vs. 1013. *Abrogare fidem alicui*, est demere, facere, ut cuipiam fides non habeatur. Liv. III, 16: .... *ne suus cuique domi hostis esset. Cui nec credere, nec, non credendo, ne infestior fieret, fidem abrogare, satis erat tutum.* lib. VIII, 18: *Sicut proditur tamen res, ne cui auctorum fidem abrogaverim, exponenda est.* Cic. pro Rosc. XV: *Si iam tibi deliberatum est, quibus abroges fidem iurisiurandi, responde: Manilio et Luscio negas esse credendum?* Senec. VI de Benef. 8: *Saepe hostis, dum aperte peierat, etiam veris testibus abrogavit fidem, et re eum, velut factione circumventum, miserabilem reddidit.*

Vs. 1084. *Fundum alicui rei esse*, dicitur eleganter, pro auctorem alicui rei esse, auctoritatem accommodare, facere auctoritate sua, ut res illa rata et probata sit. Festus: *Fundus quoque dicitur populus esse rei, quam alienat; hoc est, auctor.* Cic. pro Balbo: *Negat ex foederato populo quemquam potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc civitatem venire:* id est, nisi is populus auctoritatem praestitisset, nisi eius populi auctoritate factum esset. A. Gell. XVI, 13: *Municipes nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi romani lege adstri-*

cti, ni, inquam, populus eorum fundus factus esset. Idem lib. XIX, 8: *Sed haec ego, inquit, non ut huius sententiae legisque fundus, subscriptorque fierem; sed ut ne Caesaris viri docti opinionem ἀπαραμύθητον destituerem.*

Vs. 1104. *Allegatu alicuius venire*, est simpliciter missum ab aliquo et subornatum per astum et artem venire. De qua notione verbi *allegare* superius. Caeterum de vocabulo *allegatus* ita Gell. XIII, 19: *hic peccatus, quasi peccatio, recte latineque dicitur: sicut hic incestus, non qui admisit, sed quod admissum est, et tributus, quod tributum nos dicimus* (utitur Plaut. Epid. II, 2, 43, et Cato), *a plerisque veterum dicta sunt: hic quoque allegatus et arbitratus, pro allegatione proque arbitratione dicuntur; qua ratione servata, arbitratu et allegatu meo dicimus.* Sic Gellius.

Vs. 1115. *Tunica propior pallio*, est proverbium, quo significatur curanda magis esse, quae magis ad nos pertinent. Sic Terent. Andr. IV, 1, 12: *Proximus sum egomet mihi.* Graeci etiam hac loquendi ratione utuntur. Theocrit. in Idyllio XVI, 18: ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνήμα, *remotius est tibia quam genu.* Cic. etiam hac usus est Fam. XVI, 23: γόνυ κνήμης, *genu tibia propius est.* Subauditur enim ἔγγυον. Quod integrum recitat Aristoteles lib. IX Moral. γόνυ κνήμης ἔγγυον.

TRVCVLENTVS

Arg. vs. 8. *Propensa munera*, sunt ponderis et pretii ingentis, *gravia;* quo verbo utitur Pers. IV, 5, 3, imitatus Accium, in cuius Fragm. legitur: *Ex quo superest: id quod facis gratum et grave est.* Simmach. lib. I, Ep. 2: *Quum iam filiae nostrae appeteret dies natalis, commodum aderant, quae muneri miseratis. Ea nobis in commune quam cara et gravia fuere.* Et eidem *grave donum* idem est, quod *propensum munus* Plauto. Lib. I, Ep. 3: *In gravi dono habeo, hanc esse apud vos de nostris Epistolis censionem;* lib. III, Ep. 49: *In gravi dono habeo, quod amicitiae meae viros decumatae honestatis adiungis;* lib. VI, 3: *Vt in gravi dono habiturus sim, si illius votis cura vestra profuerit.* Sic Noster *graviter amare aliquem*, id est, propenso animo. Cist. I, 1, 87.

Prol. vs. 20. *Superare*, est idem quod superest, eo modo ut apud Virg. *modo vita supersit.* Vt apud eundem: *Superatque et vescitur aura.* Lucret. II: *immutabile enim quiddam superare necesse est, Ne res ad nihilum redigantur.* Vtimur etiam hoc verbo pro superesse, id est, agendum restare. Sallust. *Is plerumque a rege exercitum ductare et omnes res exequi solitus erat, quae Iugurthae fesso aut maioribus adstricto superaverat.* Id est, reliqua erant, restabant agenda. Iug. LXX.

Fab. vs. 23. *Penetrare se*, observandum propter

syntaxin. Amat hoc verbo auctor active uti, quum vulgo verbum *penetrare* neutraliter usurpetur. Amph. I, 1, 94; Men. V, 2, 64; Trin. II, 2, 1, 14 et 33.

Vs. 60. *Summum atque intimum alicuius esse*, dicitur intellecto vocabulo *amicum*. Terent. Eun. Act. II, Sc. 2, 40; Adelph. Act. III, Sc. 2, 54.

Pergraecari, ponitur pro luxuriari, vino praecipue et Venere. *Graecari* est Graecos mores imitari sine probro. Horat. II, Serm. 2: *Vel si Romana fatiget Militia adsuetum Graecari seu pila velox*, id est, adsuetum more Graeco in gymnasio agere, pila se exercere. Sed quia Romani, quum primum ingressi sunt in Graeciam, ipsi adhuc sanctiores, et moribus antiquis, invenerunt eam luxuria asiatica iam corruptam et deperditam, apud eos Graeciae mores in infamiam vertere. Cic. I Ver. 26: *Discumbitur, fit sermo inter eos et invitatio, ut Graeco more biberetur: hortatur hospes, poscunt maioribus poculis.* Tuscul. I, 40. August. de civ. Dei c. 20: *Persuasitque oratione gravissima, ne Graecam luxuriam utilibus patriae moribus paterentur obrepere.* Iuv. Sat. 3: *Non possum ferre, Quirites, Graecam urbem*: id est, non possum ferre, Quirites, urbem Romam Graecis vitiis abundare. Hinc *pergraecari* perpetuo apud Plautum in malum sensum, ut Bacch. IV, 7, 15; Most. I, 1, 61 et IV, 2, 44; Poen. III, 2, 26.

Vs. 117. *Habere publicum*, est habere vectigal publicum conductum, publicanum esse. Cic. pro Rab. Post. *Multa gessit, multa contraxit, magnas partes habuit publicorum.* Val. Max. VI, 9, 7: *T. Aufidius, quum asiatici publici exiguam partem habuisset, postea totam Asiam proconsulari imperio obtinuit.* Sic *sumere publicum.* Parad. VI: *Nam ut iis, qui honeste rem quaerunt, mercaturis faciendis, operis*

dandis, publicis sumendis, intelligimus opus esse quaesito. Accedere ad publicum. Senec. ep. 101: *Ille qui mari et terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quaestus, accesserat. Teneri publico.* Suet. Cal. 301: *Additumque ad caput legis, ut teneretur publico, et qui meretricium fecisset*, id est, ut cogeretur vectigal pendere, etiam qui meretricium quaestum fecisset, id est ex meretricibus. Sic et *publica solvere*, est portorium solvere, aut quodvis vectigal. Quintil. Declam. 340: *Ego non ea voluntate feci, ut hic liber esset, sed ut publica non solveret.* Iterum *agere publicum.* Suet. Vesp. I: *Huius filius, cognomine Sabinus, expers militiae, publicum quadragesimae in Asia egit.* Horat. *Pars hominum gestit conducere publica.* Seneca eleganter transfert, de Constantia Sap. XIV: *Quid ergo? sapiens non accedet ad fores, quas durus ianitor obsidet? Ille vero, si res necessaria vocabit, experietur, et illum, quisquis erit, tanquam canem acrem obiecto cibo leniet: nec indignabitur aliquid impendere, ut limen transeat, cogitans et in pontibus quibusdam pro transitu dari. Itaque illi quoque, qui hoc salutationum publicum exercet, donabit: scit emere venalia:* hoc est, qui circumeundo, ac salutando divites ac potentes, coenam aut prandium, velut vectigal, captat. Noster hac Sc. 49: *Hic nos habemus publicum.*

Vs. 122. *Scripturam dare*, significat vectigal, quod debetur, dare publicanis, a quibus ager et pascuum pascendo pecori conducitur. Tria insignia vectigalia erant Romanorum, quae publicanis locabant, ex agri publici cultura, ex publicis sylvis et pecore pascendo, ex portubus. Vectigales agri decumas frumenti populo Romano pendebant: unde agri ipsi

decumani: illi qui colebant eos, per synecdochen, aratores, atque ab iis etiam agri ipsi *arationes* et *aratiunculae* dicebantur. Cic. V in Verr. *Pulsos aratores esse dico: agros vectigales vexatos atque inanitos a Verre,* Ibidem: *Magni et navi aratores agros fertiles desererent, totasque arationes derelinquerent.* Videatur Torrent. ad Suet. Aug. cap. 42; Brisson. de Form. 143, 145; Inscript. Grut. 206, 1; Nonius V, 37; Lucil. XXVII: *Facit idem quod illi, qui inscriptum e portu exportant clanculum, ne portorium dent,* id est, quod quis professus non est, ut pro eo vectigal solveret. Suet. Calig. XLI; Bosius II ad Att. XVII: *in Albano dies.* Plautus in eadem allegoria pergens hic vs. 46.

E sylvis et pecore pascendo vectigal, quod dabant pecuarii, seu pastores, *scriptura* dicebatur. Nam qui publicis sylvis conductis fruebantur, in iisque *pascebant*, redemptis a quodam genere publicanorum, numerum capitum pecoris sui apud publicanum profitebantur: eumque in commentarium referebat publicanus, et in singula capita certam pecuniae summam pro pastione exigebat. Varro II de R. R. 1, pag. 61: *Itaque greges ovium longe abiguntur, ex Apulia in Samnium aestivatum, atque ad publicanum profitentur, ne si inscriptum pecus paverint, lege censoria committant.* Itaque pascuus ager publicus idem dicebatur *scripturarius.* Festus: *Scripturarius ager publicus appellatur, in quo, ut pecora pascantur, certum aes est; quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore.* Sed et ipsi publicani hoc genus dicebantur *scripturarii.*

E portu et mercatura tertium vectigal, de mercibus, quae aut in portum deferrentur, aut e portu exportarentur: idque *portorium* appellabant, et qui

id colligerent, *portitores.* Nonius: *Portitores, telonarii, qui portum obsidentes omnia sciscitantur, ut ex iis vectigalia accipiant.* Vtitur Noster Trin. IV, 4: *Solutum etc.*, et eleganter alludit Asin. I, 3, 7; Men. I, 2, 8, immo et Cic. IV de Rep. *eundem positum imperatorem et portitorem esse orbis terrarum.* Cicero complectitur haec tria vectigalium genera aliquoties, in Orat. pro L. Manil., cap. 6: *Asia vero tam opima est et fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat.* Iterum: *Nam quum hostium copiae non longe absunt, pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest.* Asconius: *Mancipes sunt publicanorum principes, Romani homines, qui quaestus sui causa si decumas redimunt, decumani appellantur; si portum aut pascua publica, portitores aut pecuarii, quorum ratio scriptura.* De L. Agrar. II, 23: *Sed intolerandum hoc, decemviros portitores omnium pecuniis constitui, qui non modo reges atque exterarum nationum homines, sed etiam imperatores nostros excutiant.*

Vs. 202. *Causam noscere*, vulgare sonant verba, sed tegit elegantiam non vulgarem phrasis, ob allusionem. Est enim idem, quod admittere excusationem, quod qui tam aequus est, ut causam cognoscere, hoc est inspicere, examinare tanquam iudicio velit, et paratus sit, videatur admissurus eam, si iustam invenerit. Sic in delectu *causas noscere* dicebantur Magistratus Populi Romani, scilicet eorum, qui sese a militia immunes esse contende-

rent, et si quidem iusta esset, accipiebant eorum excusationem, nec eos cogebant in militiam nomina dare. At in re atroci et subita non vacabant noscendis causis immunitatum, sed se examinaturos eas bello a se confecto profitebantur, cum gravibus minis in eos, qui non iustam habuisse causam iudicarentur. Liv. III, 6: *Consensu omnium delectus decernitur habeturque: quum Coss. in concione pronuntiassent, tempus non esse causas cognoscendi; omnes iuniores postero die campo Martio adessent; bello perfecto se daturos tempus; pro desertore futurum, cuius non probassent causam; omnis iuventus affuit postero die.* Lib. XXXIV, 56; Cic. VIII fam. 8: *.... de militibus, qui in exercitu C. Caesaris sunt: qui eorum stipendia emerita, aut causas, quibus de caussis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, causaeque cognoscantur. Delectum sine vacationibus habere* vocat Liv. VII, 28, 2, 7, 38. *Noscere causas*, pro accipere rationes, excusationes. XXX, 24. Plane ut Plautus Cic. lib. I de LL., pag. 20, Turn. *Atqui vereor, ne istam causam nemo noscat, tibique semper dicendum sit.* Id est, ut istam excusationem quisquam accipiat. Dixerat autem se aetatis vacationem sperare, seu fore ut ob senectutem ab opera forensi excusetur. Lib. II ad Att. Ep. 7: *Probi bonique omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognovisset.* Et mox: *Quod te excusas, ego vero et tuas causas nosco, et mea interesse puto, te istic esse.* Sic et causam accipere apud Cic. fam. XVI, Ep. 19.

Vs. 203. *Pro infrequente aliquem militia mittere domum*, est propterea quod quis operam non navet, aut negligens sit, cum ignominia aliquem dimittere. Totum est a re militari petitum. Varro VI de L. L.

Qui adest adsiduus: *ferre* (id est ad ferendum) *quem quae oportet*, *is frequens*. Itaque *frequens miles*, qui diligenter adest ad signa. Contra *infrequens*, inquit Festus, appellatur miles, qui abest abfuitque a signis. Cincius de Re Mil. apud Gell. XVI, 4: *Miles quum die*, *qui praedictus est*, *aberat*, *neque excusatus erat*, *infrequens dicebatur*. Cornif. IV ad Herenn. XXVII: *Propterea quod militiae te infrequentem tradidisti*. Auson. *Procedere mihi inter frequentes stipendium iubetis*. Latin. Pacat. Paneg. c. 32: *Gothus ille et Hunnus et Alanus respondebat ad nomen*, *et alternabat excubias*, *et notari infrequens verebatur*. Porro inter poenas militares erat contumeliosa missio, quum quis ob delictum aut crimen militia solvebatur: quae res ei notam et infamiam adferebat. Cuius exemplum nobile apud auctorem de Bello Africano, qui Commentariis Caesaris solet adiungi, c. 54: *Caesar postero die de suggestu*, *convocatis omnium legionum tribunis centurionibusque*, *C. Aviene*, *inquit*, *quod in Italia milites Pop. Romano contra remp. instigasti*, *rapinasque per municipia fecisti*, *quodque mihi reique publicae inutilis fuisti*: *ob eas res ignominiae causa ab exercitu meo te removeo. Itemque*, *te A. Fontei*, *quod tribunus militum seditiosus malusque civis fuisti*, *ab exercitu dimitto*. Eo alludens scortillum hic apud Plautum, *infrequentem* militem vocat amatorem, eumque *mittendum*, id est, excludendum atque abigendum ab ea, quam sectatur, censet.

Vs. 228. *Arietare fores vel aedes*, est impetere, illidi illis; desumptum ab arietibus, qui frequentes cornibus praetentis se invicem impetunt, et inter se committuntur. Amavit inprimis hoc verbum Senec. lib. I de Ira, cap. 3: *Et magno imperatori*, *ante-*

quam inter se acies arietarent, cor exiluit, id est, congrederentur; lib. III, 4: *Adiice dentium inter se arietatorum, et aliquem esse cupientium sonum.* Consol. ad Marc. II: *Non tempestate magna ut dissiperis, est opus; ubicunque arietaveris, solveris.* De Vita Beat. cap. 8; *Nihil enim pravi, nihil lubrici superest: nihil in quo arietet aut labet*, id est, allidatur, offendatur. Epist. 56: *Prior ille sapiens est, quem non tela vibrantia, non arietata inter se arma agminis densi, non urbis impulsae fragor territat*, id est, commissa, collisa. Epist. 103: *Non arietant inter se, nisi in eodem ambulantes.* V Nat. quaest. 13: *Nonnunquam calor, quem modo sol fecit, modo ipsa arietatio, ut magnorum inter se corporum et attritus.*

Vs. 240. *Cluvinum pecus*, est idem quod simia. Convitium in hominem, sive facie sive moribus, turpem. Gloss. *Cluva* πίθηκος. Arnob. lib. III: *Numquid in homine pulchrum est quid, quaeso, admirabile vel decorum, nisi quod et cluvino cum pecore nescio quis auctor voluit esse commune?* Alludit ad veterem versum: *Simia quam similis turpissima bestia nobis.*

Vs. 249. *Patuli boves* vel *patales*, sunt quorum cornua diversa sunt, et late patent, Festo interprete. Iun. Philarg. in III Georg. *Cammuri boves sunt, qui conversa introrsus cornua habent: quibus contrarii patuli, qui cornua diversa habent. Laevi*, quorum cornua terram spectant. His contrarii *licini*, qui cornua sursum versum reflexa habent. Graecis iidem πέταλος vel πέτυλος. Athen. lib. IX: Πετάλιδας σῦς εἴρηκεν, μεταφέρων ἀπὸ τῶν μόσχων. οὗτοι γὰρ πέταλοι λέγονται ἀπὸ τῶν κεράτων, ὅταν αὐτὰ ἐκπέταλα ἔχωσι. id est: *Petalidas sues dixit, translatione sumta a iuvencis. Illi enim* πέταλοι *dicuntur a cornibus, quum ista habent distenta.* Hesych. Βοῦς πέ-

τυλος, ὁ ἀναπεπταμένα τὰ κέρατα ἔχων, id est: *Bos petulus, qui habet cornua distenta.*

Vs. 261. *Purpurissatas habere genas vel buccas*, id est, purpurisso, quod est spuma collecta efferve-scente purpura inductus: eo autem mulieres formae nimis amantes vividum colorem genis conciliabant. Most. I, 3, 104; Tertull. de cultu foemin. *An cum cerussa, purpurisso, et croco in illo ambitu capitis resurgetis?* Apul. Apolog. *Quis non disciplinam matris agnovit, quum in puella videret immedicatum os, et purpurissatas genas, et illices oculos?* Sic a *cerussa, cerussatus.* Cic. in Pison. II: *Erant illi comti capilli, et madentes cincinnorum fimbriae, et fluentes cerussataeque buccae.* Nam et *cerussa* inter pigmenta oris. Most. I, 3, 101.

Vs. 269. *Illicere in malam fraudem et praemium*, significat in insidias, ubi quis sit praedae. Nam *praemium* interdum idem est quod praeda. Tibull. I, El. 2: *Nec sinit, occurrat quisquam, qui corpora ferro Vulneret, aut rapta praemia veste petat.* Virg. II Aen. *Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae Aggerat, et longe praedam iubet ordine duci.* Petron. *Egreditur superbus cum praemio Ascyltos.* Hinc *praemiari*, pro praedari apud Suet. Tit. VII: *Suspecta et rapacitas, quod constabat in cognitionibus patris nundinari praemiarique solitum.* Vnde et *praemiatores nocturnos* explicat praedones. Non. apud Naevium Agrip. *Non in coena vos nocturnos cepit praemiatores tollere.*

Vs. 286. *Sinapi victitare*, dicuntur homines tristes semper et tetrici, a notissimo effectu sinapis, quem describit Noster Pseud. III, 2, 28. Sic Poen. V, 5, 35. Est autem *Vlpicum* species allii, quod *allium Punicum* vocat Colum. II, 3.

Vs. 310. *Inhiare aliquid*, id est, admodum deside-

rare. Vulgariter iungitur tertio casui, ut apud Horat. I, Sat. 1, *Congestis undique saccis Indormis inhians.* Plautus amat cum quarto usurpare. Aulul. I, 2, 17; Mil. III, 1, 121; Stich. IV, 2, 25.

Vs. 314. *Post factum plector*, vel *merito plector*, est formula, qua utebantur confitentes se ipsos sui damni causam et auctores esse. Phaedr. lib. I, fab. ult. de columbis milvium sibi regem facientibus: *Coepit vesci singulas, et exercere imperium saevis unguibus. Tunc de reliquis una: merito plectimur.* Suet. Vesp. XII: *Vt triumphi die fatigatus tarditate et taedio pompae non reticuerit merito se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum maioribus suis, aut speratum unquam sibi, tam inepte senex concupisset.* Cn. Mattius ad Cic. II, Ep. 28: *Flecteris ergo, inquiunt, quando factum improbare audes, o superbiam inauditam!* vid. quae notavi ad Sen.

Vs. 340. *Bene ambulavisti?* est formula rogitantium reduces de successu itineris et incolumitate: quemadmodum abeuntibus bene precantes dicebant: *Bene ambula.* Most. III, 2, 169. Mil. IV, 8, 41: *Agite, ite cum Diis bene volentibus*, in quo Christianis licet mutare numerum, et dicere, *cum Deo benevolente.*

Vs. 371. *Praemandare*, est ante mandare, anteque delegare, quam opus sit, ut scilicet quum sit, nihil sit morae. Vtitur et Vatinius ad Cicer. lib. V Famil. Ep. 9 pro de re alterius aliquid mandare: *Priusquam ab ipso cuia res agitur, tibi mandatum sit. Dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivus cum Vardaeis esse: de quo tu mihi nihil mandasti: ego tamen terra marique, ut conquireretur, praemandavi.*

Vs. 448. *Belli praedicare suas pugnas manibus*, est sermo sensu planior, quam verbis; significat enim in bello efficere manibus, ut praedicentur alicuius pu-

gnae. Talia sunt, quae quum orationem, aut sententiam aliquam proprie significant, ad facta transferuntur. Florus lib. I, cap. 1: *Cuius valli dum irridet Angustias Remus, idque increpat saltu*, id est, transiliendo ostendit se contemnere. Nam *increpare* est proprie verbis obiurgare. Tacit. de Mor. Germ. cap. 11: *Si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est, armis laudare.* Et *laudare* est verborum: sed *laudare armis*, est arma quatiendo ostendere, quod laudes probesque sententiam alicuius. Sic Virg. in Moreto, loquens de rustico cibum insuavem contracta fronte improbante, et tamen vescente: *Etsi damnet sua prandia vultu.* Etenim *damnare* sententiae est et verborum, non vultus.

Vs. 556. *Se ipsos comedere*, dicuntur homines tristes et moerore frangentes conficientesque. Sic Homerus de Bellerophonte, quod Cic. III Tusc. Quaest. ita vertit: *Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.* Sen. Ep. 88: *Interdum non palam licet esse miseros; sed inter aerumnas cor exedentes necesse non agere felicem.* Epist. 101: *Ex hac autem indigentia timor nascitur, et cupiditas futuri exedens animum.*

Vs. 687. *Lessum facere alicui*, id est, funebri eiulationem aliquem prosequi. Nam quod hic Plautus: *Thetis lamentando lessum fecit filio*, id Tertull. de Anima sic effert: *Sed et Thetis filium planxit.* Vtitur eadem voce Lex XII Tabb. ex quibus Cicero lib. II de Legib. *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habentes. Lessum habere* dicitur mulier, quum herae toti familiae lamentationem imperat, ut mos erat antiquis.

Vs. 721. *Non habere tantillum pensi, quos capias calceos*, id est, incuriosum vestitus esse, curam ele-

gantiae et concinnitatis procul habere, quod est hominum famam contemnentium, et non studentium decoro. Non enim rusticitatis solum, sed etiam impudentiae veteres iudicabant signum, calceis inconcinnis uti. A. Gell. XIII, 10: *Soleatos tamen vos P. Romani Senatores per urbis vias ingredi, nequicquam decorum est: non hercle vobis minus quam illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine obiectavit.* Verba Cicer. sunt in Philipp. II: *Cum Gallicis et lacerna cucurristi.* Sunt enim Gallicae genus crepidarum. Valerius Flaccus aliquem ab habitu describens: *Improba barbaricae procurrunt tegmine plantae.* Quibus autem male laxus calceus haerebat in pede, dicebatur Graecis νεῖν ἐν ταῖς ἐμβάσιν, *natare in soccis*: unde et Ovid. in libb. Amorum praecipit: *Neve vagus laxa pernatet in solea.* Sidon. *Laxo pes natet altus in cothurno.*

Vs. 775. *Meo illic nunc fiunt capiti comitia*, id est, de mea salute agitur: capitalis mea res geritur. Allusum ad morem Romanorum, quo de capite, hoc est, vita et salute civis non poterat agi, nisi comitiis centuriatis, quae erant maxima, et tributis ac curiatis solenniora. Cic. III de Legib. *Tum leges praeclarissimae de duodecim tabb. tralatae duae, quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu vetat.* Eodem spectat Plant. Aulul. IV, 7, 20; Pseud. IV, 7, 134.

Vs. 810. *Bliteus et luteus homo*, est bardus, stupidus, fatuus. Festus. *Blitum genus oleris a saporis stupore appellatum esse ex Graeco putatur, quod ab his βλὰξ dicatur stupidus.* Habet Noster Ps. III, 2, 26. Plin. XX, 22: *Blitum iners videtur ac sine sapore aut acrimonia ulla: unde convicium foeminis apud Menandrum faciunt mariti.* Fortasse usus est verbo,

quod habent grammatici Graeci, *βλιτάδες*, idque explicant, *αἱ εὐτελεῖς γυναῖκες*, id est, *nugatoriae mulieres.* Aeque insipidum est lutum. Vnde pari probro Cic. in Pison. XXV: *Quid cessat hic homulus ex argilla et luto fictus Epicureus dare haec praeclara praecepta sapientiae?*

Vs. 864. *Setanio seduci vel educari*, est vilissimo cibo sustentari. *Setanius* genus est plebeii et vilissimi vulgarissimi panis, cuius sic meminit Pollux VI Onom. 11: Οἱ *δὲ συντάνιοι ἄρτοι ἐκ τῶν συντχνίων πυρῶν οἵ εἰσιν οἱ τετράμηνοι*· Id est: *Panes sitanii ex frumento horno sunt, quod est quadrimestre.* At Plin. XXII, 25: *Nauticus panis tusus atque iterum coctus sistit alvum. Setanius, hoc est trimestris, incussa in facie, aut disquamata cum melle, aptissime curat.* Idem Plin. XIX, 6, caepae genera apud Graecos Sardiam, Samothraciam, setaniam memorat: ct *e cunctis*, ait, *setania minima (excepta Tusculana) sed dulcis.* Schol. Aristoph. Νεφ. vs. 624: Τῆτες) Ε*ν τῷδε τῷ ἔτει οἱ δὲ Δωριεῖς σατὲς φασὶν· ὅθεν Σατανίους πυροὺς τοὺς μὴ τελεσφοροῦντας.* (Eiusdem meminit Theophrastus.) Sed et *sitanium* et *sitania* apud Plinium, Theophrastum, et Dioscoridem, genus mespili est, in Italia frequens. Hinc explicat Muretus, eo in primis, quod hodieque duret apud Italos in sermone vulgi, ut si multa magnaque requiri ad aliquid efficiendum existiment, dicant, aliud requiri quam mespila.

Vs. 899. *Campas dicere*, est nugari, fabulari, monstra et prodigia loqui, quae ut plurimum fabulosa et mendacia sunt. *Campas* veteres Latini omnia *κητώδη*, id est, monstra marina, grandia, cete vocabant. Vt et *hippecampas* vel *hippocampos*, quos alias *hippotamos*, Latine equos marinos. Festus: *Campas, marinos equos Graeci a flexione posteriorum partium*

appellant, significat ἀπὸ τοῦ κάμπτειν. Talia autem fingebant illa monstra Stat. II Theb. vs. 45: *Illic Aegaeo Neptunus gurgite fessos In portum deducit equos: prior haurit arenas, Vngula, postremi solvuntur in aequora pisces.* Claud. de Nupt. Honor. et Mariae, ubi Venerem Tritone vehentem facit:

Prorumpit gurgite torvus
Se miser. Vndosi velabant brachia crines,
Hispida tendebat bisido vestigia cornu.
Qua pistrix commissa viro, ter pectora movit:
Tam quanto Paphias tractu sulcabat arenas.
Vmbratura Deam retro sinuatur in arcum
Bellua: tum vivo squalentia murice terga
Purpúreis mollitia toris. Hoc navigat antro
Fulta Venus.

Hinc Martial. *Campis dives Apollo sic marinis; sic semper senibus fruare cygnis. Campae marinae* sunt Delphini: nam et hi in amoribus Apollini. Vnde in nummis antiquis Quindecimvirum sacris faciundis Delphica tripus cum corvo in inferiori parte, Delphino in superiori conspicitur. Nonius: *Hippocampi equi marini a flexu caudarum, quae piscosae sunt:* et est Graecum. Menander: οὐχ οὕτως ἱππόκαμπος ἐν ἀιθέρι. Naevius, *Sirenes, citis Delphino iunctis vehiculis, hippocampisque asperis.* Plin. XXXVI, 5: *in maxima dignatione Cn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus ipse, Thetis atque Achilles, Nereides supra Delphinos et Cete et Hippocampos sedentes.* Hinc igitur *dicere campas*, est dicere monstra, fabulari, ut est apud Tertull. *Lamias turres et pectines solis fabulari*, advers. Valentin. cap. III: *Nonne tale aliquid dabitur tibi in infantia inter somni difficultates a nutricula audisse Lamias turres et pectines solis? Lamia*

nomen est larvae turrigerae, ut Cybelen veteres figurabant: sed et piramidata capitis tegmina Diod. Sicul. XX, 754, cap. 42: πύργους seu πυργίσκους, id est *turres* a forma appellabant. Eius larvae mentione parvulos infantes nutrices a clamoribus continebant. Eadem ratio *pectinum solis*, quos comminiscebantur, ut terrerent infantulos: eo magis, quia crinitum Apollinem faciunt poëtae, et radios nonnunquam crinem stellarum appellant.



INDEX

LOCVPLETISSIMVS

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

V

TOMI QVINTI ET VLTIMI

FINIS.

FACVLTATE OBTENTA







